





No A
1 - 361





~~14~~




6
7



8
9

10 11 12 13 14 15



60to 9/14



R. 1585

MEDITATIONES
MANVALE,
ALIA' QVE

Del Co / De la corp. de Jésus de Granada
ASCETICA
DIVI AVGVSTINI nomine, male hac-
tus vulgata; Nunc primum S. ANSEL-
MO vendicata, & quam plurimis eius-
dem S. Patris fætibus antehac ineditis
cumulata:

D. A. porento del P. Agustín de Loprieta
Ex nouissima S. ANSELMI operum recessione,
Per R.P. THEOPHILUM RAYNAUDVM
Societatis Iesu Thelogum.



L V G D V N I,
Sumpt. L AV R E N T I I D V R A N D.

M. D. C. XXXI.

Permissu Superiorum.

121
S. G. E. O. I. T. L. I. N.
S. J. A. P. M. A. M.
S. V. O. N. I. A.
S. C. E. P. T. E. R. S.
S. A. S. A. S. A. S. A. S. A. S.
S. A. S. A. S. A. S. A. S. A. S.



S. A. S. A. S. A. S. A. S.
S. A. S. A. S. A. S. A. S.
S. A. S. A. S. A. S. A. S.
S. A. S. A. S. A. S. A. S.
S. A. S. A. S. A. S. A. S.



*Admodum Reuerendo, Nobilissimoque
Domino,*

D. NICOLAO CHANDON
CONSILIARIO ET ELEEMO-
SYNARIO REGIO, ECCLESIAE
S. Viencentij apud Matisconenses Decano,
Priori de Ratenaille, & Domino de
Dauayé & Chardonay, &c.

Hoc ergo dicens S. P.

MAT, quid dubitem
Vir admodum Reueren-
de, amat Matisconensi
Ecclesiae lumina Sancti
Spiritus (ut eum Anglia Regum
Mathildis appellat, alumnus Can-
tuariensis Archipræful Anselmu-
Prodierat ille vix in publicum me-
eductus opera, abstergoque squal-
lore quo tantum non obrutus for-

ā 3 deba-

EPISTOLA.

debat, postliminio suis, & Matisco-
nensis Episcopi clarus Infulis eni-
tebat, cum nouum mihi indicere
pensum visa Pietas hac expostula-
tione operam meam implorauit.
Ergóne (inquit illa) eruditis tantum
Bibliothecis adlaboras, doctæque
inseruis sublimium ingeniorū Rei-
publicæ, quin etiam aliquid indul-
ges piæ humilium disciplinæ? De-
beant hoc tibi literæ quod ab inte-
ritu scientiarum Antistitem vin-
dicaris; edideris opus quod potiori
iure quam Hermetis libri *immorta-
litatis pharmacum* dici possit; sint
in hoc volumine ut in Delphinij
Burdegalensis libris Paulinus lau-
dat *spiritualia condimenta*, quæ diuino
quodam sapientiæ sale spargantur, &
saporem Apostolicae doctrinae redoleant,
vel certe ut in Augustini opusculis
Seuerus suauissime demiratur *fau-
nectaris pleni delitiæque animæ*, quid
iuuant pharmaca nisi sint ad ma-
num

EPISTOLA.

num, quid delitiæ nisi earum fiat copia, quid mella nisi ex aliis eximantur, atque è cera fauus nectaris excernatur? Præstitem si forte desideras qui sua authoritate restitutum parenti fœtum tueatur, en tibi in Matisonensi Ecclesia alius ab Episcopo Decanus qui meo nomine tibi id officij conferat meas ille sedulus res procurat, quamuis enim variis de causis illum sibi cœli filiæ germanæ Virtutes adoptarint, mihi tamen peculiari quadam deuotione addictus religiosum dixit sacramentum. Testes vos mihi deposco aræ, quas pretioso instru-
ctu, atque elegantia decorauit; testes totius pæne diœceseos fideles; quot enim ubique ad recon-
dendum Christianum manna hie-
rothecas, augustæque Eucharistiæ
loculamenta procurauit, quot di-
uinissimi Sacramenti custodias, &
(ut vetus innouem verbum) Tur-

EPISTOLA.

res sua liberalitate construxit? Illius munificentiae est quod cœli Dominus in terris hospes passim honorificentius habitet, illius diligentiae quod decentius in templis magnum pietatis mysterium habetur. Fac itaque ut hanc tibi habeam gratiam, imò & illi, qui iamdiu de me bene mereri pergit, ut per vos quod mihi olim consecrat Anselmus, nunc commode ad mei studiosos Therapeutas perueniat, meliorique apud homines sit loco religiosa numinis veneratio. Impius sim nisi Pietati morem geram maximè cùm *assumptio religiosi nominis*, ex Saluiani suffragio, *sit spōsio deuotionis*: quamobrem excipe ea quâ soles hospites tuos benignitate pium ad te venientem hospitem, boniq; consule eam, quam in illius cultu, ductuq; nauauit operam. Maius est Anselmi nomen quam ut mea commendatione ali-

quid

EPISTOLA.

quid illi splendoris conciliare possum, de illo tamen, illiusque quod in manibus est opere illud idem dicere me posse contendō quod Ephremo spectatæ sanctitatis Antistiti ijsdem clarus ornamentis Gregorius Nyssenus laudi dedit, illum nimirum docuisse falsum esse proverbium *Lapidī misericordiam persuades*: quis enim ille est corde tam faxeo, tamque adamantino pectore, qui non pijs illius lectis operibüs moueatur? Melius de Durando Abate Casæ-Dei sentio quam ut in illius ludens nomine illi duri-
tient affingam, aliud vitæ ratio, vi-
tæque corona dignitas persuadent.
Hic tamen datâ ad nostrum An-
selmum epistolâ tenero animi af-
fectu emollitum se ad meditatio-
nis illius, quam de humanæ vitæ
miseria scripsisset, ingenuè profite-
tur. *Scriptum hoc, & præter hoc, in-*
quit, alia de contrito spiritu tuo, & de

EPISTOLA.

pietate contriti cordis tui edita, & scripta pias præstant nobis lacrymas tuas legere, nostras edere. Ita ut utrumque miremur, & in corde tuo redundare tantæ rorem benedictionis, & sine suffro descendere inde riuum in cordibus nostris. Nam ita est, vere pietas scriptæ tuæ orationis excitat in nobis pietatem sopiae cōpunctionis, adeo ut quasi mente profiliendo congaudeamus ea dili- gendo in te, vel potius in eis te, seu per ea Deum, & te. Spes est pari felicitate cessuram plerisq; huius operis usu- ram, quos insuper tui nominis au- thoritas ad legendum adducet. Tuum est istud opus, quandoqui- dem illud verax pietas tuæ tibi ven- dicat, ex cuius sensu utinam intel- ligerent homines quantum sit de Deo Opt. Max. qui diues est in mi- sericordia, & miserationibus, sed in Eucharistia specie pauperi mereri quam optimè. Magnum equidem

tuæ

E P I S T O L A.

tuæ gloriæ decus erat quod Auunculum naçtus olim electum totius Galliæ Cancellarium tu tanti nominis dignus heres , publicis regni Comitijs Cleri nomine aliquando interfueris, quod magnis probe defunctus honoribus omnium ordinum benevolentiam liberali studio tibi demerueris , sed laudem omnem superat in excipiendo orbis Imperatore studiosa liberalitas, tu Regis Regum hospitij nobilis metator , parum est, tu Domini dominantium hospes , & vero etiam mundi Conditoris Architectus. Quid ad gloriam illustrius, aut ad felicitatem in huius vitæ discriminibus securius dici potest? nihil omnino. Perge igitur ut facis his officijs tibi mansiones in cœlo æternas præparare ; quin imo has potius curas permitte pietati , interea dum illius studia accurabis.

ā 6 Vadem

EPISTOLA.

Vadem pro illius gratia habes di-
uinam veritatem , à qua tibi salu-
tem exoptat.

Admodum R. D. T.

Addictissimus seruus in Christo,

THEOPHILVS RAYNAUDVS
ē Societate Iesu.

Lectori



Lectori Beneuolo,

THEOPHILVS
RAYNAUDVS Soc. IESV,
Theologus.

PELLA quam damus, segmentum est spissioris voluminis, quo omnia D. ANSELMI opera nuper exhibuimus, aucta, & quadripartitò digesta, in Didactica, Ascetica, Parænetica, & Notha. Ex illo secundo ordine decerpere & seorsim edere visum est, nonnulla incendendæ Christianæ pietati aptiora; ut hoc brevioris formæ illectamentum, usui de more lenocinaretur, & lectissimum (mea quidem sententia) religiosi adversus numen studij instrumentum, quo tractari ac versari facilius posset, eo lubentius frequentiusque usurparetur. Solliciti porro non fuimus quascunque huins

E P I S T O L A

huiusmodi lucubrationes S. Anselmi,
hic repræsentare, ne moles voluminis
ultra quām consilium nostrum ferebat,
ex cresceret. Itaque libauimus dunta-
xat, quæ visa in hoc genere sapi-
diora.

E I V S M O D I imprimis sunt, quæ
titulo Meditationum & Manualis
S. Augustini, hactenus sunt edita,
errore non aliunde, quantum arbitror,
profecto, ut alibi quoque monere me-
mini, quām ex titulis huiusmodi libel-
lorum, compendio exprefſis. Dum enim
festinus Librarius, expassum S. Ansel-
mi nomen his lucubrationibus præfixū,
cogit in unius maiusculæ arctum, hac
compendiaria ratione quæ etiamnum
in antiquioribus quibusdam exempla-
ribus cernitur Meditationes S. An-
selmi Episcopi; aut Manuale S. A.
facile fucus factus est imperitis, ut par-
tus extraneos S. Augustino suppone-
rent. Ut ut verò res se habuerit Codd.
M. M. SS. Vaticanani ex quibus exscribi
bonam

A D L E C T O R E M.

bonam huius laboris portionem curauimus, & unus optimæ notæ quem Collegium Viennense Societatis I E S V submisit, hos libellos adscribunt S. Anselmo Cantuariensi Praesuli. Et stylus in quo velut in sobolis facie, parentis species refertur, Anselmo hæc adiudicat, Augustino autem abiudicat. Quid quod Henricus Sommalius, cuius labore pars horum libellorum, nitidior prodijt ante annos aliquot, Meditationum partem sanè non exiguum quam D. Augustino adscripserat, mox B. Anselmi titulo prænotat; semel eam, iterumque Lectori tanquam diuersorum, intra idem nobis exiguae volumen repræsentans? Quare pro S. Anselmo pronunciandum est, isque verus libellorum prædictorum parvus agnoscendus, uti iam constitutum à nobis est, in Syntaxi partis secundæ Opusculorum S. Anselmi.

IISDEM libellis adiunxit sa-
crarum commentationum uberem vim,
eodem autore S. Anselmo, quæ magnam
partem,

M. EPISTOLA

partem; proximè primum in plena no-
stra S. Anselmi operum editione lucem
vidit: nunc tamen nouis etiam aucta-
riis cumulata prodit, ex aliis M. M. CC.
quorum exemplū LEO ALLATIUS
nota eruditionis sacerdos, Roma trans-
misit; restatus eam quoque metaphra-
sim in Psalmum 50. omni pietatis sen-
su refertam, quæ Urbani quarti Romani
Pontificis nomen præfert in utrāq; ve-
terum Patrum Bibliotheca, inibi Sancto
Anselmo adscriptam legi. Sed aliqua
cum germanis S. Anselmi partibus dis-
similitudo, & consensus omnium retro
indicum in ea Metaphrasi Urbano Pon-
tifici tribuenda, quoniam manus con-
sideremus, & hic S. Anselmi nomine
lucubrationem illam redderemus, inhi-
buit. Quod si aliqua posthac rationis
vel auctoritatis machina, eidem, (ut
meus quidem gustus fert,) FAVISSÆ
PIETATIS, inter germana S.
Anselmi opera, sedeme uincat, non ob-
firmabimus in ea excludenda ab hoc
loco,

A D L E C T O R E M .

loco, quo istiusmodi lecta & copiosa sen-
forum pietatis promptuaria, audie con-
quirimus, si modo S. Anselmi nomen
non ementito titulo preferant: cuius-
modi nonnulla in angulum cum quis-
quiliis coniecimus, in ea Sancti Patris
operum digestione quam nuper moliti
sumus.

Q V A N D O verò aliqua hic se
occasio dat, & nothorum S. Anselmi
lucubrationum incidit mentio, non ce-
labo Lectorem, quod mihi post nupe-
ram huius Patris editionem, omnia alia
querenti, auspiciatō obtigerit, circa pa-
rentes vnius & alterius opusculorum
illorum, quæ à germanis S. Anselmi fæ-
tibus seponenda pronunciabam, necdum
tamen comperto vero autore. Prior est,
autor Elucidarij. Posterior, autor Com-
mentariorum in Mattheum, S. Ansel-
mi nomen preferentium. Autorem Elu-
cidarij indices Anglicani pernusti à
Lelando, Gesnero, aliisque expressi, ex-
hibent Gulielmum Conuentriensem, Or-
dinis

EPISTOLA

dinis Carmelitarum, à curuatis crucibus & læsa coxendice, dictum, Claudiu Conuersum; de cuius inscriben-
do præclaris dotibus, fusè Pithæus de
illust. Angl. Scriptor. ætate 14. num.
600. ubi eius obitus consignatur anno
Christi 1360. & in more illi positum
refertur, sine patre, sine matre, sine ge-
nealogia, fætus suos luci dare, nulli è
plurimis quos edidit, præfixo parentis
nomine; Vnde illorum in extraneos
transcriptio exorta. Inter varios autem
ab eo conscriptos libros qui ibi recensem-
tur, annotatis singulorum initii, secun-
dus hoc titulo exhibetur. Elucidarium
fidei, liber vnu. Voces item initiales,
ha adscribuntur. Sæpius rogato à
condiscipulis; quod est ipsissimum ini-
tium Elucidarij D. Anselmo tributi.
Itaque non est quod ultra de vero Elu-
cidarij auctore ambigatur.

IN IIS DEM Anglicanorum Scri-
ptorum tabulis num. 462. adscriptus
legitur Petrus Babion. Hunc Pithæus,

cum

A D L E C T O R E M .

cum in politiore literatura, tum in sacris
disciplinis, exhibet æuo suo, hoc est anno
Christi 1317. in paucis præstantem.
Primum opus quod ex eo memorat Bo-
stonus Buriensis, hunc præfert titulum.
In Euangelium S. Matthæi, liber
vnus. Initium verò libri, hoc fuisse
prodit idemmet Autor, Dominus ac
redemptor. Omnia bellissimè cadunt
in commentarium Matthæi, hactenus S.
Anselmo adscriptum. Nam & unico
libro continetur, & initium propositum
præfert in præfatione quæ ab eodem Cō-
mentario passim exulat; à nobis autem
repræsentata est, in calce syntaxeos ope-
rum S. Anselmi, ex M. S. Cod. Collegij
Lugdunensis Societatis I E S V , ubi
præfatio cuius initium est quod dixi,
Commentario illi præponitur. Quare
citra ambiguitatem omnem, tenemus
autorem operis prædicti, hunc ipsum
Petrum Babionem. Nam quod initium
præfationis in editione nostra est,
Christus ac redemptor noster, ma-

nifesto

VERSITARIA

EPISTOLA

nifesto Librarij inter exscribendum
cæcutientis errore factum est; cum co-
dex M. S. disertè habeat, Dominus ac
redemptor noster, suamque siue nsci-
tantiam, siue indiligentiam in exscri-
bendo, Librarius non grauare recogno-
uit. Et satis liquet, duo illa attribu-
ta, Christi ac redemptoris nostri,
minus aptè consociari, eo quod I E S V S,
non sit Christus noster, sed Christus Dei,
& uictus Domini: sit autem verissimè
ac exactè ad omnem rigorem locutione,
Dominus ac redemptor noster. Sed
impedit librarius ad vocem initialcm
Dominus tribus maiusculis elementis
nonnihil præter morem configuratis
compendio expressam, ita ut minus at-
tendens legerit Christus; quæ itidem
vox, admodum affini trium duntaxat
literarum conformatio[n]e, in codem
M. S. Codice, sepe exprimitur. Sic re-
stituta & præfationi voce initiali quam
dixi; habemus perspicuè Autorem
operis cui præfatione illa proluditur,
esse

A D L E C T O R E M .

esse Petrum Babionem , non S. Anselmum , quem vulgatus ad hanc ferè diem titulus ementiebatur . Sed hæc obiter , tametsi per aliquam occasionem , nec omnino inopportune .

Q V O D desiderari à me hoc loco posse video , ut in opellæ huius commendationem , atteram aliqua , superuacuum planè duce . Introsipientibus enim , lectio & eam consequens fructus , illex relegandi erit omni encomio superior . Quanti certè iam olim fecerint pīj quique , asceticas S. Anselmi scriptiones , docet epistola Durandi Abbatis , Casæ Dei , ad ipsum S. Anselmum exarata ; qua odorem sanctimoniae B. Præfulis , hinc maximè disseminatum confirmat . Docent teste Edinero lib. I . crebræ eiusdem , per varios exquisitæ pietatis viros , interpellationes , ut aliquam ab eo meditationem vel orationem exciperent , incendendæ fouendæque pietati . Docet Vincentij Bellouacensis , S. Antonini , & aliorum anteriorum studium , ijs purissimis

EPIST. AD LECT.

*misi laticebus in suas arcolas deriuandis
impensum. Docet vero præsertim optimus magister usus, qui cūsis toties, recusisque, ijs quæ extabant huius opellæ partibus, uberrimum ex ea in Lectorum animis extitisse pietatis sensum, perspicue prodit: nec parciorē ex factis personos accessionibus extiturum, idem earum sapor, spem luculentam ostentat.*

INDEX

I N D E X
M E D I T A T I O N V M
S. A N S E L M I.

M E D.	D	E Dei in nobis imagine , qua expenditur conditio homi- nis	Pag. 2
II.		De terrore iudicij ad incurriendum ti- morem quæ alias inscribitur de miseria hominis.	30
III.		Deploratio amissa virginitatis.	35
IV.		De redemptione humana & seu de veri- tate salvationis.	42
V.		Vnde vivant anime & unde vivat caro & de gloria bona animæ, & de infelicitate male in exitu de corpore.	53
V I.		Excitatio animæ peccatrixis ad corri- gendum & dimitendum peccata.	58
V II.		Ad roborandum spiritum ne despere- mus , quia si veram pœnitentiam agimus veram misericordiam sine dubio de peccatis nostris inuenie- mus.	65
V III.		De humanitate Christi.	75
		I X.	

INDEX.

IX.	<i>Stimulus amoris vel speculum Euangelici sermonis.</i>	81
X.	<i>De diuinitate Christi.</i>	103
	<i>Manuale de salute animæ.</i>	116
	<i>De Triplici ordine beneficiorum Dei, siue de præteriorū beneficiorum Christi memoria, de præsentium experientia & expectatione futurorum.</i>	128
	<i>De passione Christi.</i>	156
	<i>Excitatio animæ ad querendum & inueniendum Deum.</i>	169
	<i>Meditationes de contritione cordis & confi- xione peccatoris, siue sagittæ potentis acutæ in corda inimicorum Regis.</i>	179
	<i>Alloquia cœlestia seu faculæ piorū affectuum erga Deum, Christum Dominum, Deipara- m, &c cœlites complures.</i>	244

PROLO



PROLOGVS
BEATI ANSELMI
in Librum Meditationum vel
Orationum suarum.

MEDITATIONES sive
orationes quæ subscriptæ sunt,
quoniam ad excitandam le-
gentis mentem ad Dei amo-
rem vel timorem, seu ad sui-
met discussionem editæ sunt, non sunt legenda
in tumultu, sed in quiete; nec etiam velociter,
sed paulatim, cum intenta & morosa medita-
tione. Nec debet intendere lector, ut quamli-
bet illarum totam perlegat; sed quantum sen-
tit Deo adiuvante sibi valere, ad accendendum
affectionem orandi, vel quantum illum delectat.
Nec necesse habet aliquam semper à princi-
pio incipere, sed ubi magis illi placet. Ad hoc
enim paraphis sunt distinctæ, ut ubi elegerit,
incipiat vel desinat; ne prolixitas aut frequens
eiusdem loci repetitio generet fastidium, sed
potius aliquem inde colligat lector, propter
quod factæ sunt, pietatis affectionem.

A

LIBER

LIBER DECEM
MEDITATIONVM.

M E D I T A T I O . I.

*Quia expenditur conditio bominis ; secta in
14. capita. Quid ad imaginem & simi-
litudinem Dei facti sumus.*

VI G I L A anima mea, euigila,
exerce spiritum tuum , excita
sensem , expelle socordiam le-
thiferi torporis tui, apprehende
follicitudinem tuę salutis. Inutilium cogita-
tionum effugetur vagatio, recedat ignauia, di-
ligentia teneatur. Meditationibus sacris in-
feste, adhære diuinis bonis. Intende sempiter-
nis, temporalibus derelictis. Quid igitur uti-
lius, quid salubrius, in tam diuino mentis exer-
citio poteris cogitare , quam immensa be-
neficia conditoris dulcissima cogitatione re-
colere ? Considera igitur in ipso creationis
exordio quid sublimitatis, quid dignitatis ti-
bi contulerit ; & perpende quo amore ; qua
veneratione colendus sit. Certè cum vniuer-
sitatem rerum visibilium & inuisibiliū creans
& ordinans, humanam naturam facere dispo-
suisset , summo consilio de tuę conditionis
dignitate tractauit, ut pote quam cæteris crea-
turis

turis quæ in mundo sunt, altius honorare dispositus.

2 Vide igitur sublimitatem tuæ creationis, & retracta debitum reddendi amoris. Faciamus (ait Deus) hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Si ad hoc dictum tui conditoris non expurgisceris, si in tam ineffabili benignitate erga te dignationis eius in amorem illius tota non exardescis, si ad eius desiderium totis medullis non inflammatis, quid dicam? Dormientem te, an potius mortuam reputem? Attende igitur diligenter quid sit ad imaginem & similitudinem Dei te esse creatam. Habet dulce pignus piæ meditationis, vbi cogitationes tuas exerceas. Agnosce ergo aliud esse similitudinem, aliud imagoem, v. g. potest habere similitudinem quandam cum homine equus, bos, & cæteræ similes creaturæ: imaginem verò hominis non habet nisi alter homo. Manducat homo, manducat & equus. Ecce quædam similitudo, ac communitas inter naturas diuersas: imaginem verò hominis non imitatur nisi alter homo, eiusdem naturæ cuius imago est. Dignior igitur est imago, quam similitudo.

3 Similitudinem itaque ad Deum hoc modo habere poterimus, si cum bonum esse considerantes, nos boni esse studuerimus; si cum iustum esse cognoscentes, nos iusti esse contendamus: si misericordem contemplantes, nos misericordiæ operam demus. Quomodo autem ad imaginem suam? Attende. Deus

4 *Meditatio S. Anselmi*

semper meminit sui, intelligit se, amat se. Et tu ergo, si pro modulo tuo, infatigabiliter memor fueris Dei, intellecteris Deum, amaueris Deum, eris ad imaginem eius, quia hoc facere niteris quod semper facit Deus, ad memorandum & intelligendum, atque amandum summum bonum, totum debet homo referre quod viuit. Ad hoc omnis cogitatio, omnis voluntatio cordis retorqueatur, acuatur, conformetur, ut infatigabili affectu memor sis Dei, intelligas Deum, ames Deum, & tuæ creationis dignitatem qua ad imaginem Dei creatam es, salubriter exprimas. Quid dico, ad imaginem Dei te esse creatam, cùm teste Apostolo, ipsa Dei imago sis? *Vix*, inquit Apostolus, non debet velare caput suum, cùm sit imago & gloria Dei.

Quod ad hoc facti sumus, ut Deum sine fine laudemus.

II.

SUfficiuntne tibi hæc tam immensa beneficia conditoris ad iuges gratiarum actiones reddendas, & debitum continui amoris; cùm de nihilo, vel potius de luto, te consideras eius bonitate ad tantam celitudinem in ipso conditionis exordio sublimatum? Sanctorum igitur sententiam in tuam conuerte vitam, & de sancto quid dicatur attende. Quæ est igitur laus sancti? *De omni corde suo laudavit Dominum*. Ecce ad quod creata es;

es; ecce opus famulatus tui. Ut quid enim te Deus tam præclaro conditionis priuilegio sublimaret, nisi te suis laudibus indesinenter intendere vellet? Ad laudandum igitur conditorem tuum creata es, ut eius laudibus vacans, & hic iustitiæ merito in illum semper proficias, & in futuro benè viuas. Laus enim eius, & hic iustitiam, & ibi beatitudinem tribuit. Sed si laudas, ex toto corde lauda, diligendo lauda. Hæc est enim sanctis laudandi proposita regula. *De omni corde suo laudauis Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum.*

2 Lauda ergo, & ex toto corde lauda, & quem laudas dilige; quia ad hoc facta es, ut laudes & diligas. Laudat namque, sed ex toto corde non laudat, quem ad benedicendum Deum prospera demulcent; sed à benedicendi munere aduersa restringunt. Laudat quoque, sed non diligit, qui in Dei laudibus aliud quam ipsum laudando requirit. Lauda igitur, & dignè lauda, vt nulla in te cura, nulla intentio, nulla cogitatio, nulla sollicitudo mentis, in quantum tibi virtus suppetit, à laude Dei sit vacua. Ab eius laude nulla te vita huīus prosperitas reuocet, nulla compescat aduersitas. Sic enim ex toto corde laudabis Dominum. Sed cùm ex toto corde eum laudaueris, & diligens laudaueris, nihil ab eo aliud quam ipsum expetes; vt ipse sit finis desiderij tui, ipse præmium laboris, ipse solatium huius vimbratilis vita, ipse possessio illius beatæ vita.

3 Ad hoc itaque facta es , vt eum sine fine collaudes , quod tunc vtique intelliges plenius,cùm eius beata visione sublimata,videbis te sola & gratuita bonitate illius , cùm non esses, de nihilo tam beatam, & ad tam ineffabilem beatitudinem creatam,vocatam,iustificatam , glorificatam. Talis namque contemplatio infatigabilem tibi amorem dabit, eum sine fine laudandi, ex quo, & per quem, & in qua , tantis & tam immutabilibus bonis te beatificatam gaudebis.

Quod ubiunque sumus , in illo vivimus, mouemur, & sumus, dum ipsum intra nos habemus.

III.

1 **S**ed ab illa fœlicitate futura, contemplationis intuitu paululum etiam magnitudinem gratiae , qua te in hac etiam vita fugaci ditauit, considera. Ipse qui in Cœlis habitat,qui in Angelis regnat,cui cœlum & terra cum omnibus quæ in eis sunt inclinat , se tibi habitaculum præbuit , suam tibi præsentiam paratam fecit : docente enim Apostolo Paulo,*in illo vivimus, mouemur, & sumus.* Dulcis vita, motus amabilis, optabile esse. Quid enim dulcior, quam in illo vitam habere, qui est ipsa vita beata ? Quid amabilius , quam omnem voluntatis,vel actionis nostræ motum ad illum & in illo dirigere, qui nos perpetua confirmet stabilitatem ? Quid optabilius,quam

voto

voto & conuersatione iugiter in illo esse , in quo solo , vel potius qui solus est verum esse , sine quo nulli potest bene esse ? Ego , ait , sum qui sum . Et pulchrè . Ipse enim verè solus est , cuius immutabile est esse .

2. Ille itaque cuius esse tam excellens , tam singulare est , ut solum verè sit ; in cuius comparatione omne esse nihil est ; cùm te ad celitudinem creauerit , vt tuæ gloriā dignitatis nec intelligere possis , vbi te esse constituit ? Quem tibi mansiōis locum præparauit ? Attende ipsum , suis in Euangelio dicentem : *Minete in me , & ego in vobis.* O inæstimabilis dignatio , ô beata mansiō , ô glorioſa vicissitudo ! Quanta diuatio creatoris , vt in ſe ſuam velit habitare creaturem ? Quām incomprehensibilis beatitudo creature , in ſuo manere creatore ? Quanta rationalis creature est gloria , tam fölici vicissitudine , creatori ſociari , vt ipſe in ea , & ipſa in eo teneat mansiōem ? Tam excellenter ergo creatos , in ſe nos manere misericorditer voluit ; ſuper omnia ſicut omnium gubernator ſine ſollicitudine exiſtens ; omnia velut omnium fundamentum ſine labore ſuſtinens ; omnia ſicut omnibus rebus excellentior ſine ſuperbia excedens ; omnia velut vniuersa quæ continent , ſine diſtione circumpleteſtens ; omnia ſicut omnium plenitudo , ſine ſui anguſtia complens . Hic ergo cùm nusquam defit , deleſtabile intra nos ſibi regnum elegit , Euangelio demonstrante , vbi dicitur : *regnum Dei intra vas eſt.* Sed ſi re-

gaum Dei intra nos est: & Deus in suo regno habitat, nonne ipse in nobis manet, cuius intra nos regnum est?

3. Ita planè: si enim Deus sapientia est, & anima iusti sedes est sapientiae, qui verè iustus est, Deum in se manentem habet. *Templum enim Dei sanctum est, quod etsi vos*, ait Apostolus. Et tu igitur sanctitatis studio infatigabiliiter insiste, ne templum Dei desinas esse. Ipse de suis dicit, *Inhabitabo in illis, & in ambulabo.* Nec dubites, vbi cumque animæ sanctæ fuerint, cum in illis esse. Si enim & tu in omnibus membris quæ vivificas, vbi que tota es, quanto magis Deus vbi que totus est, qui te ipsum, & corpus creauit? Summa igitur diligentia considerandum est, cum quanta ratione & reuerentia sensus nostros & membra corporis nostri mouere debemus, quibus diuinitas ipsa præsidet. Demus igitur, ut dignum est, tanto inhabitatori omne imperium cordis nostri, ut nihil ei repugnet in nobis, sed omnes cogitationes & voluntatum motus, omnia verba, & vniuersa opera nostra, illius nutum attendant, eius voluntati deseruant, ad rectitudinis eius regulam dirigantur. Sic enim verè regnum eius erimus, & ipse in nobis manebit, & nos in illo manentes, benè vivemus.

Quod

*Quod omnes qui in Christo baptizati sumus,
Christum induimus.*

I V.

1 **E**xita queso te anima mea , & exarde-
scat ignis superni amoris in intimis
tuis , & decorem à Domino Deo tuo tibi
collatum, prudenter intellige, intelligens dili-
ge , diligens sanctæ conuersationis obsequiis
venerare. Nonne ipse tibi in seipso tribuit
mansionem, & in te dignatus est habitare , se-
ipso vestit te, munit & ornat ? *Quotquot*, ait
Apostolus, *in Christo baptizati estis, Christum in-
duistis.*

2 Quid igitur laudis, quid gratiarū actio-
nis ei condignè tribues, qui te tanto vesti-
uit decore , tanto sublimauit honore , vt iu-
cundissimo cordis iubilo dicere possis: *Indue
me Dominus vestimento salutis , & indumento
lætitiae circumdedic me ! Angelis Dei summum
gaudium est, Christum contemplari ; & ecce
immensa dignatione sua se tibi tantum incli-
nat, vt seipso te velit vestiri. Quali vestimen-
to, nisi eo de quo gloriatur Apostolus dicens;
*Christus factus est nobis à Deo sapientia , & iu-
stitia, & sanctificatio ? Quibus vestimentorum
insigniis te magis ornaret , quam ut te splen-
didam redderet amictu sapientiæ, ornamento
iustitiae, satisfactionis decore?**

A 5

Quod

Quòd corpus Christi sumus.

V.

Et quid dicam, quia se tibi Christus vestimentum fecit, cùm se tantùm vniuerit, vt in unitate Ecclesiæ de carne sua te esse voluerit? Audi Apostolum Scripturæ testimonium exponentem: *Et erunt duo in carne una, Ego autem, inquit, dico in Christo & in Ecclesia.* Super hoc quoque, quanta te vniione copulauerit, contemplare. Corpus Christi te Apostolus esse confirmat. *Vos estis, ait, corpus Christi, & membra de membris.*

Serua igitur corpus & membra, ea dignitate qua decet, ne si ea quolibet levitatis studio iniuriosè tractaueris, quanto potiori præmio coronareris si ea dignè tractasses, tanto maiori supplicio subiiciaris, si eis indignè abusus fueris. Oculi tui, oculi Christi sunt. Non igitur licet tibi, oculos Christi ad aliquas vanitates conspiciendas dirigere, quia Christus est veritas, cui omnis vanitas contraria est. Os tuum, os Christi est. Non debes, non dico ad detractiones, non dico ad mendacia, sed nec ad otiosos sermones, os aperire, quod ad solas laudes Dei, & ad ædificationem proximi, debes patulum habere. Sic de cæteris Christi membris, tuæ custodiæ commissis intellige.

Quòd

*Quod vnum in Christo sumus, & cum ipso
vnum Christus sumus.*

VI.

1 **S**ED adhuc altius agnosce, quanta illi societate iungaris. Ipsum Dominum audi, pro suis Patrem exorantem. *Volo, ait, ut si-
c ut ego, & tu, vnum sumus, sic & isti in nobis
vnum sint.* Sum ego filius tuus per naturam, sunt & illi filii tui, & fratres mei per gratiam. Quanta celsitudo est, Christianum hominem sic in Christo proficere, ut & ipse quodammodo Christus dicatur? Quod ille vere fidelis dispensator Ecclesiasticæ familiæ sensit, qui dixit; *Omnes Christiani, in Christo, unus Christus sumus.* Nec mirum, cum ipse sit caput, & nos corpus eius, ipse sponsus, ipse sponsa. Sponsus in se, sponsa in animabus sanctis, quas sibi æterni amoris vinculo sociauit. *Sicut sponso, inquit, imposuit mihi mitram, & si-
c ut sponsa ornauit me ornamento.*

2 Hic igitur anima mea, hic erga te reuelue beneficia eius, accendere in dilectione eius, exarcesce in desideria beatæ contemplationis eius. Exclama ergo fortiter ardenterissimo illo intimi amoris affectu, & tota in eius desiderium liquefacta, in vocem sponsæ fidelis erumpe: *Osculetur me osculo oris sui.* Recedat ab animo meo omnis delectatio, quæ extra illum est; nullus præsentis vitæ affectus, nullum mihi solatium blandiatur, dum mihi

eius præsentia beata denegatur. Ipse me charitatis brachiis amplectatur, ipse me ore supernæ illius suavitatis osculetur, ipse me eloquio illo ineffabili, quo Angelis sua secreta manifestat, alloquatur. Hæc sit sponsi ad sponsam vicaria sermonum vicissitudo, ut ego illi totum cor meum expandam, & ipse mihi suæ dulcedinis secreta reuelet.

3 His itaque anima & huiusmodi meditationibus vegetata, pleno sancti desiderij affectu, sponsum tuum sequi contendere, & dic ei: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuerum.* Sed dic, & fideliter dic, non transitorio fono, sed infatigabili desiderio. Sic dic, ut audiaris, sic attrahi concupisce, ut sequi possis. Dic ergo redemptori & saluatori tuo: *Trahe me post te.* Non trahat dulcedo sæculi, sed trahat me suauitas beatissimi amoris tui. Traxit me aliquando vanitas mea, sed iam trahat me totam post se veritas tua. Trahe quia traxisti, retine quia apprehendisti. Traxisti redimendo, trahe saluando. Traxisti miserando, trahe beatificando. Apprehendisti inter homines apparens pro nobis homo factus, retinens coelo præsidens super Angelos exaltatus. Tuus sermo, tua promissio est. Promisiisti dicens: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Trahe igitur iam potenter exaltatus, quem attraxisti misericorditer exaltatus.

4 Ascendisti, sentiam super omnia regnas, agnoscam. Nunquid te regnare non agnosco?
Agnosco

Agnosco certè, & gratias ago. Sed agnoscam perfectè amando, quod agnosco piè de te sentiendo. Agnoscam videndo, quod agnosco credendo. Liga tecum indissolubilibus amoris vinculis desideria cordis mei, vbi tecum sunt primitiæ spiritus mei. Societ nos unitas charitatis, quos copulauit charitas redémptionis. Dilexisti enim me, & tradidisti temet ipsum pro me. Sit itaque tecum in cœlo iugiter intentio mea, sit mecum in terra continuè protectio tua. Adiuua tui amoris desiderio æstuantem, qui dilexisti contemnentem. Da quærenti, qui te dedisti nescienti. Suscipe redeuntem, qui reuocasti fugientem. Diligam ut diligar: imò quia diligor, magis ac magis diligam, ut magis diligar. Uniatur tecum cogitatio mea, vna & singularis sit tecum intentio mea, vbi tecum à te misericorditer suscepta, beatà iam regnat substantia nostra. Adhæream tibi inseparabiliter, adorem te infatigabiliter, seruiam tibi perseveranter, quæram te fideliter, inueniam te fœliciter, possideam te æternaliter. His sermonibus, ô anima mea, Deum interpellando accendere, inflammare, exardescere, & tota in eius desiderio ignea effici contende.

Retra-

Retractatio peccatorum nostrorum, de quibus nos conscientia nostra plus remordet, per quæ perdidimus hæc omnia.

VII.

1 **C**VM autem consideras ad quæ & quanta bona per eius gratiam profecisti, retracta etiam quæ & quanta bona per tuam culpam perdidisti, & in quæ mala culpis grauata corruisti. Reuolue suspirando, mala quæ nequiter fecisti, & recogita gemendo, bona quæ propter eadem mala miserabiliter amisisti. Quid enim non boni præstantissimus tuus creator sua tibi contulit bonitate? Et quid non mali tu ei rependisti, execribili vegetata iniquitate? Bona perdens, mala meruisti; imò bona proiiciens, mala elegisti, & amissa, vel potius abiecta gratia conditoris, iram eius miserabiliter incurristi. Non est vnde te probes innocentem, cùm malorum tuorum caterua te velut exercitus immensus circumdet, hinc prauorum operum probra obiiciens, illinc inutilium, & quod damnabilius est, perniciosorum verborum immensam congeriem proferens; inde malarum cogitationum molem infinitam ostentans.

2 Hæc sunt propter quæ bona inæstimabilia perdidisti, propter hæc conditoris gratia caruisti. Hæc recogita gemendo; gemeis abrenuntiando, abrenuntia damnando,
damna

damna ea, vitam in melius commutando. Luctare tecum in animo tuo, ne amodò vel ad momentum alicui vanitati seu corde, seu lingua, siue quod summæ damnationis est, opere assensum præbeas. Sit quotidiana, imò continuò in anima tua rixa, ne quodlibet cum vitiis foedus retineas. Districtè temetipsam semper examina, secreta discute, & quicquid in te reprobrum inueneris, rigida animaduersione percute, prosterne, contere, extirpa, proiice, & ad nihilum redige. Non tibi parcas, non tibi blandiaris, sed in matutino, id est, in contemplatione extremi iudicij, quod nocti præsentis vitæ tanquam lux matutina succedit, interface omnes peccatores terræ, id est, delicta atque peccata cohuersationis terrenæ, ut disperdas de ciuitate Domini, quam in temetipsa illi ædificare debes, omnes operantes iniquitatem, id est, diabolicas suggestiones, odibiles Deo delestationes, mortiferos consensus, & opera peruersa. Ab omnibus iis tanquam ciuitas Dei debes emundari, ut placitam in te mansionem sibi creator inneniat, obtineat, possideat. Noli esse de illis quorum pertinaciam Deus ipse videtur plan gere, dicens: *Non est qui recogiteret in corde suo, & dicat, quid feci?* Si reprobantur illi, quia pro transactis malis erubescere & se reprehendere noluerunt, tunc ut in electorum numerum curras, temetipsam conuenire, dijudicare, ac severa disciplina corrigere negliges?

3 Reuolute igitur sedulo cogitat immensa beneficia

beneficia conditoris, quibus te nullis intercurrentibus meritis sublimauit, & ad memoriam reuoca mala innumera, quibus eiusdem beneficiis tua iniq[ui]tas indignè respondit, & magnum dolorem parturiens, clama. Quid feci? Deus exacerbaui, cretorem meum ad itacundiam prouocaui, beneficiis eius immensis innumera mala rependi. Quid feci? Sed hæc dicens, cor tuum acerbè contere, gemitus emitte, lacrymas funde. Si enim hīc non ploras, quando plorabis? Si te ad compunctionem non excitat auersio vultus Dei à te, quam tua peccata fecerunt, confringat duritiam tuam vel enormitas infernaliū suppliciorum, quam super te eadem peccata prouocauerunt. Redi ergo, redi præuaricatrix ad cor, & pedem ab inferis extrahe, vt debita mala euadere, & amissa bona quibus iustè priuaris, possis recuperare. Si enim ad mala tua respicias, omnia bona quæ tibi sunt ab eo collata, perdidisti. Oportet te igitur ad ea, & maximè de quibus te conscientia grauiis accusat, semper oculos retorquere, vt ille oculos suos auertat. Nam si tu peccata tua digna satisfactionis intentione auertis, ille ab eis intuitum vltionis auertit. Si tu obliuisceris, ille recordatur.

Retra-

Retractatio dominica Incarnationis, per quam recuperauimus hæc omnia.

VIII.

1. **V**T igitur inde libereris, miserationes erga te tui redemptoris attende. Certè originalis peccati merito cœcata eras, sublimitatem tui conditoris videre non poteras. Peccatorum nubibus circumsepta in obscura tendebas, & ad æternas tenebras rapidis fluctibus vitiorum agitata, festinabas. Et ecce redemptor tuus cœcatis luminibus collyriam suæ Incarnationis apposuit, vt quæ Deum in secreto maiestatis fulgentem videre non poteras, Deum in hominem apparentem aspiceres, aspiciendo agnosceres, agnoscendo diligeres, diligens summo studio ad eius gloriam peruenire satageres. Incarnatus est, vt te ad spiritualia reuocaret. Mutabilitatis tuæ particeps factus est, vt te suæ incommutabilitatis participem faceret. Inclinauit se ad humilia tua, vt te sublimaret ad excelsa sua.

2. De virginitatis integritate natus est, vt præuaricaticis naturæ corrupta sanaret. Circumcisus est, vt omnia peccatorum vitiorumque superflua, hominem abscindere à se debere doceret. Oblatus est in templo, & à sancta vidua suscepitus, vt fideles suos domū Dei frequentare, & vt eum mereantur suscipere, studio sanctitatis intendere moneret. A Simeone sene suscepitus, atque laudatus est,

ut vitæ grauitatem & morum maturitatem
se diligere patefaceret. Baptizatus est, ut no-
stri baptismatis Sacraenta sanctificaret. In
Iordanem sub manu Ioannis se ad baptismum
inclinans, paternam vocem audiuit, & Spir-
itus sancti in columba aduentum suscepit; vt
nos doceret in humilitate mentis (qua per
Iordanem notatur; Iordanis enim, descensio
eorum interpretatur) debere consistere, ibi-
que superni Patris honorari colloquio, de
quo dicitur, *quia cum simplicibus sermocinatio-
eius*, & Spiritus sancti præsentia sublimari,
qui super humiles requiescit. Et hoc sub
manu Ioannis, qui Dei gratia dicitur, vt ei-
dem gratiæ, quicquid à Deo percipimus, non
nostris meritis adscribamus. Quadraginta
dierum completo ieunio, diabolum cum suis
tentamentis superans, Angelico est ministe-
rio glorificatus; edocens nos, toto vitæ præ-
sentis tempore delectationes rerum tempo-
ralium declinando, mundum cum suo prin-
cipe pedibus nostris substernere, & sic Ange-
licis præsidiis communiri. Regnum Dei præ-
dicando, diebus cum populo commoratur, &
confluentes turbas miraculis & verbis ædifi-
cat: noctibus montem frequentans orationi-
bus vacat; admonens nos pro congruentia
temporis, nunc proximis inter quos viuimus,
verbis & exemplis pro modulo nostro vitæ
viam demonstrare, nunc solitudinem mentis
adeuntes & virtutum montem ascendentes,
dulcedini supernæ contemplationis inhiare,
& inten-

& intentionem nostram infatigabili affectu
in superna dirigere. In monte coram Petro
& Iacobo & Ioanne transfiguratur; insinuans
nobis quod si tanquam Petrus (qui agnoscens
interpretatur) nostram infirmitatem humili-
ter agnoscere , si vitiorum supplantatores
(quod Iacobus sonat) fieri, si Dei gratiæ (quaæ
per Ioannis nomen innuitur) fideliter nos
submittere studuerimus ; ad Iesu gloriam
contemplandam illum cœlestem montem,
eodem rege nostro duce , fœliciter consen-
demus. In Bethania (quod domus obedien-
tiæ interpretatur) Lazarum suscitauit; osten-
dens omnes qui bonæ voluntatis studio huic
mundo morientes, in finu obedientiæ requie-
scunt , in vitam æternam ab eo resuscitan-
dos. Corpus & sanguinem suum discipulis
suis in coena mystica tradens, eorum pedes
humiliter lauit ; docens sacrosancta ministe-
ria, mundis operibus & pia mentis humili-
tate celebranda. Resurrectionis sacræ gloria
sublimandus, ludibria perfidorum, asperita-
tem verborum, crucis opprobriū, fellis ama-
ritudinem , & ad ultimum mortem sustinuit;
admonens suos , vt si post mortem ad glo-
riam peruenire contendunt , vitæ præsentis
angustias & labores, prauorūmque oppressi-
ones , non solùm æquo animo tolerent , sed
omnia huius mundi aspera , pro præmiis æ-
ternis ament , appetant & gratanter susci-
piant.

3 Hæc itaque tam præclara, tam immensa
tui

eui conditoris erga te beneficia , si dignè cogitare, si deuotè amplecti, si feruida charitate initari studueris , non modò bona per primum parentem amissa recuperabis, sed multò potiora, per ineffabilem Saluatoris tui gratiam , æternaliter possidebis. Ipse namque Deus tuus , per Incarnationis mysterium factus frater tuus , quid tibi inenarrabilis gaudij causauerit, dum naturam tuam super omnem creaturam videris in eo exaltatam ?

Quod orandum sit, ut de lacu miseria eripias, & de luto facias.

IX.

Quid ergo iam restat, nisi vt iis omnibus dignè consideratis, modis omnibus ad hæreditatem tantorum bonorum, mentem succendas, ipsumque qui te ad talia possidenda creauit, continua supplicatione depositas, *ut de lacu miseria, & de luto facias eripiat*, & tantæ beatitudinis possessorem efficiat ? Quid est autem *lacus miseriae*, nisi profunditas cupiditatis mundanæ ? Et quid est *lутum facis*, nisi foetor carnalis voluptatis ? Hæc enim sunt duo retinacula , quibus humanum genus ne ad beatam supernæ contemplationis tendat libertatem , flenda contritione præpeditur ; cupiditas scilicet & voluptas. Verè enim *lacus miseriae* est cupiditas mundana , quæ mentem quam suo dominio subiicit, per innumera desideria, velut quibusdam

dam vinculis in profundum vitiorum trahit,
nec eam requiem ullam habere permittit.
Mens námque hominis , cupiditatis oppressa
iugo, amore rerum visibilium extra se spargi-
tur, & per diuersas animi passiones raptatur.
Deuastant illam labor in acquirendo , anxie-
tas in multiplicando , gaudium in possiden-
do, timor amittendi, dolor cum amiserit, nec
in quantis periculis sit , omnino eam videre
permittunt.

2 Hic est lacus miserix, quem tantis malis
mundana cupiditas non desinit implere. De
hoc lacu beatus David se gratulabatur ere-
ptum, cùm gratias agens loqueretur, & dice-
ret: *Eduxit me de lacu misericordiae, & de luto facies.*
Quid est lumen facies? Delectatio immundæ
voluptatis. Exclama ergo fortiter cum beato
David, & dic creatori tuo: *Eripe me de luto, ut
non infigar.* Terge cor tuum ab omni inqui-
namento carnalis delectationis, cogitationes
immundas ab animo tuo exclude, si huius lu-
ti sordes cupis euadere. Sed cum pœnitendo,
confitendo , flendo , & sanctas cogitationes
cordi tuo sedulè ingerendo, euaseris, inde ne
recidas , sed totis præcordiis ante Deum su-
spira, eius clementiam deprecans , vt statuat
supra petram pedes tuos , id est , affectiones
cordis tui, Christi virtutibus solidet; vt collo-
cet se mens tua supra firmamentum iustitiae,
constanter Christo adhærens, de quo dicitur,
quod factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia,
& sanctificatio. Ora etiam vt dirigat gressus
tuos

22 *Meditatio S. Anselmi*
cuos ne reflectantur in vitia, sed in præceptis
cœlestibus inflexibili statu proficiant, & ad
beatam Angelorum patriam tota intentione
festinent.

3 Sed tali directione sublimatus, noli esse
piger in laude creatoris, sed eius clementiam
supplica, vt immittat in os tuum canticum
nouum, ut digna deuotione carmen Deo no-
stro decantes. Dignum est enim, vt per vitæ
nouitatem Deo sociata, canticum in eius lau-
dibus resones nouum, contemptis tempora-
libus, sola æterna desiderans, nec iam timore
pœnæ, sed amore iustitiae, diuinæ legi ob-
temperans. Hoc est enim canticum nouum
Deo cantare, veteris hominis studia contere-
& noui hominis vias quas filius Dei mundo
demonstrauit, toto conatu cordis, solo desi-
derio vitæ permanentis incedere. Carmen
quoque decantat, qui gaudia illa patriæ cœ-
lestis in memoria puræ mentis retentat, & ad
eadem, conscientia sanctæ vitæ suffultus, &
supernæ gratiæ dono subnixus, satagit per-
uenire.

Consideratio misericiarum huīus vitæ.

X.

I Nter hæc autem miserias vitæ præsentis
I perpende, & cum quanta cautela in ea
tibi viuendum sit peruiligi corde reuolue.
Considera te de illius esse consortio, de quo
Scriptura dicit, *viro cuius abscondita est via, &*
circum

circumdedic eum Dominus tenebris. Verè enim profunda ignorantiae cæcitate circumdaris, qui nescis quomodo Deus penset opera tua, & qualem finem sis habiturus, ignoras. Nescit homo, ait Salomon, virum odio, an amore dignus sit, sed omnia seruantur usque in finem incertam.

2 Pone in animo tuo te videre aliquam vallem profundam, tenebrosam, omne genus tormentorum in fundo habentem. Cogita desuper pontem unum, longo spatio extensem, in latitudine tantum unius pedis mensuram tenentem. Hunc igitur tam strictum, tam altum, tam periculosum pontem si quilibet transire cogeretur; cuius oculi ligarentur ne gressus videret; cuius manus retro constringerentur, ne vel baculo iter suum palpando regere posset; quid timoris, quidve angustiarum putas in animo gereret? Essetne illi aliquis locus lætitiae, iucunditatis, siue lasciviae? Non puto. Anferretur omnis superbia, vana gloria fugaretur, solius mortis in mente tenebrosa caligo versaretur. Adhuc cogita crudelium auium monstra circa pontem volitantia, & in profundum transeuntem pertrahere cupientia, nonne timor augebitur? Quid si eo transeunte, semper à talo tabulæ subtrahantur? Nunquid non transeunti major sollicitudo incutietur?

3 Sed exemplum tale, quid sibi velit, agnoscere, & mentem tuam diuino tempore sollicitus astringe. Vallem profundam & tenebrosam,

sam, infernum intellige, sine mensura profundum, & tenebrosa caligine horribiliter obscurum. Ibi omne genus tormentorum confluit. Ibi omne quod demulcet, abest, & omne quod terret & cruciat, & quod angustias inferre potest, præstò est. Pons periculosus, de quo qui malè transit, inferius præcipitatur, vita præsens est, in qua qui malè viuit, ab illa cadens, ad inferna descendit. Tabulæ quæ post transeuntes subtrahuntur; singuli sunt dies vitæ nostræ, qui sic prætereunt, ut nunquam reuertantur, sed diminutione sui, nos semper vrgent ad finem, & ad terminum festinare compellunt. Aues circa pontem volitantes, & transeuntibus infidiantes, maligni spiritus sunt, quorum omne studium est, homines à rectæ viæ statu deiicere, & ad profunda inferni præcipitare. Nos ipsi transeuntes sumus, ignorantia caligine cæci, & difficultate bene operandi velut graui catena ligati, ne liberos ad Deum sanctæ vitæ gressus dirigere possimus.

4 Attende igitur si non summo studio in tanto discrimine tibi ad creatorem tuum clamandum sit, quo eius munita præsidio inter aduersariorum turmas fiducialiter cantes: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timabo?* Illuminatio videlicet contra cæcitatem, salus contra difficultatem. Hæc enim duo mala sunt, in quibus primus parens nos deiecit, ignorantia & difficultas, ut nec quid tendimus, nec quid agendum sit, videamus; & cum

cum ex aliqua parte viderimus, difficultate, præpediti, nec ipsum quod recte nouimus, implere possimus. Hæc meditare anima mea, hæc cogita, in iis quotidie se mens tua exerceat. Iis intenta à rerum inutilium curis & cogitationibus se auocet, & totam se ad hæc mala fugienda, & ad æterna bona capessenda, sancti timoris & beati amoris igne succendat.

De corporibus spiritibus viduatis.

XL.

AD te iam redeo, dulcissime creator, & benignissimè redemptor, formator & reformator meus, votis supplicibus tuam implorans pietatem, ut doceas cor meum vitali timore, & salutari tremore considerare, quam fœtida & quam lugubri conditione caro mea post obitum, spiritu quo ad præsens vegetatur viduata, putredini & vermibus tradatur consumenda. Vbi tunc erit, si qua modo est, de qua superbit, pulchritudo eius; exquisitæ quibus nunc defluit deliciæ illius; delicati artus? Nonne tunc verè implebitur in ea illud propheticum. *Omnis caro fænum, & omnis gloria eius tanquam flos fæni?* Cludentur oculi ad interiora capitis reflexi, quorum sæpè vanis & perniciosis vagationibus delectabar. Iacebunt horrendis tenebris obducti, qui modò pro luce vanitates gaudent haurire. Patebunt aures, vermis mox replendæ,

quæ nunc detractionis voces, & sœculares rumores, damnabili iucunditate suscipiunt. Stringentur dentes miserabiliter obserati, quos soluit edacitas. Putrescent nares, quæ nunc variis odoribus delectantur. Squallore fœtido labia horrebunt, quæ stulto cachinno frequenter dissolui gaudebant. Ligabitur lingua tabida sanie, quæ sœpè inanes fabulas proferebat. Arctabitur guttus, & venter saturabitur vermibus, qui variis escis crebro distenti sunt.

z Quid commemorem singula? Tota illa composito corporis, cuius sanitati, cuius cōmoditati, cuius voluptati omnis penè cura inuigilat, in putredinem, in vermem, postremò in abiectissimum puluerem dissoluetur. Vbi ceruix erecta? Vbi iactantia verborum, ornatus vestium, varietas deliciarum? Velut somnium euanuerunt, omnia vltterius non redditura transferunt, & amatorem sui, miserrimum reliquerunt.

De animabus corporibus exutis.

XII.

*D*eus bone quid est quod intueor? Ecce occurrit timor timori, dolor dolori. Post separationē sui à corpore, nōnne anima à multitudine occursantium dæmonum, qui eius accusationes exaggerent, circumfundetur, & usque ad minimam negligentiam de omnibus exquiretur? Veniet princeps mundi huius

huius cum satellitibus suis, furore rabidus, callidus ad circumueniendum, ad mentendum pronus, maleuolus ad accusandum, quæcunque potest contra eam vera ex perpetratis malis proferens, multa falsa confingens. O tremenda hora, o examen horridum. Hinc iudex districtus ad iudicandum, inde aduersarij procaces ad accusandum. Stabit anima sola sine consolatore, inde solatum solum capiens, si eam bonorum operum conscientia defendit.

Sed in tanta distinctione vbi omnia nuda apparebunt, quis gloriabitur castum se habere cor? Si iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi parebunt? Tunc laudantium labia cessabunt, adulatorum lingua non proderit, vana gloria seductrix probabitur fuisse. Fugiet inepta lætitia, dignitatum pompa fugabitur, honoris ambitio plena deceptionis fuisse videtur. Beata illa anima, quam in tali discrimine, innocentiae conscientia protegit, sanctitatis memoria defendit, Quam adhuc in carnae positam piæ compunctionis vnda sœpiùs abluit, confessionis diligentia decorauit, sacræ legis meditatio illuminauit. Quam humilitas mitem, tranquillam patientia, obedientia à propria voluntate vacuam reddidit, & charitas ad omnis virtutis exercitium feruidam fecit. Talis anima tremendam illam horam non formidabit, nec confundetur cum loquetur inimicus suis in porta. Sociabitur enim illis, de quibus Scriptura

B 2 dicit:

28 *Meditatio S. Anselmi*
dicit: cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæ-
reditas Domini.

*Retractatio diei iudicij, vbi hœdi ad sinistram
constituentur.*

XIII.

1 **I**am verò de terrore illo extremi iudicij
quis dicere aliquid valeat, vbi oues ad
dexteram, hœdi ad sinistram statuentur?
Quis tremor erit, vbi virtutes cœlorum mo-
uebuntur? Quæ rerum confusio, qui ge-
mitus, qui clamores violentium, cùm vox
illa terribilis negligentibus opponetur,
*Discedite à me maledicti in ignem æter-
num.*

2 Verè dies iræ dies illa, dies tribulationis
& angustiæ, dies nebulæ & turbinis, dies tu-
bæ & clangoris. Verè tunc vox diei amara,
tribulabitur ibi fortis. Quia qui mente su-
perba diuinam voluntatem contemnentes
modò de prosecutione propriæ voluntatis
gloriantur, tunc perpetuus ignis inuoluet, qui
nunquam extinguetur; & vermis depascet
qui non morietur; & ascendet fumus tor-
menti eorum, in sœcula sœculorum.

Retra

*Retractatio gaudij, ubi oues ad dexteram
statueruntur.*

XIV.

I **H**is autem lugentibus, & præ angustia spiritus diros cordis rugitus emitentibus ; quid putas gaudij & exultationis erit beatis illis, qui ad dexteram Dei constituti, vocem illam fœlicissimam audituri sunt, quæ dicetur illis, *Venite benedicti Patris mei, posside-*
te regnum quod vobis paratum est ab origine
mundi ? Tunc verè vox exultationis, & salu-
tis, morabitur in tabernaculo iustorum. Tunc
Dominus humilium eriget caput, qui modò
pro eo viles & abieoti esse non dedignantur.
Medebitur contritis corde, & perpetuis gau-
dii consolabitur pro suo desiderio in hac pe-
regrinatione lugentes. Apparebit inefabile
præmium eorum, qui pro sui conditoris amore,
proprias se lætabuntur abiecisse voluntates.

2 In illa die obedientium capita corona cœlestis circumdabit, & patientium gloria inerrabili splendore fulgebit. Ibi charitas milites suos Angelorum societate ditabit, & cordis puritas amatores suos conditoris fœlicissima visione beatificabit. Tunc ostendet se Deus omnibus dilectoribus suis, & æterna securitate in perpetuum sublimabit. Tunc verè ab electis omnibus cantabitur : *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæ-*
culorum laudabunt te. Cuius laudis particeps

nos facere dignetur qui cum Patre & Spiritu
sancto viuit & regnat Deus per omnia saecula
saeculorum. Amen.

M E D I T A T I O I I .

*De terrore indicij ad incutiendum timorem,
qua alias inscribitur liber de
miseria hominis.*

TERRIT me vita mea. Namque
diligenter discussa, apparet mihi
peccatum, aut sterilitas ferè tota
vita mea: & si quid fructus in ea videtur, sic
est aut simulatum, aut imperfectum, aut ali-
quo modo corruptum: ut possit aut non pla-
cere, aut displicere Deo. Ergo ô peccator,
vita tua iam ferè tota, aut in peccato est, aut
damnabilis, aut infructuosa, & contemptibi-
lis. Sed quid separo infructuosam à damna-
bili? Vtique, si est infructuosa, est & damna-
bilis. Constat enim & verum esse, quod Ve-
ritas Dei dixit: Omnis arbor, qua non fuerit fru-
ctum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.
Denique si quid ago vtile, prorsus nullatenus
illud compenso alimentis corporis, quibus
abutor. Sed quis pascit pecus, quod nec tan-
cum prodest, quantum consumit? & tamen tu
benignus Deus, tu nutris, & expectas tuum
vilem vermem, & foetentem peccatis. Quam
tolera

tolerabilius canis putridus, foetet hominibus,
quam anima peccatrix Deo; quam infelicius
ista Deo, quam ille hominibus! Heu non ho-
minem, sed opprobrium hominis, vilius pe-
core, peius cadavere. Tendet animam meam
vitæ meæ, vivere erubesco, mori pertimesco.
Quid ergo restat tibi ô peccator, nisi ut in tua
tota vita plores vitam tuam, ut ipsa tota se
ploret totam?

2 Sed est in hoc quoque anima mea misera-
biliter mirabilis, & mirabiliter miserabilis:
quia non tantum dolet, quantum se noscit:
sed sic secura torper, velut quid patiatur
ignoret. Anima sterilis, quid agis, quid tor-
pes anima peccatrix? Dies iudicij venit, iuxta
est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis
dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angu-
stiaæ, dies calamitatis & miseriae, dies tenebra-
rum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies
tubæ & clangoris. O vox diei Domini ama-
ra. Quid dormitas animæ tepida & digna
euomi? quid dormitas? qui non exergiscit
tur, qui non tremit ad tantum tonitruum,
non dormit, sed mortuus est. Arbor infru-
ctuosa, ubi sunt fructus tui? arbor digna se-
curi & igne, digna succidi & succendi, qui
sunt fructus tui? Vtique spinæ pungentes &
amara peccata, quæ utinam sic te poenitendo
pungerent, ut confringerentur: sic amaresce-
rent, ut euanescerent.

Forsitan paruum quid putas peccatum ali-
quod? utinam districtus iudex paruum existi-

maret aliquod peccatum. Sed heu me; nonne omne peccatum per prævaricationem Deum exhonora? Quod ergo peccatum peccator audebit dicere parvum? Deum enim exhonorable, quando est parvum? O lignum aridum & inutile, æternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cum exigetur à te usque ad ictum oculi omne tempus viendi tibi impensum, qualiter fuerit à te expensum? Tunc quippe condemnabitur quicquid fuerit inuentum in te operis, vel otiosi sermonis & silentij usque ad minimam cogitationem: etiam quod vixisti, si non fuerit ad Dei voluntatem directum. Væ quot peccata ibi prouent ex improuiso, quasi ex insidiis, quæ modò non vides? Certè plura, & fortassis terribilia his quæ nunc vides. Et quæ non esse mala putas, & quæ nunc esse bona credis, nudata facie, apparebunt ibi nigerima peccata: Ibi proculdubio recipies prout gessisti in corpore; tunc cum iam non erit tempus misericordiæ, tunc cum poenitentia non recipietur, tunc cum emendatio non permitetur.

3 Hic cogita quid gessisti, quid oporteat te recipere. Si multa bona, pauca mala, multum gaude, si multa mala, pauca bona, multum luge. O utilis peccator; an non sufficiunt tibi hæc ad immanem rugitum? an non sufficiunt ad eliciendum sanguinem, & medullas in lacrymas? Væ mirabilis duritia, ad quam confringendam leues sunt tam graves mali.

lei. O insensibilis torpor, ad quem concitandum sunt obtusi tam acuti aculei. Proh lethalis sopor, ad quem excitandum raucum est tam terrificum tonitruum. Peccator inutilis, satis hæc tibi debent esse ad continuandum luctum: sufficere tibi possunt ad sorbendas iuges lacrymas. Sed cur debeo de grauedine, & de magnitudine imminentis miseriæ quicquam dissimulando, tacere, & oculis animæ meæ furari lacrymas? An ut improuisè irruant repentini dolores, & subito ingruat intolerabilis tempestas? Certè non sic expedit peccatori. Si enim dixero, quicquid potero excogitare, non ad id quod res est, poterit comparari. Igitur deducant oculi mei lacrymas per diem & noctem, & non taceant. Auge ergo peccator, auge superioribus ærumnis pondus, adde terrorem super terrem, v lulatum super v lulatum: ipse te iudicabit, ad cuius contumeliam spectat, quicquid inobediens Deo, aut prævaricator peccat: qui mihi bonum pro malo reddidit, cui ego malum pro bono: qui nunc patientissimus, tunc districtissimus, clementissimus nunc, iustissimus tunc.

4 Heu me, heu me, cui peccaui, Deum in honoraui, omnipotentem prouocaui. Peccator quid feci? cui feci? quam male feci? Væ, vae; ô ira omnipotentis ne irruas super me. Ira omnipotentis ubi poteris capi in me? Non est quod te possit tolerare, in toto me, ô angustiar; hinc erunt accusantia peccata, inde

terrens iustitia, subtus patens horridum chaos
 inferni, de super iratus iudex, intus vrens con-
 scientia, foris ardens mundus. Iustus vix sal-
 uabitur, peccator sic deprehensus in quam
 partem declinabit? se premet? Constrictus
 vbi latebo, quomodo apparebo? Latere erit
 impossibile, apparere intolerabile. Illud de-
 siderabile, & nusquam erit; istud timebo &
 terribiliter erit; istud execrabor, & semper
 erit. Quidquid tunc, quid erit tunc; quis
 eruet me de manibus Dei? vnde mihi consi-
 lium; vnde salus? Quis est, qui dicitur magni
 consilij Angelus: qui dicitur saluator, ut no-
 men eius vociferer? iam ipse est, iam ipse est
 Iesus, ipse idem est iudex, inter caius manus
 tremo.

5 Respira iam ô peccator, respira, ne de-
 speres, spera in eo quem times. Confuge ad
 eum à quo aufugisti: Inuoca importunè,
 quem superbè prouocasti: Iesu, Iesu, propter
 hoc nomen tuum, fac mihi secundum nomen
 tuum. Iesu, Iesu, obliuiscere superbum pro-
 uocantem, & respice miserum inuocantem.
 Nomen dilectum, nomen delectabile, nomen
 confortans peccatorem, & beatæ spei. Quid
 enim est Iesus, nisi Saluator? Ergo Iesu, pro-
 pter temetipsum esto mihi Iesus, qui me crea-
 sti, non perimas: qui me redemisti, ne con-
 demnes: qui me creasti tua bonitate, ne peri-
 mas opus tuum mea iniquitate. Rogo piissi-
 me, ne perdat mea iniquitas quod fecit tua
 omnipotens bonitas. Recognosce benignif-
sime

sime, quod tuum est, & absterge quod alienum est. Iesu, Iesu miserere, dum tempus est miserendi; ne damnes in tempore iudicandi. Quæ namque tibi vtilitas in sanguine meo, si descendero in æternam corruptiōnem? Neque enim mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Si me admiseris intra latissimum tuæ misericordiæ finum, non eris angustior propter me Domine. Admitte ergo ô desideratissime Iesu, admitte me intra numerum electorum tuorum: ut cum illis te laudem, te perfuer, & gloriēt in te inter omnes qui diligunt nomen tuum: Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto gloria-ris per interminata fœcula. Amen.

M E D I T A T I O I I I .

Deploratio amissæ virginitatis.

I **A**NIMA mea, anima ærumnosa,
anima, inquam, misera miseri ho-
munculi: excute torporem tuum,
& discute peccatum tuum, & concute men-
tem tuam, reduc ad cor, enorme delictum, &
produc de corde immanem rugitum. Inten-
de infelix, intende sceleris tui horrorem, &
protende horrificum terrorem, & terrificum
dolorem. Tu inquam, quæ quondam candi-
da cœlesti lauacro, dotata Spiritu sancto, in
Christianæ professione iurata, virgo fuisti
Christo despensata. O unde memini. O quem

nominaui ; vtique non tam benignum sponsum virginitatis meæ , quæm terribilem iudicem immunditiæ meæ . Heu memoria perditæ iucunditatis , cur sic superaggrauas pressuram possidentis infoelicitatis ? quæm misera fors flagitiosi hominis , cui & bonū & malum pariter sunt in tormentum ? Torquet enim me mala conscientia , & cruciatus eius in quibus timeo me arsurum : torquet me bonæ conscientiæ & præmiorum eius memoria , quæ scio me perdidisse , nec amplius recuperaturum . Væ miserum perdere , dolendum perdere id perdere irrecuperabiliter , quod seruari debuit interminabiliter . Heu inconsolabile perdere , illud perdere quod non solum est , damnosum bonorum , sed insuper est lucrosum tormentorum .

2 O virginitas iam non dilecta mea , sed perdata mea : iam non iucunda mea , sed sordida mea , quò deuenisti ? in quæm fœtido , in quæm amaro cœno me dereliquisti ? O fornicatio sordidatrix mentis meæ , perditrix animæ meæ ; vnde misero subrepisti , de quæm nitido , de quæm iucundo statu me præcipitasti ? Hinc vris me ò amare moeror , quia illud est amissum : hinc angis me ò grauis dolor , & timor magnus , quia istud est admissum . Hinc est damnum inconsolabile , hinc tormentum intolerabile . Væ hinc , & væ illinc . Sic sic pariter bonum & malum ; sic vtique iam iustè punitis adhuc viuentem miserum malum . Dignè , certè dignè . Tu namque anima mea

mea perfida Deo, periura Dei, adultera ~~UNIVERSITATIS~~
sti, libenter de virginitatis sublimitate, miser-
abiliter es denissa in barathrum fornicatio-
nis. Tu illa olim despontata regi cœlorum,
audenter facta es scortum tortoris taifaro-
rum. Heu abiecta à Deo, projecta diabolo:
imò abiiciens Deum, amplectens diabolum.
Tu enim, tu miseria mea, meretrix obstinata
fornicatrix impudens; tu prior amatori &
creatori tuo Deo, repudium obtulisti, & ad
insidiatorem & perditorem tuum dæmonem,
te sponte contulisti. O miserrima, & plus-
quam miserrima commutatio.

3 Heu de quam sublimi cecidisti, in quam profundum corruisti. Vx quam benignum contempsti: quam maligno te iunxisti. Quid fecisti ô mentis amentia, amens spurcitia, spurca nequitia, quid fecisti? In cœlo dereliquisti castum amatorem tuum, & in infernum sequuta es odiosum corruptorem tuum: & in barathro parasti non thalamum, sed prostibulum tuum. Horror mirabilis, quam peruersa voluntas? Miraculum horibile, quam voluntaria peruersitas? Vnde mihi Deus tantæ prauitatis corruptio? vnde tibi Deus tanti sceleris satisfactio? Præcipitare miser homuncio in tenebrosum profundum immoderatae incestitiae, qui sponte præcipitus es in barathrum horrendæ nequitiae. Obruere mole nequitiae. Obruere infelix mole terribilis doloris, qui corruisti libens in cœnum infernalis fœtoris. Obuoluere ærumnose horridis.

horridis tenebris inconsolabilis luctus , qui volens prouolutus es in voraginem tam sordidi luxus. Volutare in gurgite amaritudinis , qui delectatus es in volutabro turpidinis.

4 Terror horribilis,dolor terribilis , mœror inconsolabilis,aggerate vos super me, irruite,obruite,perturbate, obuoluire , pessundate. Iustum est, iustum est. Impudenti audacia contempsi vos, & pudenti delectatione prouocaui vos, imò Deum, non vos, & nunc miserabili poenitentia desidero vos. Torquete reum,vindicate Deum. Præsentiat fornicator infernalia tormenta quæ meruit,prægustet quod præparauit , assuescat quod est passurus. Extende,produc,immoderately peccator, luctuosam poenitentiam,qui tam longè produxisti tui sceleris immunditiam. Reuoluere , & reuoluere in eundem turbinem amaritudinum , qui totiens reuolutus es in eandem voraginem libidinum. Consolatio, securitas,lætitia,nolo vos,renuo vos,nisi peccati venia reduxerit vos. Procul estote,procul estote ante mortem,nisi forte indulgentia renocaret vos: mihi,vel post mortem,vt continua poenitentia amara comes ætatis meæ; vt acutus dolor insanabilis, tortor vitæ meæ. Sint mœror & acerbus luctus , infatigabiles tribulatores iuuentutis & senectutis meæ. Utinam,utinam ita sit, opto, oro, desidero ut ita sit. Si enim non sum dignus oculos ad cœlum orando leuare, certè non sum dignus eos

eos vel plorando cæcare. Si confunditur mens mea orare pudore conscientiæ, æquum est ut confundatur turbine luctuosi doloris & tristitiae. Si timet exhiberi ante conspectum Dei sui, iustum est ut habeat ante conspectum suum tormenta sceleris sui.

5 Cogitat igitur & recogitat cor meum, quid fecit, quid meruit. Descendat, inquam, descendat ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine mens mea, & consideret quæ ibi expectent scelerosam animam meam, intendat & contempletur, videat & conturbeatur. Quid est Deus, quid est quod animaduerto in terra miseriae & tenebrarum? Horror, horror. Quid est quod intueor, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? Heu confusio vulantium, tumultus dentibus stridentium, inordinata multitudo gementium, vœ, vœ, quot & quot vœ? Vœ ignis fulphureus, flamma tartarea, & caliginosa volumina; quam terrifico rugitu video vos rotari vermes in igne viuentes. Quæ diræ auditas redeundi sic vos accedit, quos ille ignis ignium non incendit. Dæmones coardentes, frementes ardore, frenientes furore, cur sic crudeles estis his qui volantur inter vos? O immoderata tormenta, iustitia moderata, ad sustinendum immoderata, siccine nullus modus, nullum remedium, nullus finis temperabit vos? Hæc sine sunt magne Deus, quæ parata sunt fornicatoribus, & contemptoribus tui, quorum ego unus sum? Ego, ego utique

6 Anima mea expauesce , mens mea defice, cor meum scindere. Quò me rapitis exactores sceleris mei ? Quò me tradis peccatum meum, quò me trudis Deus meus? Si feci ut essem reus tuus , nunquid potui facere ut non essem creatus tuus ? Si mihi castitatem meam ademi , nunquid tibi misericordiam tuam peremis ? Domine Domine si ego admisi unde me damnare potes , tūne amisisti unde saluare soles? Noli Domine,noli sic attendere malum meum , ut obliuiscaris bonum tuum. Vbi est ô verax, ô verax Deus ? Vbi est, viuo ego,nolo mortem peccatoris, sed ut magis conuertatur & viuat ? Domine, qui non mentiris; Domine, quid est nolo mortem peccatoris? si tu sepelis in inferno ad te clamantem peccatorem ; an detrudere peccatorem in gchennam, est, nolo mortem peccatoris? An hoc est , volo ut conuertatur peccator & viuat ? Peccator sum ego Domine, peccator sum ego. Si ergo non vis peccatoris mortem, quis te cogit , qui non vis ut me iradas ad mortem ? Si vis ut conuertatur peccator & viuat, quid te prohibet facere quod vis, ut me conuertas,& viuam ? An immanitas peccati mei cogit te quod non vis , & prohibet quod vis, cum sis omnipotens Deus ? Absit Deus meus. Absit Domine Deus meus, ut preualeat nequitia peccatoris confitentis & dolentis,fententiæ omnipotentis.

7 Memento iuste, sancte, & benigne Deus:

Me

Memento quia misericors es , & creator & recreator meus. Ne ergo memineris bone Domine , iustitiae tuæ aduersus peccatorem tuum, sed memor esto benignitatis tuæ erga creaturam tuam : ne memineris iræ aduersus reum , sed memor esto miserationis erga miserum. Verum est , quia conscientia mea meretur damnationem , & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem. Sed certum est, quia misericordia tua superat omnem offenditionem : parce ergo tu bone Domine, cuius est salus, & qui non vis mortem peccatoris ; Parce peccatricei animæ meæ. Fugit enim exterrita anima mea à terrente iustitia tua, ad confortantem misericordiam tuam, ut quoniam præmium virginitatis corruptæ, ô dolor, est irrecuperabile, saltem supplicium fornicationis pœnitenti non sit ineuitabile : quia non est impossibile omnipotentiæ tuæ, nec indecens iustitiæ tuæ, nec insolitum misericordiæ tuæ, quoniam bonus es , & quoniam in æternum misericordia tua, qui es benedictus in sæcula. Amen.

M E D I T A T I O I V.

De redemptione humana. aliás de veritate salvationis.

I N I M A Christiana , anima
de graui morte resuscitata, anima
de misera seruitute Christi
sanguine redempta & liberata,
excita mentem tuam, memento resuscitatio-
nis tuæ : recogita redemptions & libera-
tionem tuam : retræcta ubi & quæ sit virtus
saluationis tuæ; versare in meditatione eius,
delectare in contemplatione eius , excute fa-
stidium tuum, fac vim cordi tuo ; intende in
hoc mentem tuam, gusta bonitatem Redem-
ptoris tui , accendere in amorem Saluatoris
tui : mande fauum verborum , suge plus
quam mellitum saporem, gluti salubrem dul-
corem ; mande cogitando, suge intelligendo,
gluti amando & gaudendo , lætare manden-
do, gratulare fugendo, iocundare glutiendo.
Vbi ergo & quæ est virtus & fortitudo tuæ
Saluationis ? Certè Christus te suscitauit :
Ille bonus Samaritanus te sanauit. Ille bo-
nus amicus anima sua te liberauit. Christus,
inquam. Ergo virtus salvationis tuæ, virtus
est Christi. Vbi est virtus Christi ? Utique
cornua in manibus , ibi abscondita est fortitudo
eius. Cornua quidem in manibus eius, quia bra-
chiis crucis confixa sunt manus eius ; Quæ
autem fortitudo in tanta infirmitate ? Quæ
altitudo



altitudo in tanta humilitate? Quid venerabile in tanto contemptu? Sed certè ideo absconditum, quia in infirmitate: & ideo celatum, quia in humilitate. Ideo occultum, quia in contemptu. *O fortitudo abscondita,* hominem in cruce pendentem suspendere mortem æternam, genus humanum prementem: hominem in ligno confixum, defigere mundum perpetuae morti affixum. *O celata potestas,* hominem damnatum cum latronibus, saluare homines damnatos cum dæmonibus: hominem in patibulo extensum, omnia trahere ad seipsum: ô virtus occulta, unam animam emissam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno; hominem mortem corporis suscipere, & animarum mortem perimere.

2. Cur bone Domine, pie Redemptor, potens Saluator, cur tantam virtutem operuisti tanta humilitate? An ut falleres diabolum, qui fallendo, hominem deiecit de paradyso: Sed vtique veritas nullum fallit. Qui ignorat, qui non credit veritatem, ipse se fallit. Qui videt veritatem, & odit, & contemnit, ipse se fallit. Veritas itaque nullum fallit. An ideo, ut ipse diabolus se falleret? Sed vtique sicut veritas nullum fallit, ita non intendit ut aliquis se fallat; quamuis hoc dicatur facere cùm permittit. Non enim assumpsisti hominem, ut te notum operires, sed ut ignotum aperires. Verum Deum, verum hominem te dixisti, & operibus ostendisti. Res per se

se occulta fuit, non studio occultata, non sic est facta ut absconderetur, sed ut suo ordine perficeretur, nec ut aliquem deciperet, sed ut quemadmodum oportebat, fieret. Et si dicitur occultata, non est aliud quam quod non est omnibus reuelata. Nam etsi veritas non omnibus se manifestat, nulli tamen se negat.

3 Ergo Domine, nec ut falleres, nec ut aliquis se falleret, sic fecisti, sed ut faceres quod & quomodo faciendum erat, per omnia in veritate perfecisti. Qui ergo se fecellit in tua veritate, non de te, sed de propria queratur falsitate. An diabolus habebat aliquid iustè aduersus Deum, vel aduersus hominem, propter quod Deus prius deberet aduersus eum pro homine hoc modo agere quam aperta fortitudine, ut dum illectum illum hominem iniustè occideret, iustè potestatem, quam super iniustos habebat, perderet? Sed certè diabolo nec Deus debebat aliquid, nisi poenam: nec homo, nisi vincere: ita ut quemadmodum ab illo se facilè permisit vinci peccando: ita illum vinceret usque ad difficultatem mortis, iustitiam integrum seruando. Sed & hoc non nisi Deo debebat homo. Nam non peccauit aduersus diabolum, sed aduersus Deum, nec homo diaboli erat, sed & homo & diabolus Dei erant. Sed & quod diabolus vexabat hominem, non hoc faciebat zelo iustitiae, sed nequitiae; nec iubente Deo, sed permittente: non diaboli potestate, sed Dei iustitia exigente. Nihil ergo erat in diabolo, cur Deus aduersus

aduersus eum ad saluandum hominem, fortitudinem suam celare aut distrahere deberet.

4 An aliqua necessitas coegerit, ut altissimus sic se humiliaret, & omnipotens ad faciendum aliquid tantum laboraret? Sed omnis necessitas & impossibilitas eius subiacet voluntati. Quippe quod vult necesse est esse; & quod non vult, impossibile est esse. Sola ergo voluntate, & quoniam omnis eius voluntas semper bona est; sola fecit hoc voluntate. Non enim Deus egebat, ut hoc modo hominem saluum faceret: sed humana natura indigebat, ut hoc modo Domino Deo satisficeret. Non egebat Deus, ut tam laboriosa pateretur: sed indigebat homo, ut sic Deo reconciliaretur, nec egebat Deus, ut sic humiliaretur: sed indigebat homo, ut sic de profundo inferni erueretur. Diuina natura humiliari aut laborare nec eguit, nec potuit, haec omnia ut ad hoc restitueretur, propter quod facta erat humanam naturam necesse erat facere.

5 Sed nec illa, nec quicquid Deus non est, poterat ad hoc sufficere. Nam homo ad quod institutus est non restituitur, si non ad similitudinem Angelorum, in quibus nullum est peccatum, prouochitur: Quod est impossibile fieri, nisi omni percepta peccatorum remissione, quæ non sit, nisi præcedente integra satisfactione, quam satisfactionem talem oportet esse, ut peccator, aut aliquis pro illo, det aliquid Deo de suo, quod debitum non sit, quod supereret omne quod Deus non est. Si enim

enim peccare est Deum exhortare, & hoc homo facere non deberet; etiam si necesse esset, quicquid est quod Deus non est, perire: utique veritas immutabilis, & aperta ratio exigit, ut qui peccat, reddat aliquid Deo pro honore ablato maius, quam sit hoc, pro quo illum exhortare non debuit. **Quod** quoniam humana natura sola non habebat, nec sine debita satisfactione reconciliari poterat; sic nec illa, nec quicquid Deus non est ad hoc sufficeret.

6 Ne ergo iustitia Dei in regno suo peccatum inordinatum relinqueret, subuenit bonitas Dei, & eam in suam personam assumpsit Filius Dei: ut in ea persona esset homo Deus, qui haberet quod supereret, non solum omnem essentiam, quae Deus non est, sed & omne debitum, quod soluere peccatores debent; & hoc cum nihil pro se deberet, solueret pro aliis, qui quod debebant reddere non habebant. **Pretiosior** est namque vita hominis illius, quam omne quod Deus non est, & superat omne debitum, quod debent peccatores pro satisfactione. Si enim illius imperfectio superat omnem multitudinem & magnitudinem peccatorum, quae cogitari possunt extra personam Dei, palam est, quia vita eius magis est bona, quam omnia peccata sunt mala, quae sunt extra personam Dei. Hanc vitam homo ille cum ex debito mori non deberet, quoniam peccator non erat, sponte dedit de suo ad honorem Patris; cum eam sibi auferri propter

propter iustitiam permisit, ut exemplum hominibus aliis daret, iustitiam Dei ab illis non esse deserendam propter mortem, quam ex necessitate aliquando soluere debent: cum iste, qui eam non debebat, & seruata iustitia vitare posset; eam sibi illatam propter iustitiam sponte sustineret. Dedit itaque humana natura Deo in illo homine sponte, non ex debito quod suum erat, ut redimeret se in aliis, in quibus quod ex debito exigebatur, reddere non habebat. In omnibus his diuina natura non est humiliata, sed humana est exaltata, nec est illa imminuta, sed ista misericorditer est adiuta.

7 Nec humana natura in isto homine passa est aliquid vlla necessitate, sed sola libera voluntate. Nec alicui violentiae succubuit, sed spontanea voluntate ad honorem Dei, & utilitatem aliorum hominum, quæ illi mala voluntate sunt illata, laudabiliter & misericorditer sustinuit. Nec vlla cogente obedientia, sed potenti disponente sapientia. Non enim illi homini Pater ut moreretur cogendo præcepit, sed ille quod Patri placitum, & hominibus profuturum intellectus, hoc sponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit: nec Patri tantus honor potuit non placere, quem tam bona voluntate Filius sponte obtulit. Sic itaque Patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc, quod Patri placitum sciuit, sponte facere voluit. Denique quoniam

niam Pater illi hanc voluntatem bonam dedit, quamvis liberam: non immerito dicitur, quia eam velut præceptum Patris accepit.

8 Hoc itaque modo obediens fuit Patri usque ad mortem. Et sicut mandatum dedit illi Pater: sic fecit. Et calicem quem dedit illi Pater, babit. Hæc est enim perfecta & liberrima humanæ naturæ obedientia, cum voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit, & cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione, spontanea liberalitate opere perficit. Sic homo ille redemit omnes alios; cùm hoc, quod sponte dedit Deo, computat pro debito, quod illi debebant. Quo pretio non semel tantum à culpis homo redimitur, sed etiam quotiens cum digna pœnitentia redierit, recipitur. Quæ tamen pœnitentia peccati non promittitur. Quod quoniam in cruce factum est, per crucem noster Christus nos redemit. Qui ergo ad hanc gratiam volunt cum digno affectu accedere, saluantur. Qui verò illam contemnunt; quia debitum quod debent non reddunt, iuste damnantur.

9 Ecce anima Christiana, hæc est virtus salvationis tuæ, hæc est causa liberationis tuæ; hoc est pretium redemptionis tuæ. Captiva eras, sed hoc modo es redempta. Ancilla eras, & sic es liberata. Sic es exul reducta, perdita, restituta, & mortua resuscitata. Hoc mandat homo, hoc ruminet, hoc fugat, hoc glutiat cor tuum, cùm eiusdem Redemptoris tui carnem & sanguinem accipit os tuum:

tuum: hoc fac in hac vita quotidianum panem, & victum, & viaticum tuum: quia per hoc, & non nisi per hoc, & tu manebis in Christo, & Christus in te, & in futura vita erit plenum gaudium tuum.

io Sed ô tu Domine, tu qui ut ego viverem, mortem suscepisti. Quomodo luctabor de libertate mea, quæ non est nisi de vinculis tuis? Qualiter gratulabor de salute mea? cùm non sit nisi de doloribus tuis? Quomodo gaudebo de vita mea, quæ non est nisi de morte tua? An gaudebo de his quæ passus es, & de crudelitate illorum, qui ea tibi fecerunt? Quoniam nisi illi fecissent, tu passus non esses: Et si tu passus non esses, hæc mea bona non essent. Aut si de illis dolebo, quomodo de istis propter quæ illa fuerunt, & quæ non essent, nisi illa fuissent, gaudebo? Sed certè illorum nequitia nihil facere potuit, nisi quia tu sponte permisisti: nec tu passus es, nisi quia piè voluisti. Illorum itaque debeo crudelitatem execrari, mortem & labores tuos compatiendo imitari: piam voluntatem tuam gratias agendo amare, ac sic securè de bonis mihi collatis exultare.

ii Ergo homuncio, illorum crudelitatem dimitte Dei iudicio, & tracta de his, quæ debes Saluatori tuo. Considera quid tibi erat, & quid tibi factum sit, & pensa, qui hoc tibi fecit, quo amore dignus sit. Intuere necessitatem tuam, & benignitatem eius, & vide quas gratias reddas, & quantum debebas amo-

ri eius. In tenebris, in lubrico, in descensu subter irremeabile chaos inferni, eras immersus, & quasi plumbeum pondus pendens à collo tuo te deorsum trahiebat. Onus importabile desuper te premebat, hostes inuisibles te toto conatu impellebant. Sic eras sine omni auxilio, & nesciebas, quia sic conceptus & natus eras. O quid tibi tunc erat, & quo te ista rapiebat! expauesce memorando: contremisce cogitando.

12 O bone Domine Iesu Christe, sic posito nec petenti, nec opinanti vt sol mihi illuxisti, & quomodo eram ostendisti. Abiecisti plumbeum quod deorsum me trahebat, remouisti onus quod desuper me premebat, impellentes me repulisti, ac illis te pro me opposuisti. Vocasti me nomine nouo, quod mihi de tuo nomine dedisti, & incuruatum ad aspectum tuum erexisti, dicens: Confide, ego te redemi, animam meam pro te dedi. Si adhæres mihi, & mala, in quibus eras, euades, & in profundum, quo properabas, non cades: sed perducam te ad regnum meum, & faciam te hæredem Dei & cohæredem meum. Exinde accepisti me in tuitionem tuam, vt nihil noceret animæ meæ contra voluntatem suam. Et ecce licet adhuc non adhæserim tibi sicut consulisti: nondum tamen in infernum me cadere permisi: sed adhuc expectas, vt adhæream, & facias quod promisisti.

13 Certè Domine sic eram, & hoc fecisti mihi. In tenebris eram, quia nihil, nec ipsum

ipsum sciebam: in lubrico, quia imbecillus & fragilis ad lapsum peccati eram: In descensu super chaos inferni, quia in primis parentibus descenderam de iustitia Dei ad iniustitiam, per quam descenditur ad infernum; & de beatitudine ad temporalem miseriam, de qua caditur in æternum. Pondus originalis peccati, deorsum me trahebat: & onus importabile iudicij Dei me premebat, & inimici mei dæmones, ut me aliis peccatis damnabiliorem facerent, quantum in ipsis erat, vehementer insistebant. Sic destituto omni auxilio, illuxisti mihi, & quomodo erā ostendisti. Quia & cum ego nondum hoc noscere poteram, alios, qui pro me essent, & postea me ipsum, antequam postularem, hæc me omnia docuisti, plumbum trahens, & onus gravans, & hostes impellentes reiecisti. Quia peccatum, in quo natus & conceptus eram, & dominationem eius amouisti, & malignos spiritus ne vim animæ meæ facerent, prohibuisti. Christianum me fecisti vocari de nomine tuo, per quod & ego confiteor, & tu cognoscis me inter redemptos tuos; & exixisti & eleuasti me ad notitiam & amorem tuum: fecisti me confidere de salute animæ meæ, pro qua dedisti animam tuam, & mihi sit te sequerer, promisisti gloriam tuam. Et ecce cùm nondum sequar te sicut consuluisti, sed insuper multa peccata fecerim, quæ tu prohibuisti, adhuc expectas, ut te sequar, & dones quod promisisti.

14 Considera anima mea,intendite omnia intima mea,quantum illi debeat tota substantia mea.Certè Domine,quia me fecisti,debeo amori tuo meipsum totum ; quia me redemisti,debeo meipsum totum:quia tanta promittis,debeo meipsum totum. Immò tantum debeo amori tuo,plus quam meipsum,quantum tu es maior me,pro quo dedisti teipsum, & cui promittis.teipsum. Fac precor Domine me gustare per amorem , quod gusto per cognitionem. Sentiam per affectum , quod sentio per intellectum: plus debeo quam meipsum totum , sed nec plus habeo , nec hoc ipsum possum per me reddere totum. Trahe me Domine in amorem tuum, vti hoc ipsum totum. Totum quod sum , tuum est conditio; fac totum tuum, dilectione. Ecce Domine coram te est cor meum ; conatur, sed per se non potest:fac tu quod ipsum non potest. Admitte me intra cubiculum amoris tui,peto,quero, pulso. Qui me facis petere, fac & accipere. Das querere , da inuenire. Doces pulsare, aperi pulsanti. Cui das,si negas petenti ? Quis inuenit,si querens frustatur? Cui aperis,si pulsanti claudis? Quid das non oranti,si amorem tuum negas oranti ? A te habeo desiderare ; à te habeam impetrare. Adhære illi , adhære importunè anima mea. Bone Domine, pie Domine , ne reiicias eam, fame amoris tui languet,refocilla eam; satiet eam dilectio tua; impinguet eam affectus tuus , impletat eam amor tuus : occupet me totum

totum & possideat me totum: quia tu es cum
Patre & Spiritu sancto Deus solus benedictus
in saecula saeculorum. Amen.

M E D I T A T I O V.

*Unde viuant animæ, & unde viuat caro,
de gloria bone animæ, & de infelicitate
male animæ, quando excent
de corpore.*

DVM anima hominis manet in corpore, viuit homo secundum carnem. Qua carnem deserente, moritur secundum eandem carnem. Sed sicut anima vitam carni tribuit, dum ipsa manet in carne, sic ipsa caro vitam tribuit animæ, dum ipsa caro facit opera iustitiae. Ergo hoc modo sibi ianucem videntur tribuere, & anima carni, & caro animæ; & sic anima cu[m] carne operante, acquirunt sibi ianucem vitam perpetuę vitæ. Sed illam vitam mox percipit anima exuta carne, quam caro cum anima perceptura est in resurrectione in nouissimo die. Ergo anima mea, & caro exultantes in Deum viuum accedite ad Deum cretorem vestrum, accedite & illuminamini, & iam amplius non faciatis unde erubescatis, sed semper agere studete, unde in perpetuum gandeatis. Hortor vos, moneo vos, ne in vacuum modò gratiam Dei recipiatis, qui etsi modò multa patitur fieri à

C 3 vobis,

vobis, quæ multum displiceant illi, non semper eum ita pati putetis. Est enim sine dubio patiens redditor, & diligens cordis & renuni scrutator. Patitur modò multa, expectans correctionem velut mansuetissimus; sed si modo nos non corrigimus, damnabit nos sicut iustissimus; & qui modo tam dulcis est nobis, ut nos suos fratres vocet & amicos, tunc in extrema discussione ignoratos, & non sibi per bona opera notos, veluti inimicos suos, reputabit nos.

2 Anima mea, & caro mea, iam tandem euigiletis, semper & ubique cogitantes de nouissimis vestris. Forfitan si hoc facitis, non facilè peccabitis. Si modò sicut monaco facitis, securæ sitis: quia cum multi dolebunt, qui modò misere rident & gaudent, vos lætitia inenarrabili exultabitis & gaudebitis. In ipsis operibus vestris nunc diligenter attendite. Si recta sunt & Deo placita, gaudente. Si prava & Deo non accepta, citius corrigitte. Non dormitent oculi vestri, non dormiant palpebrae vestrae. Aperta est fouca perditionis, facilè illuc labitur, qui modò cautè se non custodit. Peccatum & iniquitas, stultum & vanum facilè modò illuc impellunt, in quo semel immersi iam non resurgunt in perpetuum. Sicut prava & mala semper facientibus apertus est æternus interitus, sic bonis & in bonis operibus præseuerantibus, apertus est paradisi introitus, in quo quis semel suscepitus, semper & in perpetuum manebit

nebit gaudens & latus. Hoc modo & bona opera bonum eleuant sursum in excelsum, & mala opera malum demergunt in profundum deorsum.

3 Sed iam nunc diligenter videamus si possumus, quo ordine bona opera animam illius qui benè vixit ducant in cœlum, & mala opera animam peccatoris trahant in infernum. Anima pura mox ut discedit à corpore, videt omnia opera sua, & quia omnia bona videt, gaudet inenarrabili lætitia. Mox accipit eam Angelus, qui oculos eius tenuit ne viderent vanitatem; amplectitur cum, qui obturauit aures eius ne audirent iniquitatem; protegit eam qui custodiuit os eius ne loqueretur mendacium; aggaudet ei, qui eam protexit ne peccaret in sensu olfaciendi sive tangendi; & sic eam ex omni parte latus & hilaris circumdat, & ante thronum claritatis diuinæ, ubi sine fine gaudeat, locat. Occurrunt ei alij Angeli & alij Sancti, qui ibi assistunt ante conspectum diuinæ maiestatis, & quam sociam sibi per bona opera & amicam noscunt, in brachijs sincerissimæ charitatis gaudenter excipiunt, taliterque affantes, quasi singula gaudia omnium ibi cohabitantium ei ostendunt. Ecce amica nostra, ecce socia nostra, quia fideliter Deo seruisti, eiusque præcepta faciendo, viriliter laborasti, iam tandem à labore quiesce, & æternis gaudiis amodò & usque in sempiternum nobiscum fruere.

4 At contrà anima peccatoris cùm cogitur de corpore exire, mox excipiunt eam Angeli Satanè, quam igneis catenis fortiter constringentes, fortiusque ex omni parte propellentes, ad tormenta inferni rapiunt, vbi ipse Satanas mersus in profundum, iacet deorsum. Ibi est fletus & stridor dentium; ibi ignis, laqueus, spiritus procellarum, pars calicis peccatorum. Tunc ipse Satanas rapiens eam ad se, expuensque in eam plenam putore, iubet à suis ministris eam ex omni parte arctari, & sic arctatam in ipsis tormentis projici, vbi sine fine cum illis tormentetur, & sine fine in ipsis doloribus indeficiens moriatur. Tunc infœtix anima in ipsis poenit tormentata, ipsis furiosis infernalibus vndique coangustata, tandem ad se reducta, cernens omnia mala quæ fecit, infoelicit proclamat. Heu misera, misera, cur vñquam in vitam veni misera? Vermes, vermes, qui tam crudeliter me corroditis, pareite quæso, parcite mihi miseræ, tot & tam immania alia tormenta patienti. Heu misera, misera, misera, & mori cupio, & tamen moriens mori nequó. Nunc misera recipio quicquid peccaui per visum, per gustum, per auditum, per odoratum, per tactum. Non tamen valet infoelici animæ tam miserè dolenti, tam serò poenitenti, tam infoelicit proclamanti, quod tunc tanta tristitia se afficit. Sed quod dum in vita fuit promeruit, nunc ipsa in doloribus inferni, misera & peccatrix recipit.

5 Ecce anima mea & caro mea diligenter intendite, intendentes autem verum iudicium iudicate, & quid sit melius, quid utilius secundum discernite. Benè facere & bona recipere, an mala agere & mala percipere? Nisi insanum sapiatis, nihil aliud respondebitis, nisi benè facere & bonum habere. Ergo facite bonum, ut illud possitis habere bonum, à quo est omne bonum; scilicet omnia boni bonum, quod non potest esse nisi bonum. Multa bona creator noster dedit nobis, multa in potestate nostra tradidit, sed nullum bonum est tam pretiosum, tam ab omni sapiente experendum, quam illud bonum, ad quod non potest accedere ullum malum. Hoc bonum est ipse creator noster, qui nunquam nisi bonus est. Quod bonum si eius gratia largiente habere poteritis, omnia alia bona in illo habebitis. Si vero alia bona habentes, illum solum non habetis, in vanum laboratis, ventumque stultissimè sequentes, in extremis non veritatem, sed vanitatem inuenietis.

6 Est autem sicut videtis, si recte consideratis, praesens gloria quasi vesica vento plena; quæ dum sic plena tenetur in manibus, conspicitur speciosa & clara, cui si fortuitò punctus permodicus imprimatur, non claritas, sed inanitas, & ventus remanet in manibus. Animaduerte ergo, & sicut in principio huius meditationis vos monui, de nouissimis vestris semper cogitetis, quia sic cogitantes, semp-

que de exitu vestro metuentes, facilè non peccabitis, & sic usque in extremum viuentes, finita temporali lætitia, quæ dum sic timebatis, circa oculos vestros quasi ventus volabat, non vanitatem, sed veritatem, quæ Christus est, inuenietis, ad quam vos perducat qui vos creauit. Amen.

MEDITATIO VI.

*Excitatio animæ peccatricis ad corrigendum
& dimitendum peccata.*

* **A** NIMA mea, anima misera & fœda, diligenter recollige ad te intrinsecus omnes sensus corporis, diligentiusque intuere & vide quam grauiter intus vulnerata atque prostrata sis. Dum enim adhuc immensa creatoris tui bonitas tibi vitam præstat, dum eius ineffabilis misericordia tua correctionem & satisfactionem congruam patienter & cum magna mansuetudine expectat, non sis pigra & tarda ad curanda vulnera tua; ad corrigenda peccata tua; ad reconciliandum tibi creatorem tuum quem offendisti; ad repacificandum tibi omnes Santos eius, quos in offeudendo suum creatorem & tuum, suum Dominum & tuum, tibi aduersarios fecisti. Si recta & munda, sicuti te creator tuus rectam & mundam creauit, semper stares, eiusque voluntati sicuti benè posses si voluisses, indeficiens adhæsisses, nunc læta

læta & fœlix, lætam & fœlicem vitam præsentem transcurreres. Quia transcurſa & finita, læta & fœlix cum illius adiutorio qui te creauit, vitam & fœlicitatem quæ finem non habet, possideres. Nunc verò quia voluntatem creatoris tui, in fœlix & misera, postposuisti; si studioſe & cum magna diligentia, non te palpans, nec tibi parcens, quantis malis & iniuitatibus iniuoluta sis, inspicis, inspiciens & pœnitens ad satisfactionem & emendationem redire disponis; hoc prius proiice, & ab interioribus tuis expelle; scilicet voluntatem peccandi, & ea amplectere, & fac, quæ creatori tuo per omnia placere intelligis.

2 Sed fortassis apud temetipsam dicis, inspiciens enormitatem scelerum tuorum, & desperans de indulgentia & remissione, propter assiduas fœditates iniuitatum tuarum: Quomodo me emendare iam amplius valeo, quæ serè in omni vita mea contra Dei voluntatem facio, omni malitia, omnibusque malis desideriis & malis operibus semper intenta existo, & quasi lapis quem nec ferrum incidere, nec ignis emollire potest, sic indurata in peccatis iaceo? Dum itaq; iustitiam creatoris mei diligenter inspicio, & iniusticias & mala quæ semper operata sum, non minori diligentia intueor, cùm ipse vnicuique redditurus sit secundum opera sua, tormenta & pœnas quas mala opera merentur, me recipere scio: Verum est quod asseris, quas

Deus iudex iustus, diligens æquitatem, malis operibus & peccatis tormenta irrogat; sed tamen secundum eandem iustitiam qua perseverantes in malitia punit, resipiscentes à malis, bonaque opera facientes, æterna mercede remuneratur. Propter hoc superius te admonui, ut diligentius omnia interiora tua, & ea quæ coram Deo agis, inspicias, & ad quem finem quæque prouentura sunt, non minori diligentia videoas. Et credo quia si hoc assidue facis, horumque recordationibus quasi ferreis malleis duritiam pectoris tui assidue contundis, nisi insana sis ea facies, unde felicitatem & gaudia recipies, ea verò dimittes, unde tormenta & tristitiam merebaris.

3 Præter hoc iterum atque iterum te admoneo, ut sine intermissione recorderis, quam dulcis & quam bonus sit erga te creator tuus, quanta bonitas eius fuerit, quod te cum non essem creauit, & quod te non pecus aut creaturam insensibilem, sed eam creaturam fecit, quæ eum posses intelligere, amare, & cum eo suam æternitatem æterna & felix possidere: & quod in tantum te dilexit, ut cum te multa contra suam voluntatem acturam fecerit, noluit te non facere, sed te voluit facere, & esse: & quod te cum tanta mansuetudine, ut pius ac misericors adhuc patitur, expectans tuam emendationem. Expectat verò creator tuus, expectat, sicut dixi, tuam correctionem: quia cui placuit te cum non essem

esses facere , nullo modo aliquando te cupit perdere, sed ad suam piissima misericordiam redire , & tibi per veram pœnitentiam purgatæ & emendatæ, æternæ vitæ fœlicitatem, quam per peccatum amiseras, reddet.

• 4 Cogita ergo & recogita tantam erga te tui creatoris benignitatē, & erige te, sicut rectum est , & omnes sensus tuos ad eius ineffabilem dilectionem. Amor verò illius nullam patitur vitiorum fœditatem , nullam consentit secum esse carnalium desideriorum voluptatem. Vbi amor eius conuersatur , ibi est summa pax, summa tranquillitas , & magna fœlicitas, omnia illa faciendi & cogitandi quibus acquiratur æterna fœlicitas. In omnibus actionibus tuis scias pro certo semper duos esse præsentes, vnum amicum, & alterum inimicum tuum. Amicus tuus est creator tuus, qui de tuis bonis operibus gaudet. Inimicus autem tuus diabolus, qui de eisdem tuis bonis operibus luget. E contrario diabolus tibi semper insidians , lætatur si te viderit mala opera facere, vanis cogitationibus & stultis operam dare , vnde valeat ante supernum iudicem accusare, accusatam & damnatam secum ad perditionem trahere. Diabolus de perditione fidelium semper cupidus , non solùm illos de malis operibus quæ faciunt accusat, sed & ipsorum benefacta, beneque cogitata , iniuste accusando maculare tentat. Tu verò contra eius subtiles fallacias, contraque eius versutias multis deceptiōnibus

62 *Meditatio S. Anselmi*
nibus plenas, esto cauta, esto sollicita, tuum
que cretorem & dulcissimum Dominum in-
uoca, ne eius fallaciis & deceptionibus te se-
duci permittat. Fuge sub umbra alarum eius
à facie impiorum qui te affigunt, qui te af-
flictam & supplantatam, ad mortem & ad in-
teritum pertrahere satagunt. Creator tuus,
& Dominus tuus, plus est pius & misericors
quam dici vel etiam excogitari possit: unde
nullum nisi sua magna culpa suaque magna
iniquitate perdit.

5 Pater & mater carnales, solent magnam
pietatem habere de illis quos genuerunt: at
si aliquos illorum aliquo dolore vel aliqua
corporali tristitia affici conspiciunt, se suaf-
que res, si ita ratio exigit, pro eorum recupe-
randa sospitare libenter impendunt. Multa
etiam animalia pro foetibus suis saepius mor-
tem excipere non metuunt, & ut ipsi foetus
sui mortem euadant, mortem ipsa incurunt.
Vnde vero, unde est illa naturalis pietas, nisi
ab illo qui fons est pietatis, qui non vult vil-
lum perire, nec latatur in perditione mor-
rientium? Creator igitur noster, fons pietatis,
fons misericordiae, super omnia dulcis &
amabilis, cum nos conspicit creaturam suam
aliquo contagio peccati maculatos, vel etiam
magnis multisque vulneribus criminum ferè
usque ad mortem laesos, multò magis maio-
remque diligentiam adhibet circa nos, cu-
randi peccata nostra, sanandi infirmitatem
nostrā, mundandi lepram, & sordes criminum
nostrorum.

nostrorum , vanitates & puluerem cogitationum nostrarum , quām pater carnalis , vel peccus adhibeat circa curam filiorum , vel fœtuum suorum . Nec sufficit ei tantummodo sanare infirmitatem nostram , & sic nos dimittere , sed sanatos familiarissimos sibi nos faciens , dulciter quasi charissimos filios suos posteā amplectitur ; amplectens & osculans de omni languore & lepra peccati , quam per stultitiam incurrimus , mitigat & confortatur ; & omnium iniuriarum quas ei fecimus , eum in suis præceptis spernentes , omnino obliuiscitur .

6 Honorat nos in præsenti vita , coronat nos in futura , facit nos reges , facit animam nostram reginam ; unde nos reges iam factos , admonet in Psalmo : *Et nunc reges intelligite , erudimini qui iudicatis terram .* Tunc vere reges sumus , si nostros motus inordinatos regimus , eosque ad rationem & ad voluntatem nostri creatoris reuocamus . Erudimur verò , cum terram iudicamus , id est , cùm cor nostrum si terram desiderare conspicimus , terrena contemnere , & cœlestia amare compellimus . Sic anima nostra Regina , quæ variis vestibus induta , id est , variis virtutum donis decorata , Christo sponso suo qui in cœlis est , perenni mente , actu & habitu interim dum in terris conuersatur , est copulata . Non satis fuit creatori nostro nos creare , creatos gubernare , & Angelos suos , quoties nobis opus erat , ad defensionem nostram mittere , sed ipse

ipse per semetipsum, assumpta forma nostra,
assumpta natura nostra, habens pietatem de
creatura sua, ad nos descendit, vulnera nostra
& mortem diligenter inspexit, inspiciens pal-
pauit, tetigit, pietate motus super miseriam
quam nos habere vidit, condolendo inge-
muit. Et post hæc, de ipsa carne sua quam
pro nobis assumpserat, quasi emplastrum fa-
ciens, nostrisque doloribus apponens, totam
ex integro infirmitatem nostram sanavit. Et
ut in hoc ostenderet quantum nos diligeret,
ipsam carnem quam pro nobis suscepserat,
nobis ad manducandum dedit, & adhuc
in sacrificio sui altaris, ministrare non de-
sinit.

7 Tu verò anima mea horum om-
nium dulci recordatione animata, & con-
solata, ora Dominum tuum, ora creatorem
enim, inuoca omnes Sanctos eius, vt tibi sint
in auxilium, quatenus per eorum intercessio-
nem adiuta & consolata, sic tibi in præsenti
conuersatione qui te fecit concedat viuere,
tuásque iniurias per veram pœnitentiam
& confessionem mundare, vt finito tempo-
rali cursu, ad æterna gaudia merearis ascen-
dere, præstante eo qui viuit & regnat Deus
per æterna sæcula. Amen.

MEDITATIO VI.

*Ad roborandum spiritum ne desperemus,
quia si veram pænitentiam agimus, ve-
ram misericordiam sine dubio
de omnibus peccatis no-
stris inueniemus.*

VM ad peccata quæ feci respicio, & poenas & tormenta intelligo, quæ pro iis pati debo, non paruum timorem habeo. Itaque multum anxius & multum timidus de perditione mea, si forte alicubi aliquam consolationem inueniam requiro. Sed heu miser, nullam inuenio, quia non solum creatorem meum, sed & illum & omnem creaturam eius à me offensam certus existo. Creator itaque meus, cum omni creatura sua, peccatis meis grauiter offensus, me damnat: mea conscientia certa de suis malis operibus, ex omni parte me accusat. Et ita nullam consolationem inuenio, nec ab alio facile me puto habere. Quid ergo faciam? quod me conuertam sic desolatus; sic peccatorum meorum malitiis inuolutus? Si ad illum qui me rectum fecit redire volo, eiusque ineffabilem pietatem ut de me misericordiam habeat deprecor, non parum timeo ne pro tanta temeritate magis eum moueam ad iracundiam aduersum me, & pro hoc grauius se vindicet de sceleribus meis, quibus non timui

timui eius mansuetudinem exasperare. Quid ergo? Remanebo quasi desperatus sine consilio, sine adiutorio? Adhuc creator meus me patitur viuere. Adhuc non dimittit mihi ea quæ sunt necessaria ad sustentationem huius vitæ ministrare. Et sicut rebus ipsis experior, peccatis meis non possum eius beatitudinem vincere, ut adhuc me velit sicut iam promerui confundere, & ex toto destruere. Certissimum est ergo, illum esse pium erga me, qui tanta bona mihi largitur, nec adhuc de meis iniquitatibus se quærat vindicare.

2 Audiui, & sicut ipsis attestantur qui experti sunt, verum est quod audiui, quia ipse fons misericordiæ, qui ab initio mundi currere cœpit, adhuc currit. Fuit autem multum (ut aiunt) misericors & pius erga primum parentem nostrum Adam, quando illud peccatum de fructu vetito commisit, quod non statim eum sicut promeruerat, æterna perditione damnauit: sed emendationem eius patienter expectauit, & ut ad gratiam eius quem offenderat redire posset, misericorditer adiuvuit. Misit vero ad hoc opus, illi & omnibus illis qui ex illo exorti sunt, saepius suos Angelos, monens ut redirent, & poenitentiam pro suis iniquitatibus agerent, quia ipse eos adhuc libenter reciperet, si de peccatis suis ex toto corde poeniterent. Sed ipsi adhuc in peccatis suis perdurantes, eiusque monita spernentes, addiderunt peccata peccatis, & quasi

quasi insani & abominabiles in suis iniquitatibus facti, cum in honore facti essent propter similitudinem Dei, cœperunt mores bestiarum contra naturam imitari.

3 Misit præterea Patriarchas, misit Prophetas, sed nec sic illi voluerunt relinquere vias suas tortas & peruersas: sed quosdam illorum qui eis monita salutis dabant, interficiebant; alios variis & inauditis tormentis cruciabant. Castigabat tamen eos aliquando, ut misericors pater, non ut irritatus malis operibus illorum se de contumeliis quas ei faciebant vindicaret; sed ut correcti ad illius misericordiam redirent, qui nullo modo vult illorum quos bonitate sua creauit, perditionem. Sed cum nec admonitione, nec correctione sèpiùs ab eo visitati reuerterentur, non se potuit fons pietatis vitrà retinere, sed de sinu Patris descendens, assumpta vera humanitate, assumpta peccatorum similitudine, cœpit eos dulciter monere, ut saltet tunc de peccatis suis pœnitentiam agerent, & ipsum esse filium Dei cognoscerent. Pro illorum enim salute venerat, & propter hoc non desperarent, sed certissime adhuc de omnibus peccatis suis veniam habere se crederent, sed tantum illa dimitterent, & pœnitentiam agerent. Nullum enim tam graue peccatum quod non possit per pœnitentiam aboliri, ita ut nec iam amplius vel ipse diabolus de eo valeat reminisci. Cernentes ergo peccatores tantam dulcedinem creatoris sui, cœperunt

perunt & ipsi certatim ad fontem currere misericordiæ, ad fontem pietatis, & peccata sua in eo lauare. Cœpit autem & ipse fons pietatis cum peccatoribus conuesci, cœpit eis aperire Sacra menta confessionis sanctæ, per quam alleuiatur omne onus peccati; quia in vera confessione mundatur omnis macula delicti.

4 Post hæc appropinquante tempore, quo pati deberet pro redemptione peccatorum, Iudæi ex quorum stirpe secundum carnem ortus est, ducti inuidia, illum pro eo quia erat pius & misericors, crucifixerunt. Qui tamen & in ipsa morte, non immemor pietatis suæ, pro interfectoribus suis Patrem suum rogabat: ut dimitteret illis hoc peccatum. Non enim sciunt, inquit, quid faciunt. Excusat illos dulcissima Domini pietas, qui non vult mortem peccatoris, sed ut conuerterentur, & vivat. Cuius ergo cor tam durum, tamque lapideum, non emollire possit tanta mansuetudo creatoris nostri? Quem cum in multis creatura sua, quam ad suam similitudinem de nihilo creauit, de honestaret, non se vindicauit: sed de honestatus, & multis malis operibus illorum irritatus, patienter tulit, & ut ad illum sine hæsitatione redirent, dulciter admonuit. Pius ergo & dulcis Dominus noster Iesus Christus, sicut per Prophetam dicitur, non vult mortem peccatoris, sed ut relinquat vias suas malas, & sic poenitentiam agens de iniquitatibus suis, reuertatur ad gratiam sui creatoris.

ris. Quam misericors etiam sit erga peccatricem animam, dicit per alium Prophetam, exhortans eam, ut etiam post peccatum reuerteratur ad eum, & inueniat misericordiam. *Tu autem, inquiens, fornicata es cum amatoribus multis; id est, tu quæ in baptisme mihi fidem promileras, tuam castitatem cum amatoribus multis commaculans violasti. Tamen poenitentiam age, & reuertere ad me & suscipiam te.*

5 Nullus ergo peccator desperet, quando fornicata cum multis amatoribus recipitur, quia fons pietatis & misericordiæ Iesu Christus, nullis iniuriantibus exhaustur, nullis sceleribus polluitur, sed semper purus & abundans, gratia dulcedinis omnes ad se reuertentes infirmos & peccatores recipit, & quibuscumque peccatis sunt maculati, abluit. Et ut certi sint omnes peccatores & iniuriantes veniam peccatorum suorum accipere, si ipsa peccata sua curant dimittere, & poenitentiam agere, ipse fons pietatis, pro amore quem erga nos habebat, eandem carnem quam pro eis sumpsit, sicut superius exposui, pertulit crucifigi: ut qui erant peccatis mortui, nec aliter ad vitam redire poterant nisi pretio sanguinis eius redempti, nullo modo desperarent, cernentes pretium quod esset datum pro peccatis suis.

6 Cum itaque videam tantam pietatem Domini mei Iesu Christi, totque peccatores & iniquos currere ad fontem pietatis, nullum excludi,

eo cludi, omnésque recipi, debeo ego solus
desperate quod ipse fons pietatis qui alios
abluit, mea peccata non possit ablueret? Scio,
certè scio, & verè credo, quia qui alios abluit,
me quoque potest ablueret, & mihi si vult,
quia potentissimus est, omnia peccata mea
dimittere. Sed inter peccatorem & pecca-
torem est magna differentia, id est, inter illum
qui plus peccat, & eum qui minus peccat.
Vnde ego considerans quantum peccavi,
quantisque iniquitatibus infelix anima mea
polluta sit, intelligo me non solum aequaliter
cum aliis peccatoribus, sed plusquam ullum
peccatorem, & ultra omnes peccatores, esse
peccatorem. Plures enim peccauerunt, & tunc
cessauerunt. Quidam etsi sèpiùs peccauen-
t, tamen aliquando suis malitiis finem
imposuerunt. Item alij qui multa mala fece-
runt, multa etiā bona facere non omiserunt,
quibus vel ut ex toto ipsa mala dimitterent
promeruerunt, vel ut tolerabiliorem ipsam
poenam gehennæ haberent, sibi acquisierunt.
Ego autem miser, & super omnes miseros &
peccatores, peccator & miser; intelligens &
sciens ad quantam perditionem me traheret
peccatum, & peccati delectatio, à peccatis &
malefactis nunquam cessare curaui, sed sem-
per auxi peccata peccatis, & ita totum libens
& volens in perditionem peccati me infœ-
lix immersi, & nisi immensa Domini bonitas
me adhuc pateretur, iamdiu est, quod ab ipsa
gehenna debuissim esse deuoratus. Qui ergo

maliter

taliter vixi, qui tanta mala commisi, qui tantis iniquitatibus meis me inuolui, quomodo audebo cum aliis peccatoribus qui tanta mala non fecerunt, currere ad fontem misericordiae, ne propter fœtorem scelerum meorum, nolit sicut alios peccatores, quorum fœtor tolerabilius est, abluere. Adiuua ergo Domine Iesu Christe, adiuua creaturā tuam, et si magnitudine peccatorum obrutam, à te tamen videns creatam, adiuua ne desperet; quia, sicut credimus, nulla enormitas scelerum te vincere potest, si tantum peccator de tua misericordia non desperet.

7 Patere ergo me Domine Iesu Christe, patere tuam ineffabilem pictatem inspicere, & quam dulcis & bonis sis erga peccatores & miseros enarrare. Hoc idem superius dixi. Sed multum me delectat quoties occasio apta se offert, reminisci quanta sit erga peccatores gratia tuæ dulcedinis. Pro amore enim & redemptione peccatorum, non solum illorum qui minus vel plus peccant, sed etiam illorum qui ultra modum peccant, si tantummodo pœniteant, de sinu Patris descendisti, Virginis uterum intrasti, carnem ex ea veram assumpsisti, in mundo conuictans omnes peccatores ad pœnitentiam vocasti, ad ultimum crucis patibulum pro illis pertulisti, & sic mortuus secundum carnem, vitam quam iustè pro suis peccatis perdiderant, illis reddisti. Itaque cum respicio ad mala opera quæ operatus

operatus sum , si me iudicare vis secundūm
quod merui , certus sum de perditione mea.
Cūm verò respicio ad mortem tuam , quam
pro redēptione peccatorum passus es , non
despero de misericordia tua. Latro verò ille
qui pro suis sceleribus tecum crucifixus est,
vsque ad ipsius animæ singultum semper in
peccatis fuit, sed tamen in ipso hora suæ ex-
pirationis, quia sua mala confessus est, & cul-
pam clamauit, misericordiam inuenit , & te-
cum ipso die in paradiſo fuit. Cernens ergo
te pro redēptione peccatorum esse mor-
tuum , manus tuas & pedes clavis confixos,
latus tuum lancea militis apertum , vndam
sanguinis & aquæ de eodem tuo latere cur-
rentein, desperare debeo ?

8 Vnum tantummodò est quod vis , sine
quo nullus peccator potest saluari ; scilicet
vt de malis nostris pœnitamus, & in quan-
tum possumus emendare curemus? Hoc si fe-
cerimus, securi sumus ; quia si nos sic facien-
tes inuenerit dies vltimus , (quandoquidem
& exemplum latronis, qui sic in vltima hora
meruit saluari, habemus;) confidentes de in-
effabili pietate Domini nostri Iesu Christi,
accusationem inimici, aut parum , aut nihil
omnino timere possumus. Habentes ergo an-
te oculos nostros pretium nostræ redemptio-
nis , mortem videlicet & sanguinem redem-
ptoris nostri, qui in remissionem effectus est
pro peccatis nostris ; habentes etiam exem-
plum latronis , & multorum qui multis &
magnis

magnis peccatis erant inuoluti, quos ipse fons pietatis Iesu Christus misericorditer absoluit, non desperemus, sed curramus securi de remissione peccatorum ad ipsum fontem pietatis; in quo iam tot, & tam magnos peccatores ablutos, & videmus, & agnoscimus, & certi simus nos similiter abluendos ab eodem fonte misericordiae, si abstineamus à malitiis & à peccatis nostris, & in quantum possumus curemus deinceps bona operari. Ut verò à malis abstineamus, & bona faciamus, hoc nostra virtute sine illius adiutorio facere non possumus.

¶ Illius ergo ineffabilē misericordiam deprecemur, cui cura fuit nos facere cùm non essemus, ut nobis sic concedat in hac vita antequam hinc exeamus, nostra peccata emendare, & sic assiduis compunctionibus mundare, quatenus ista finita, recto cursu, nullo impediente ad eum valeamus peruenire, ut cum illo simus in perpetua claritate iuncti Angelicis choris, & omnibus Sanctis, qui iam illa fruuntur gaudentes sine fine.

M E D I T A T I O V I I I .

De humanitate Christi.

I  V C V N D I T A T E , pietate, utilitate redundat plenè sanctissima nativitas & infantia nostri Saluatoris. Incunditate D quantum

quantum ad exultationem, pietate quantum ad passionem, vtilitate quantum ad significacionem. Quid enim magis iucundum quam ipsum videre hominem, quem esse constat hominis conditoris? Quid iterum eidem homini magis debet videri priusquam claro videre oculo, quod in hoc mediatore Dei & hominum Domino nostro Iesu Christo, miro quadam & ineffabili modo, æternitas incipit, sublimitas humiliatur? Concipitur in utero matris, qui sempiterius est in sinu Patris. Natus ab æterno de Patre sine matre, nascitur in tempore de matre sine Patre. Pannis est inuolutus, qui stirpibus & arboribus terram vestiuit, luminaribus cœlum ornauit, mare piscibus impletuit. Quem cœli cœlerum capere non possunt, præsepsis angustia continetur, lacte materno nutritur. Proficit sapientia, cuius sapientia non incipit, nec desinit, qui & Dei patris sapientia existit: ætate, cuius æternitas sicut non proficit in maius, sic nec deficit in minus: gratiam, totius ipse gratiae auctor & conseruator & remunerator. Parentibus subditur quem adorat omnis creatura, cui & omne genu curuatur. Addamus si placet, quia baptizatur, & quidem Dominus a seruo, Deus ab homine, & a milite Rex. Tentatur a diabolo, cui ministrant Angeli. Esurit cibus, sitim fons, lassatur via, deprimitur altitudo, virtus infirmatur, debilitatur fortitudo, iniuriatur gloria, moeret lætitia, gaudium dolet, & humiliatur maiestas, & moritur vita.

2 Iesu bone, quām dulcis es in corde cogitantis de te, & diligentis te! Et certe nescio, quia nec plenē comprehendere valeo, vnde hoc est quōd longē dulcior es in corde diligentis te, in eo quōd caro es, quām in eo quōd verbum: dulcior in eo quōd humilis, quām in eo quōd sublimis. Siquidem longē dulcius est memoriæ diligentis te, videre te ex matre virgine in tempore natum, quām in splendoribus ante luciferum à Patre genitum, temeripsum exinanissime, seruiq; formam accepisse, quām in forma Dei æqualem te Deo esse. Dulcius te videre coram Iudæis mori in ligno, quām dominari super Angelos in cœlo. Intueri te inter omnia subiectum, quām super omnia prælatum; hominem humanæ pertulisse, quām diuina Deum gessisse, redemptorem esse pereantum, quām conditorem esse non existentium.

3 O quām dulce est bone Iesu, in secreto cordis ad memoriam reuocare, te pro nobis in virgine absq; pollutione conceptum, absq; Iæsione virginitatis eius natum, pannis inuolutum, in præsepio reclinatum, sustinentem conuitia, tacenter ad opprobria, pedes discipulorum iacentem, linteo tergentem, de nocte prolixius orantem, sudorem sanguinis emittentem, triginta argenteis venditum, osculo traditum, cum gladiis & fustibus captum, ligatum, iudicatum, flagello damnatum; ad occisionem ut agnus innocens duclū; os tuum cùm male tractareris non aperien-

76 *Meditatio S. Anselmi,*
tem; cùm accusareris in multis non respon-
dentem, colaphizatum, alapas patientem, fla-
gellis cæsum, plagis lividum, sputis illitum,
chlamide coccinea indutū, spinis coronatū,
in derisum adoratum, arundine capite per-
cussum, in veste alba illusum, ad mortem con-
demnatum, crucem tuam baiulantem, & in
ea affixum pro crucifixoribus orantem, aceto
potatum, felle cibatum, à latrone conuitia-
tum, sanguinem tuum per quinque vulnera
corporis tui effudentem, caput inclinante,
spiritum emittentem, dilectam animam tuam
in manus Patris commendantem, & hæc om-
nia pro nobis sustinentem. Hæc omnia for-
mant & adaugēt magis ac magis exultationē,
fiduciam, & consolationē, amorē & desideriū.

4 Quis enim non lætetur & exultet, quis
non supra modum iucundetur & gratuletur,
videns conditorem suum non solum pro se
hominem esse, sed tam dura, tamque indigna
sustinuisse? Quid in mente suauius ruminat-
tur? quis dulcius gustatur? quid lætius cogi-
tatur? Quis mihi aufert locum in regno, ubi
is omnipotens est, qui frater & caro mea est?
Quis mihi euentus aliquam ingeret desola-
tionem, cui spes tanta tantam confert certi-
tudinem? Quomodo aliquem in eo potest
habere locum aliqua tristitia, in quo indeci-
nenter versatur cogitatio ista? Nec minorem
in eo fiduciam parit, cum ipsa in condito-
rem suum diligenter accenditur. Secura certè
per omnem modum, & in nullo temeraria
præsumptio

præsumptio quam formauit in mente, consideratio humanitatis ih Christo. Quomodo non sperem me ad electorum pertingere sortem, cum pro me videam mortuum ipsum vniuersorum conditorem? Effudit pro me de latere suo sanguinem, quomodo non præsumam me redemptum, cum datum pro me non ignorem tantum talisque pretium? Effudit & pro me aquam, quomodo non me confidam ab omnibus inquinamentis meis mundatum, quem constat aqua quæ de visceribus Christi confluxit, mundatum? Effusus est inquam ille; effusa est illa; ille ad redemptionem, ista ad redempti ablutionem; ille ut me redimeret captiuum, ista ut ablueret immunandum. Traditus est pro me seruo filius, ut morte suâ mihi emeret hæreditatem, quomodo me non credam hæredem; & quidem hæredem Dei, cohæredem autem Christi? Cùm inimicus essem, reconciliatus sum Dœo per mortem filij sui, quomodo iustificatus nunc in sanguine eius, non saluus ero ab ira per ipsum? Proprio filio suo non pepercit pius pater, sed pro me tradidit illum, quomodo etiam non omnia mihi donauit cum illo? Quis accusabis aduersum me, cùm charitas eius operiat multitudinem peccatorum? Clamat sanguis eius de terra, melius quam Abel, & non mouebit cor patris, tanti talisque sonus clamoris?

5 Absit semel, & iterum absit, ut compunctionis visceribus caream, intuens te ô bone

Iesu mori pro me. Ante oculos meos crucifigeris, & nulla tanget motio cor meum? Apparet mihi gladius tuus, & non pertransibit animam meam? Dulcis Iesu, quid mihi ut compatiar tibi? Sed non minus utile. Quomodo minus utile, cùm constet, si verum certit ille & sentit, in quo tu loquebaris, quia si compatimur, & co-regnabimus? Et alibi, si commortui sumus, & conuinemus. Ut autem hæc, de qua loquimur, compassio in mente vigeat, necesse est ut ardens in ea fuerit dilectio, quia quem amore feruenti complectimur, eius nimirum & aduersitati compatimur, & prosperitati congratulamur. Iesu, nec mens mea capere, nec lingua sufficit exprimere, quām sis dignus amari à me, qui tantum dignatus es amare me.

6 Dilexisti me, & lauasti me à peccatis meis in sanguine tuo. Nam si diligo multum te, tu certè & antè dilexisti me, & plus. In hoc enim charitas Dei apparet, ait Apostolus, non quasi dilexerimus Deum, sed quia prior dilexit nos. Dilexit quando non dilexi, quia & nisi non diligentem diligeres, diligentem quoque non efficeres. Diligo te super omnia, ô dulcissime Iesu, sed nimis parvum, quia longè minus quām dignus es dilectissime, ac proinde minus quām debeo. Et quis hoc posset? Diligere te potest aliquis te donante quantum valet, sed nunquam quantum debet. Quis tibi reddet innoxium sanguinem tuum, cuius non gutta, sed vnda, per quinque corporis tui partes

partes profluxit? Creasti me cùm non essem, redemisti me cùm perditus essem. Sed conditionis quidem meæ & redemptionis causa sola fuit dilectio tua. Quid ergo ô dulcedo vitæ meæ Iesu, quid in me vidisti pro quo tantum pretium dares? Nihil prorsus, nisi quia sic fuit placitum ante te. Multum quidem contulisti creator, sed longè plus redemptor. O quam decorus es Domine Iesu, & quam suavis! Decorus, sed videntibus te; suavis, sed gustantibus te. Nescius, nisi videaris. Non sis dulcis, nisi gusteris. Fac me querere te, quæsumus inuenire te, tentum possidere, ut tu solus dulcescas mihi, sapias, & placeas. Fac me agnoscere te, timere, amare, desiderare. In amore temporalium labi ne sinas me. Heu mi Domine, quia incessanter non possum gustare, quam suavis & dulcis sis.

7 Peccator sum ô misericordissime Iesu. Miserere mei qui non venisti vocare iustos, sed peccatores. Fons patens domui Dauid, appare, & effundere, & ablue me. Patens es enim omnibus sicutientibus te, & omnes omnibus verè pœnitentium frides abluis; reddens eis, ô dulcissime Iesu, bonum pro malo, donum pro iniquitate, meritum pro delicto, pro facinore iustitiam, & gratiam pro culpa. Expertus est hoc Rex Dauid, qui pœnitens à nuntio tuo audiuit, Dominus transluit peccatum tuum à te, non morieris. In te namque lotus est à lacrymis pœnitentiæ, & mundatus est à

maculis granis culpe. Tua siquidem in eo
munditia crimen lauit adulterij, & pietas
crudelitatem extersit homicidij. In te pur-
gatus est ille princeps Apostolorum, qui
amarè fleuit quod timidè negavit. In te
etiam illa famosa peccatrix, ô fons purissime
& dulcissime dealbata, tanta meruit familia-
ritate donari, ut ipsis Apostolis nouam tua
resurrectionis gloriam, & prior videret, & eis
eam annunciasse. In te quoque ille munda-
tus est, qui iuxta te in cruce pendens, dum &
se digna factis recepisse recognouit, & te in
tuo regno sibi habere memoriam petiit, sta-
tim à te audire moruit: *Amen dico tibi, hodie
mecum eris in paradyso.* Et quot in te pie Iesu
quotidie illustrantur & abluuntur, de tene-
bris ad lucem, & de fordibus ad munditiam?
Suscipte ita me, diu exulantem à te.

8 Dulcedo vitæ, & sanitas non fallax ô bo-
ne Iesu; si in carne seminaui, quid de carne
metam nisi corruptionem? Et si mundum di-
lexi, quem ex eo capiam fructum? Triplex
Domine Deus solebam regi Babylonico per-
soluere tributum, in nefando eius obsequio.
Obsequium eius quid est nisi peccatum? Tri-
butum verò est triplex, delectatio, consensus,
consuetudo. Et soluebatur hoc tributum, de
corde, ore, & opere. Ecce quibus ardoribus
hæc erat olla succensa, cuius facies à facie,
a quilonis, cuius prunas ardere fecit suggestio
hostis, qui mentis meæ cogitatus exussit. Ecce
misericors Deus, ecce funiculus triplex, men-
tem

tem, linguam, corpus ferociter stringens. Nunquam erat in me sanitas, à planta pedis usque ad verticem. Sana ergo animam meam, quia peccani tibi. Fac ergo opus tuum pie Iesu, & salua me. Vocaris enim Iesus, non ob aliud, nisi quia tu satum facies populum tuum à peccatis eorum: qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

M E D I T A T I O IX.

Item de humanitate Christi; Alias inscribitur stimulus amoris, vel speculum
Euangelici sermonis.

HE SV M Nazarenum à Iudeis innocentem condemnatum: à gentibus cruci affixum: nos Christiani divinis honoremus obsequiis. Saluatoris nostri infirma nos, qui Christi sumus, reuerenter venerari, amanter amplecti, fortiter imitari dignum est & salubre & honorificum. Hæc enim sunt instrumenta fortissima, quibus omnipotens virtus & inuestigabilis sapientia Dei restaurationem mundi potenter ac miraculè operata est, & usque modo operatur. Christus Dominus minoratus est ab Angelis, ut nos æquaret Angelis, & quis propter Christum se non humiliet? Christus Dominus pro peccatis nostris crucifixus est; & crucis ama-

ra suis amatoribus dulcorauit. Mortuus est,
& mortem enecauit, ut viueremus per illum.
Et quis non amet Christum Dominum? Quis
non patiatur pro ipso? Christus per crucis
ignominiam ad supernæ claritatis gloriam
transiuit, & data est ei pro sua reverentia à Deo
Patre omnis potestas in cœlo, & in terra, ut
adorent eum omnes Angeli Dei, & in nomine
Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium,
& infernorum.

2 Vbi est ergo gloriatio tua Christiane,
nisi in nomine crucifixi Domini tui Iesu Christi?
In nomine, quod est super omne nomen,
in quo qui benedictus est super terram benedicitur in cœlis.
Gloriamini in nomine sancto eius filij redemptionis, date honorem
Saluatori vestro: qui magna fecit in vobis,
& magnificate nomen eius mecum, dicentes:
Adoramus te Iesu Christe Rex Israël: lux
gentium, princeps regum terræ: Domine
sabbaoth, virtus Dei omnipotentis fortissima.
Adoramus te pretiosum redempcionis nostræ
preium: hostia pacifica, quæ sola odoris tui
inestimabili suavitate, Patrem, qui in altis habi-
bitat, ad respiciendum humilia inclinasti, &
filii iræ placabilem reddidisti. Tuas Iesu
Christe miserationes prædicamus, tuæ suauitatis
memoriam cum abundantia eructamus, tibi Christe sacrificium laudis immola-
mus pro multitudine bonitatis tuæ, quam
ostendisti nobis, semini nequam, filiis scele-
ratis & perditis.

3 Cum enim adhuc essemus inimici tui
 Domine, & mors antiqua in omnem carnem
 iniquum exercebat dominium: cui omne se-
 men Adam lege primordialis culpæ obno-
 xiūm erat, recordatus es uberrimæ misericor-
 diæ tuæ, & prospexit de sublimi habitatione
 tua in hanc vallem plorationis miseriae. Vi-
 disti Domine afflictionem populi tui, &
 etus dulcore charitatis intrinsecus apposuisti
 cogitare super nos cogitationes pacis & re-
 demptionis. Et quidem cum esses Filius Dei,
 verus Deus, Deo Patri, sanctoque Spiritui co-
 æternis & consubstantialis, lucem habitans in-
 accessibilem, portansque omnia verbo virtutis tuæ,
 nō despexit in hoc nostræ mortalitatis erga-
 stulum altitudinem tuam inclinare, ubi no-
 stram & gustares & absorberes miseriam,
 nosque reparares ad gloriam. Parum enim
 fuit charitati tuæ ad consummandum opus
 nostræ salutis, Cherubim, aut Seraphim, aut
 unum ex Angelis destinare, ipse ad nos veni-
 re dignatus est per mandatum Patris: cuius
 nimiam charitatem experti sumus in te. Ve-
 nisti, inquam, non locum mutando: sed præ-
 sentiam tuam nobis per carnem exhibendo.
 Descendisti à regali folio sublimis gloria
 tuæ in humilem & abiectam in oculis suis
 puellam, primo virginalis continentia vota
 sigillatam. In cuius facrosancto utero solo
 Spiritus sancti inenarrabilis virtus & te con-
 cipi fecit, & nasci in vera humanitatis natu-
 ra: ita ut nec maiestatem diuinitatis in te,

4 O amanda, o admiranda dignatio! Deus
immensa gloria, vermis contemptibilis fieri
non despexisti, Dominus omnium conseruus
seruorum apparere voluisti. Parum tibi vi-
sum est patrem te nobis esse, etiam Domine
frater noster esse dignatus es. Et tu Domine
vniuersorum, qui nullam habens indigen-
tiam, inter ipsa nativitatis tuae initia non
horruisti abiectissimae paupertatis degustare
incommoda. Ut enim ait Scriptura, tibi cum
nascereris non erat locus in diuersorio, neque
cunabula, quae teneritudinem tuam excipe-
rent habuisti, sed tu in vili praesepio forden-
tis stabuli: tu, qui terram palmo concludis,
inuolutus panniculis reclinatus es, & hoc
ipsum a brutis animalibus mater tua mutuo
acepit.

5 Consolamini, consolamini, qui in sordi-
bus paupertatis enutrimini: quia vobiscum
est Deus in paupertate, non cubat in deliciis
splendidi cubilis: nec enim inuenitur in terra
sua uiter uiuentium. Quid ultra gloriatis, o
diues, in re lutea, in volutabro lecti pieti &
delicati, cum rex regum suo recubitu stra-
menta pauperum honestare maluerit? Quid
dura strata detestaris, cum tener infantulus,
in cuius manu sunt omnia, tuis fericis, tuis
plumis duras iumentorum stipulas preze-
gerit? Sed & tenella haec tua Christe infan-
tia a persecutorum gladiis tuta non fuit. Ad-
huc

huc enim inter dulcia matris vbera fugens
dependebas, quando apparuit Angelus in som-
niis Ioseph, dicens : Surge, & accipe puerum, &
matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi us-
que dum dicam tibi, futurum est enim, ut Herod-
es querat puerum ad perdendum eum. Iam ex-
tunc bone Iesu pati cœpisti. Non solum
autem illam infantia tuæ vexationem in te
ipso pertulisti, sed & mortem in pusillis tuis,
quorum multa millia inter mamillas ma-
trum pro te Herodis trucidauit immanitas.

6 Infantia verò teneriori decursa, dilcen-
dæ humilitatis nobis exemplum præbuisti.
Non enim sedisti cum consilio vanitatis : sed
in medio Doctorum, interrogans & audiens illos:
cùm tamen Dominus scientiarum tu es, es,
atque ipsa Dei Patris sapientia. Sed & obe-
dientiæ nobis formam præstitisti: dum pa-
rentum imperio tu imperator mundi humi-
liter subditus extitisti. At verò ubi robustio-
ris ætatis plenitudo aduenit, missurus manus
ad fortia, egressus es in salutem populi tui, ut
gigas fortis ad currendum viam totius no-
stræ miseriae. Et primum quidem ut per om-
nia te fratribus assimilares, feruum tuum ba-
ptizantem peccatores in poenitentiam, tan-
quam peccator adiisti; baptizare quoque te
postulaisti innocens agne Dei : quem nulla
peccati stilla vel contagio unquam inaculta-
uit. Baptizatus es, non te in aquis, sed aquas
in te sanctificans, ut per eas sanctificares nos.
De baptismo in desertum in spiritu fortitu-
dinis

dinis egressus es, ut & vita solitaria in te non decesset exemplum. Solitudinem ac ieiunium quadraginta dierum, famis acerbitatem, tentamenta illusoris spiritus & quanimitate tolerasti, ut omnia haec nobis tolerabilia efficeres. Demum venisti ad oves quae perierant domus Israël, diuini verbi lampadem palam extollens, ad illuminationem orbis terrae, & regnum Dei annuncians cunctis obtemperantibus verbo tuo, sermonem sequentibus signis confirmasti: virtutem divinitatis tuae ostendisti in cunctis male habentibus: omnia omnibus gratis exhibens, quae saluti eorum congruerent, ut omnes lucrificares. Sed obscuratum est insipiens cor eorum Domine, & proiecerunt sermones tuos retrorsum; neque attenderunt ad omnia mirabilia, quae operatus es in eis: exceptis per paucis nobilibus athletis, quos inter infima & abiecta mundi elegisti, ut per ipsos alta & fortia magnifice expugnares. Nec solum ingredi gratuitis tuis beneficiis extiterunt, sed & contumeliis afficerunt te Dominum dominantium, & fecerunt in te quaecunque voluerunt. Te enim faciente in eis opera Dei, quae nemo aliud fecit, dixerunt: *Non est hic homo a Deo: in principe demoniorum exigit demonia: demonium habet: seducit turbas: vorax est & potator vini; amicus publicanorum & peccatorum.*

7 Quid fles? quid suspiras o homo Dei, dum sustines verborum iniurias? Non audis quanta propter te in Dominum Iesum ceci-
derunt

derunt opprobria? si patrem familias Bel'zebub vocauerunt, quantè magis domesticos eius? Et hæc quidem & similia blasphemantes, & aliquotiens lapidibus te impetentes, Iesu bone patienter sustinuisti, & factus es coram eis quasi homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Nouissimè autem & iustum sanguinem tuum bone Iesu in discipulo tuo, filio perditionis triginta argenteis appretiati sunt, ut præcipitarent animam tuam in mortem sine causa. Et te quidem perditissimi traditoris tui perfidia non latebat, quando in cœna ablutionis etiam coram ipso genu flexo procumbens, maledictos pedes eius velocius ad effundendum sanguinem tuum, sanctissimis manibus tuis atrectare, lauare & extergere dignatus es. Et intento collo adhuc ambulas ô terra & cinis: adhuc superbia te supra te eleuat, adhuc impatientia te exagitat. Intuere humilitatis & mansuetudinis speculum Dominum Iesum Christum, vniuersæ creaturæ factorem, tremendum iudicem viuorum, atque mortuorum ante pedes hominis traditoris sui genua incuruantem. Disce quia mitis est, & humilis corde, & confundere in superbia tua, erubesce in impatientia tua.

8 Hoc quoque erat mansuetudinis tue Domine Iesu, quod perfidum illum in cœtu fratrum palam detegere & confundere noluisti, sed leniter admonitum accelerare iuisti quod parabat. In omnibus his non est auersus

aversus furor eius à te , sed egressus foras satagebat circa frequens maleficium: *Quomodo tecidisti de cælo Lucifer , qui mane oriebaris in deliciis paradisi? Gloriosus apparuisti , ciuium cœli socius , & verbi diuini conuiua. Quomodo ergo reputatus es inter filios tenebrarum , qui nutriebaris in croceis ? quomodo amplexatus es stercora ? Tunc clarificata est familia tua Christe in modum societatis Angelicæ , tunc demum diuinissimi eloquij vberima inundatione fœlix conuentus ille sacer ex ore tuo potatus est. Siquidem corruptus ille verè foras missus fuerat , quem huius limpidissimi liquoris infusione sciebas indignum.*

9 Dato autem charitatis & patientiæ salutari mandato , & disposito fratribus regno Patris tui , ad locum traditori tuo notum cum illis diuertisti , sciens omnia quæ ventura erant super te. Ibi animæ tuæ tristitiam , quam ex imminente passione sponte assumpsisti : sicut & cætera , quæ passus es , in auribus fratrum profiteri non erubuisti , dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Positis itaque genibus procidisti in faciem tuam , orans in agonia & dicens : *Abba Pater , mi Pater , si possibile est , transeat à me calix iste.* Et angustias quidem cordis tui certissimè indicabat sudor ille sanguineus , qui orationis tempore de sanctissima carne tua guttatum decurrebat in terram. Dominator Domine Iesu Christe , vnde animæ tuæ hæc tam vehe-

mens tristitia? unde tanta sudoris anxietas,
& tam anxia supplicatio? Nonne voluntariū omnino Patri sacrificiū obtulisti, &
nihil inuitus pertulisti? Vtique Domine.
Arbitramur autem, quod & hoc quoque ad
consolationem infirmorum membrorū tuo-
rum assumpsisti, ne fortè desperet quis, si ca-
ro infirma remurmureret: vbi ad passionem
promptus est spiritus. Ni mirum ut & majo-
ris erga te amoris & gratitudinis stimulos
haberemus naturalem carnis infirmitatem:
huiusmodi indicis in te expressisti, quibus
docceremur, quia verò languores nostros ipse
portasti, & non ab sene sensu doloris, passio-
num sentes percurristi. Vox enim illa, vox
carnis fuisse videtur, non spiritus; ex eo quo
subiunxisti: *Spiritus quidam promptus est, caro*
autem infima: quād promptus enim fuerit
spiritus tuus, bone Iesu, ad passionem, eui-
denter ostendisti, quando venientibus vià
cum proditore tuo viris sanguinum, queren-
tibus animam tuam cum laternis, facibus, &
armis per noctem, ultra occurristi, & signo
dato, quod acceperant à duce flagitiū te ipsum
manifestasti. Nam accedentem ad osculum
sanctissimi oris tui cruentam bestiam auersa-
tus non es, sed os, in quo dolus inuentus non
est, ori, quod abundauit malitia, dulciter ap-
plicuisti.

10 O innocens Agne Dei, quid tibi & lu-
po illi? Quae conuentio Christi ad Belial? Sed
& hoc benignitatis tuae erat Domine: ut
omnia

omnia illi exhiberes, quæ præui cordis pertinaciam emollire potuissent. Nam & veteris amicitiæ illum commonuisti, dicens: *Amice ad quid venisti?* Et horrore sceleris sui cor impij ferire voluisti, cùm dicebas: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Et ecce Philistym super te Samson. Non illos abs te terruit, quod in hora comprehensionis tuæ omnipotenti brachio terræ eos allisisti, non quidem defensionis causa, sed ut cognosceret humana præsumptio, nihil se posse aduersum te, nisi quantum permitteretur à te: & quis audiat fine gemitu qualiter in illa hora homicidas manus tibi iniecerunt, & innocentes manus tuas bone Iefu viaculis constringentes, agnum mansuetissimum nihil loquentem ad instar latronis contumeliosè traxerunt ad victimam? Sed nec tunc misericordiam tuam super inimicos tuos distillare fauus dulcedinis tuæ Christe cessauit. Nam & mutilatam ab ipso discipulo tuo auriculam inimici tangens sanasti, & defensoris tui zelum à lœsione trahentium te compescuisti. *Maledictus furor eorum, quia pertinax:* quem nec maiestas miraculi: nec pietas beneficij constringere potuit.

II. Concilio malignantium aduersus te Pontificum præsentatus, & veritatem es prout docuisti confessus: quasi de blasphemia adjudicatus es morti. Amantissime Domine Iefu, quanta illic indigna opprobria à propria gente pertulisti? Vultum tuum honorabilem, in quem desiderant Angeli prospicere: qui

qui omnes cœlos adimplet lætitia: quem deprecantur omnes diuites plebis, polluti labij sui sputis inquinauerunt, sacrilegis manibus cæciderunt, velo operuerunt in derisionem, & te Dominum vniuersæ creature tanquam seruum contemptibilem colaphizarunt. Adhuc autem & animam tuam incircumcisso cani deglutiendam tradiderunt. Vinctum siquidem ante faciem Pilati te perduxerunt, postulantes supplicio crucis interimi te, qui peccatum non nomeras, & virum homicidam donari sibi: agnum lapo, aurum luto postponentes. O indignum & infœlix concambium. Et quidem non ignorabat impius ille per inuidiam hoc fieri in te: nec tamen abstinuit temerarias à te manus, sed repleuit amaritudine animam tuam sine causa. Iludendum Herodi te misit: illusum recepit: nudus in conspectu irrisorum astare te iussit: nec pepercit amarissimis verberibus virginem carnem tuam diuellere, plagas plagis, liuores liuoribus crudeliter infligens.

12 Dilecte puer Domini Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? prorsus nihil: ego homo perditus totius contritionis, totius confusonis tuæ tibi causa extiti. Ego tuam acerbam comedí, & dentes tui obstupuerunt, quia quæ non rapuisti tunc exoluebas. In omnibus his non est perfidorum Iudorum sanata impietas. Nouissime autem in manus incircumcisorum militum deuolutus es, morte turpissima consumendus.

fumendus. Parum erat sacrilegis istis crucifigere te, nisi prius & ipsi repleuisserent illusionibus animam tuam. Quid enim de illis ait Scriptura? Et congregauerunt ad eum uniuersam cohortem in Praetorium, & exuentis eum vestimentis suis, induerunt eum tunica purpurea, & chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plenientes coronam de spinis, imposuerant capiti eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo illuminabant ei, dicentes; Ave Rex Iudeorum, & dabant ei alapas, & expuentes in eum accipiebant arundinem, & percutiebant caput eius.

Et postquam illuserunt ei, induerunt eum vestimentis suis, & duxerunt ut crucifigeretur balstantem sibi crucem. Et perduxerunt eum in Golgotha, & dabant ei vinum myrratum cum felle mixtum bibere, & cum gustasse, noluit bibere. Tunc crucifixerunt eum, & duos latrones cum eo, hinc & hinc, medium autem Iesum. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Postea sciens Iesus, quia omnia consummata erant, ut Scriptura consummaretur, dixit: Sitio. Et currens unus ex eis acceptam spongiam impleuit acetum, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cum ergo accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et clamans voce magna dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum: & inclinato capite emisit spiritum. Tunc unus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.

13 Exergiscere nunc anima mea, & excutere de puluere, & contemplare attentius virum.

virum hunc memorabilem : quem ecce in speculo Euangelici Sermonis quasi praesentem intueris. Attende anima mea quis est iste , qui ingreditur, habens imaginem quasi Regis,& nihilominus serui despectissimi confusione repletus. Coronatus insedit, sed ipsa eius corona cruciatus est illi , & mille puncturis speciosum eius verticem diuulnerat. Regali purpura induitur, sed potius in ea despicitur,quam honoratur. Sceptrum in manu gestat, sed eo ipso caput eius reverendum ferit. Adorant coram ipso positis in terra genibus, Regem conciamant,& continuo ad conspuendum amabiles genas eius subsiliunt, maxillas palmis concutiunt , & honorabile collum exhonorant. Vide anima mea , quomodo per omnia vir iste coarctatur & spernitur. Sub crucis onere dorsum incuruare iubetur , & suam ipsius portare ignominiam. Ad locum deductus supplicij myrrha potatur & felle. In crux subleuatur,& dicit: Pater dimitte illis,quia nesciunt quid faciunt.

14 Qualis est hic,qui in omnibus pressuris suis nec semel os suum aperuit, vt aut querevae,aut excusationis,aut comminationis , aut maledictionis verbum aduersus maledictos canes istos proferret ? Et nonissime verbum benedictionis , quale à seculo non est auditum , super inimicos suos effudit. Quid hoc viro mansuetius? quid benignius anima mea vidisti? Adhuc autem intentius illum intuere, quia & grandi admiratione & tenerrima compassione

94 *Meditatio S. Anselmi,*
compassione dignus apparet. Vide nudum
& verberibus laceratum, in medio latronum
cruci ignominiosè ferreis clavis affixum, ace-
to in cruce potatum, & post mortem lancea
in latere vulneratum, & copiosos sanguinis
riuos ex quinque vulneribus manuum, pe-
dum & lateris effundentem. Fletum dedu-
cite oculi mei, & liquescet anima mea igne
compassionis super contritione amabilis viri
illius, quem in tanta mansuetudine tantis vi-
des afflictorum doloribus.

15 Et iam quidem infirma eius anima mea
vidisti, & miserta es, nunc & maiestatem eius
attende, & amplius miraberis. Quid enim
ait Scriptura? *A sexta autem hora tenebræ fa-*
lta sunt super uniuersum terram, usque ad ho-
ram nonam, & obscuratus est sol, & velum templi
scissum est à summo usque deorsum, & terra mota
est, & petræ scissæ sunt: & monumenta aperta
sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant,
surrexerunt. Qualis est hic, quia cœlum &
terra compatiuntur ei, cuius mors mortuos
vinificat? Cognosce anima mea, cognosce, hic
est Dominus Iesus Christus Saluator tuus,
vnigenitus Dei Filius, verus Deus, verus ho-
mo, qui solus sub sole sine macula inuentus
est. Et ecce quomodo cum sceleratis reputatus
est, & quasi vir leprosus, & nouissimus virorum
estimator est. Et tanquam abortium, quod pra-
dictum est à vulna: si proiectus est ab utero matris
sue infelicis synagogæ. Iste formosus præ filiis
hominum: quam deformis præ filiis hominum
factus

factus est? Siquidem *vulneratus* est propter iniquitates nostras, & *attritus* est propter scelera nostra. Et factus est holocaustum suauissimi odoris in conspectu tuo Pater æternæ gloriæ: ut auerteret indignationem tuam à nobis, & confedere nos sibi faceret in coelestibus.

16 Respice Domine sancte Pater de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster sanctus puer tuus Dominus Iesus Christus pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudinem malitiae nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri Iesu clamat ad te de cruce. Quid enim est Domine quod pendet in ea? Pendet, inquam, quia præterita quasi præsentia coram te sunt. Cognosce Pater, tunica filij tui veri Ioseph hæc est, fera pessima deuorauit eum: & conculcauit in furore suo vestimentum eius, & omnem decorum illius reliquias cruoris inquinauit. Et ecce quinque scissuras lamentabiles in eo dereliquit. Vide Domine pallium quod in manu adulteræ generationis, id est, Ægyptiæ meretricis, pudicus ille adolescens reliquit, meliorum æstimans iacturam vestimenti quam innocentiae sanctæ, magisque eligens spoliatus à carnis pallio in carcerem mortis defendere, quam pro mundi gloria adulterinæ voci acquiescere. Illi, inquam, voci, qua dictum est: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me:* quod

quod utique esset dormire cum adultera. Et nunc Domine Pater, scimus quia *vixit Filius tuus, & ipse dominatur in tota terra Aegypti,* immo in omni loco dominationis tuae. Eductus enim ad imperium tuum de carcere mortis & inferorum, & attonitus mortalitatis commam mutata ueste carnis in immortalitatis decore resploruit, & cum gloria suscepisti eum. Subneruauit diri Pharaonis imperium, & cum triumpho nobili virtute propria coelos penetrauit. Et ecce gloria & honore coronatus, in dextera maiestatis tuae assistit vultui tuo pro nobis. *Frater enim & caro nostra est.*

17 *Respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices vulnerum eius in perpetuum, ut in memineris quantam satisfactionem pro peccatis nostris ab eo suscepferis.* Utinam Domine appendas in statu peccata nostra, quibus iram meruimus, & calamitatem, quam passus est pro nobis innocens Filius tuus. Certè Domine haec grauior apparebit & magis digna, ut per ipsam effundas misericordiam suam super nos, quam sint illa, ut pro peccatis nostris contineras in ira misericordias tuas. Gratias tibi, Domine Pater, referat omnis lingua de superabundantia pietatis tuae, qui unico Filio cordis tui non pepercisti: sed pro nobis illum tradidisti in mortem, ut tantu[m]q[ue] fidelem aduocatum haberemus in coelis coram te.

18 Et tibi, Domine Iesu, fortissime zelotes,
 quid gratiarum, quid retributionis dignè re-
 tribuam ego homo puluis & cinis & vile
 figmentum? Quid enim pro salute mea fa-
 cere debuisti, & non fecisti? Ab imo pedis
 usque ad summum verticis totum in aquas
 passionum te demersisti, ut me totum de illis
 extraheres, & intrauerunt aquæ usque ad ani-
 mam tuam. Nam & animam tuam in mortem
 perdidisti, ut animam meam perditam mihi
 redderes. Et ecce duplixi debito me obliga-
 sti. Nam & pro eo quod dedisti, & pro eo
 quid mei causa perdidisti, debitor tibi sum.
 Et pro mea quidem vita bis à te mihi data, se-
 mel in creatione, semel in redemptione: quid
 magis iustè tibi reddam, quam ipsam, non ha-
 beo; pro tua autem pretiosa anima ita con-
 tribulata, quid ab homine dignè rependi pos-
 sit, non inuenio. Nam si cœlum, & terram, &
 omnem ornatum eorum pro ea rependere
 possem, certè nec sic usque ad mensuram de-
 biti ullatenus attingerem. Ut autem id ipsum,
 & quod debeo, & mihi possibile est tibi Do-
 mine retribuam, tui muneris est. Diligendus
 mihi es *toto corde, tota anima, tota mente, tota*
virtute, & tua mihi sequēda vestigia, qui mori
 dignatus es pro me. Et quomodo fiet istud
 in me nisi per te? Adhæreat anima mea post
 te, quia tota virtus eius dependet ex te.

19 Et nunc Domine Iesu Redemptor meus,
 te ut verum Deum adoro, in te credo, in te
 spero, & quibus possum desideriis ad te su-

spiro. Adiuua imperfectionem meam, ad tuæ passionis gloriae insignia, in quibus salutem meam operatus es totum me inclino. Tuæ victoriosæ crucis regale vexillum in nomine tuo Christe adoro, tuum spineum diadema, tuo rubentes sanguine clavos, tuo sancto latere impressam immensam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, tuam victoriosam resurrectionem & glorificationem Christe supplex adoro & glorifico. Odor enim vitæ mihi spirat in omnibus his. Horum viuifico odore spiritum meum Domine à peccati morte resuscitata. Horum virtute ab astutiis Satanæ me custodi, mèque conforta, ut & iugum mandatorum tuorum suave mihi fiat, & onus crucis, quod post te baiulare me iubes, humeris animæ meæ leue sit atque portabile. Quæ est enī fortitudo mea, ut iuxta præceptum tuum mundi pressuras tam multiplices animo invicto sustineam? Nunquid pedes mei tanquam ceruorum, ut te velociter currentem per spinas & confraga passionum consequi valeam?

20 Sed audi quæso vocem meam, & inclina super me famulum tuum suauem illam crucem, quæ lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, ut & spiritu curram alacriter. Portabo infatigabiliter eam, quæ ab inimicis est, crucem post te. Illam, inquam, diuinissimam crucem humeris meis impone, cuius latitudo est charitas, super omnem creaturam se exten-

se extendens : cuius longitudo æternitas, cuius sublimitas omnipotentia, cuius profunditas inscrutabilis sapientia est. Confige illi manus meas, & pedes meos, & totam formam passionis tuæ me famulum tuum indue. Da mihi obsecro continere ab operibus carnis, quæ odisti ; & facere iustitiam, quam dilexi-
sti : & in utroque tuam quærens gloriam, &
sinistram quidem meam clavo temperantæ,
dexteram verò clavo iustitiae in illa sublimi
cruce confixam arbitrabor. Da menti meæ
iugiter meditari in lege tua, & omnem cogi-
tatum meum iactare in te, & dexterum pe-
dem meum eidem ligno vitæ prudentiæ cla-
vuo affige. Da ut ministram spiritus mei sén-
sualitatem nec eneruet præsentis vitæ infœ-
lix fœlicitas, nec conturbet perennis vitæ
præmia fœlix infœlicitas ; & sinister quoque
pes meus fortitudinis clavo in cruce tene-
bitur.

21 Ut autem & spinarum capitis tui ali-
qua in me similitudo appareat, detur obsec-
ro menti meæ & salubris pœnitentiæ com-
punctio, & alienæ miseriæ compassio, & stimu-
lus zeli æmulantis, quod rectum est cor-
ram te, & ad te conuertar in ærumna mea,
dum triplex mihi configitur spina. Libet ut
& spongiam per arundinem ori meo porri-
gas, & aceti amaritudinem gustui meo ad-
hibeas. Libet ut per scripturas tuas rationi
meæ conferas gustare & videre, quomodo
florens hic mundus tanquam spongia inanis

est, & omnis concupiscentia eius aceto amarior. Ita Pater in me fiat, ut calix iste Babylonis aureus inebrians omnem terram, nec inani me splendore seducat, nec falsa dulcedine inebriet, quemadmodum eos, qui tenebras lucem, & lucem tenebras; amarum dulce, & dulce amarum arbitrantur. Vinum myrratum cum felle mixtum, suspectum est milii pro eo, quod tu ex eo bibere noluisti: forte quia nimiam acerbitatem inuidiae & nequitiae crucifixorum tuorum indicabat.

22 Tux quoque viuificæ morti famulum tuum configura, faciens in me ut moriar quidem peccato secundum carnem; viuam autem iustitiae secundum spiritum. Ut autem integrum crucifixi imaginem portare me glorier, illud quoque, quod post mortem tuam insatiabilis malitia Iudeorum impiorum in te exercuit, hanc in me similitudinem expime. Vulneret cor meum viuus & efficax sermo tuus, & penetrabilior omni lancea acutissima, & pertingens usque ad interiora animæ meæ, producat ex ea tanquam à dextro latere meo, vicæ sanguinis & aquæ, amorem tuum Domine & fratribus meorum. Postremò & munda sindone primæ stolæ spiritum meum induolue, in qua requiescam, ingrediens ad te in locum tabernaculi admirabilis, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.

23 Die autem tertio post diem laboris, post diem simplicis gloriæ, & mane prima Sabbati

Sabbati perpetui inter filios tuos me indignum resuscita, ut in carne mea videam claritatem tuam, & adimpler laetitia vultus tui. O Saluator meus, ô Deus meus, veniat, veniat, oro, tempus, vt quod nunc credo, reuelatis tandem oculis aspiciam; quod nunc spero, & à longè saluto, apprehendam; quod nunc pro viribus meis desidero, vlnis animæ meæ amplectar ac deosculer, & in amoris tui abyssō totus absorbear. O Saluator meus & Deus meus. Sed nunc interim benedic anima mea Saluatorem tuum, & magnifica nomen eius, quod est sanctum, & sanctissimis deliciis plenum.

24 O quam bonus & suavis es Domine IESV animæ querenti te: Iesu redemptor captiuorum, Saluator perditorum, spes exultum, laborantium fortitudo, angustiati spiritus latitudo, animæ lacrymosæ, & post te in sudore currentis, dulce solatium & suave refrigerium, corona triumphantum, vñica merces & laetitia omnium supernorum ciuium, uberrime fons omnium gratiarum, inclyta proles summi Dei. Summe Deus, te benedicant omnia quæ in cœlo sunt sursum, & quæ in terra deorsum, quia magnus es tu, & magnum nomen tuum. O immarcescibilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam viuificans, lux omne lumen illuminans & conseruans in perpetuo splendore, mille milena millia lumen fulgentia ante thronum diuinitatis

tua à primæuo diluculo. O æternum, & incessabile, clarum & dulce profluum fontis absconditi ab oculis nostris, qui solus ortum nescit, fundo caret, circumscriptioñis terminum non habet, nihil perturbationis admittit. Eructauit te cor Dei altissimi de suæ profunditatis impenetrabili abyfso, vita vitæ, lux lucem, Deus Deum, æternus æternum, immensus immensum ac per omnia sibi coæqualem, & de plenitudine tua omnes accepimus. Te enim, largissime fons omnis boni septemplicis gratiæ pretiosum lumen: Te, inquam, piissime spiritus deprecor, ut si qua pro fragilitate mea in veritate maiestatis tuæ minus intellexi, & in præceptis dominicis intellecta per lasciuiam carnis neglexi, tua me visitatione illustrare digneris: quibus ea decenter & mihi necessariè corrigam, meique erroris per te misericordiam consequar, ut per te, quem in periculo huius vitæ pelago in auxilium aduocavi, sine naufragio ad portum perennis requiei perducar.

25 Te itaque, Pater clementissime, peto, ut qui me primitus creasti, per passionem unigeniti tui recreasti, quicquid ad laudem tuam pertinet, me cogitare facias & amare. Sed quia fragilis sum, nec possum perficere, sedula tamen confessione concedas me studere, ut redemptionis ac saluationis tuæ gratiam consequar. Et quicquid deinceps operis agam, ex tua, & per tuam, & in tuâ gratia ad laudem tuam totum peruenire facias, meique deinceps

deinceps tuere à peccatis, & in bonis ope-
ribus validiorem esse præcipias, & ut quam-
diu in hoc corpore viuam, aliquid seruitij ti-
bi semper exhibeam. Post exitum verò animæ
meæ à corpore veniam omnium peccatorum
consequi, & vitam æternam me percipere
concedas. Per eum, qui tecum viuit & regnat
per omnia sæcula sæculorum. Amen.

M E D I T A T I O X.

De diuinitate Christi.

I **V** E R B V M secretum nihil est ad
te Domine mi, rex sæculorum
Christe Iesu. Ausu charitatis allo-
qui te præsumit factura manus tuæ, concipi-
scens decorem tuum, & audire te gestiens.
Desiderate cordis mei, usquequò tuis in o
absentiam tuam? Usquequò ingemiscam, &
stillabit post te oculus meus? Amabilis Do-
mine, ubi habitas? Vbi est diuersorium tuum,
in quo latus recumbis inter charissimos
tuos, & satias eos manifestatione gloriæ tuæ?
Quam fœlix, quam illustris, quam sanctus,
quanta appetendus auiditate, locus ille dei-
ficæ voluptatis, locus perennium deliciarum?
Non accessit oculus meus, neque appropin-
quavit cor meum, usque ad multitudinem
dulcedinis tuæ, quam intrinsecùs abscondisti
filiis tuis. Solo eius odore foris utcunque
sustendor. Spiramentum suavitatis tuæ de-

longinquo venit ad me , quæ est mihi super odorem balsami & fragrantiam thuris ac myrræ, omnisque generis sua via odoramenta. Concupiscentias mundas parit in me, quarum est adustio dulcis , vix portabilis tamen. Quid enim mihi est in cœlo ? quis est thesaurus meus in illa cœlica cella ? quæ est hæreditas mea in terra viuentium ? Nonne Christus Dominus meus , vnica salus mea, totum bonum meum, plenum gaudium meū ? Et quomodo potero continere cor meum Domine , vt non amet te ? Si non amauero te, quid amabo ? Si transtulero amorē meum à te, vbi ipsum dignè collocabo ?

? Desiderabilis Domine , vbi extra te requiescerent desideria mea? Si vspiam extra te pedem extendat amor meus, pollutus erit : si à te declinauerint desideria mea, vana erunt. Nonne tu amabilis & desiderabilis es , super omnia quæ amari possunt & desiderari ? Abs te habet quicquid habet omnis creatura decoris & pretij. Et quid mirum si omnia solus præcellis? Tu inter astra excellenti solem claritate vestisti , & clarior sole tu es. Imò quid est sol, quid est omnis creata lux ad tui comparationem nisi tenebræ? Ornasti cœlum sideribus , empyreum Angelis , aëra volucribus, aquas piscibus, terras, herbis, floribus, virgulta. Sed non est species vltra, neque decor omnibus iis, in tui comparatione, ô fons uniuersæ pulchritudinis Domine Iesu. Melli dulcedinem suam præstitisti , & dulcior melle tu

es.

es. Oleo suavitatem suavitatis suam dedisti, & suauior oleo tu es. Aromatibus cunctis odores suos tribuisti, & est ô Iesu odor tuus super omnia aromata suavis & gratus. Aurum inter omnia metalla pretiosum & pulchrum, in singulari excellentia à te conditum est. Et hoc quid est, comparatum imprestabilis Domino, & immensæ claritati, in quam desiderant Angeli prospicere? Opus manuum tuarum est omnis lapis pretiosus, & desiderabilis ad videndum, sardius, topazius, iaspis, chrysolitus, onyx, beryllus, amethystus, sapphirus, carbunculus, & smaragdus. Et hæc quid sunt nisi festucæ ad tui comparationem, ô Rex decorus nimis & multum amande? Tuæ operationis sunt geminæ viuæ & immortales, quibus ô sapiens architecte in exordio sæculorum aulam superætheream pulchrè distinxisti, ad laudem & gloriâ Patris.

3 Per te millia millium ad complenda Patris mysteria, alaci discursu ingiter meant inter cœlum & terram, quasi apes negotiosæ inter aluearia & flores, disponentes omnia suauiter: populus accinctus, nesciens labem vel inobedientiæ morâ. Per te centena decies millies millena assistunt in sanctuario vranici templi, intendententes in vultum maiestatis claro & inflexibili visu, ac personantes harmoniam incessabilis hymni, in gloriam trinæ & simplæ diuinitatis. Per te Seraphim ardet, per te Cherubim lucet, per te Throni iudicant.

4 Tu Dominus noster, ignis es innocuè ardens, & à tuæ diuinitatis immediata approximatione, totus charitate ignitus, & flamma coruscatione vestitur sacer ordo Seraphim, qui & sui suavis incendi exuberantiam spargit in cæteras tibi militantes phalanges, de quarum plenitudine gustamus & nos. Tu Deus noster, vera lux es, & suscipiunt montes populo tuo lucem, dum thesauros sapientiæ & scientiæ in te reconditos, ad intuentes te è vicino oculos Cherubim, per te ipsum largè effundis, & deriuari facis ad illuminandas subordinatas illis electas lampades admirabilis tabernaculi tui, quæ ante faciem tuam, Domine, inextinguibiliter lucent. Tu Rex Regum, & Iudex Iudicium magne & metuende, excelsos insides thronos, solam super se habentes celitudinem tuam: sedes viuas, & suaves, pacatissimas, summaque tranquillitatis uniformitate compactas, per te discernentes vias veritatis, per te iudicantes iudicia æquitatis.

5 Dominator Domine, te dominationum sublimitas sancta adorat, singulari liberalitate animam in diuina extendens, atque inter prænobiles aulæ tuæ heroes, per te primatum agens alti domini sine altitudine fastus. Nobile decus principum, per te Domine Deus meus celsus ordo principatum, sine inuidiosa præcellentia principatur super militiam cœli, cui ad explenda diuina mysteria, iuxta perceptam intrinsecus cordis tui dispositionem,

positionem , dulcis magisterij præbet duca-
tum. Tua est potentia potestatum Domine,
prementium in flammeo celo colla tartarico-
rum principum ; & te in illis metuunt , ne
quam volun^t. valeant perficere malum ob
perniciem nostram. Tua est ô virtus Patris,
omnis mirificentia beatarum virtutum, qua-
rum agitur ministerio , vt te miretur omne
sæculum, & obmutescens in mirabilibus tuis,
exclamat & dicat : *Omnia quæcumque voluit.*
Dominus, fecit in cælo & in terra, in mari & in
omnibus abyssis. Tua est ô dulcis Iesu magnifi-
centia Archangelorum, in quibus multæ di-
gnationis opus operatur benignitas tua, dum
tam gloriosos palati^j tui Satrapas destinare
non spernis in hæc mundi infima , ad suffra-
gandum paruitati nostræ , qui comparati su-
mus luto , & assimilati fauillæ & cineri. Per
hos quippe tuo iussu , summa nostræ salutis
administrantur negotia , summâque superni
consilij ad nos deferuntur arcana : per hos
sanitates mortalium procreantur , per hos
consistunt regna & imperia mundi. Inter
quos præcipuum nouimus tuum Michaëlem,
signiferum nobilem, cœli ciuem, qui stat pro
acie Dei viuentis, extendens romphæam pro-
pugnationis, ac voce terrifica intonans , *quis*
ut Deus, super eos qui ex aduerso sunt. Sed &
illa foelicium Angelorum amabilis innocen-
tia, nonne pretiosum opus digitorum tuorum
est. ô Dei sapientia? Vnde exornasti eos quasi
incorruptibili vestitura in die qua condidisti

eos, in opus sacri ministerij tui. Hi sunt viua sydera superioris cœli, lilia interioris paradiſi, rosæ plantatæ super aquam Siloë, quæ fuit cum silentio, tibi mentium radicibus immobiliter hærent. O flumen pacis, ô deliciarum agri odor, ô sapientia sola gyrum cœli circuiens, ex te lucent, carent, rubent, in sapientia multa, in castitate virginea, in charitatis ardoribus sempiternis. Florida hæc iuuentus Domine, fideliter tibi in nostra infirmitate deseruit, dum in his tenebris mundi, gressus nostros pædagogica manuductio ne dirigit, dum hostiles incursus à nobis repellit, dum voluntatis tuæ secreta nobis nuntiat, dum ad bona quæque mentes dissolutas roborat, dum orationum nostrarum thymiamata ad aram auream transfert, & faciem pij Patris pro nobis semper exorat.

6 Ita pie Pater, de nobis longè adhuc agentibus aliquâ tibi cura est. Et si quid pretij habet drachma decima, olim à finu tuo elapsa, & nunc tandem in laboribus tuis requisita, hoc tui bone Iesu pij est muneris. Si quid dulcisonæ vocis habet hæc decima chorda diuinæ laudationis, hoc tuus in ea suauis contactus operatur, dum in psalterio deca chordo psallis gloriam Patris. Psalle ut psal lis Domine, modulare dulce melos Patri, velocibus articulis multiformium gratiarum. Tange nouem illas purissimas chordas in cœlo, quæ nihil triste vñquam sonuerunt. Tange & istam decimam graue, cuius superior quidem

dem portio iam pertracta ad te lætitiam sonat.inferior adhuc terræ astricta,mœstos nouit reboare sonos.

7 Cuncta virtutis tuæ opera,ô Dei vnigenite, dum attenta mente considero , stupens expauesco,quia multum per omnem modum in eis gloriosus appares. Magna enim pulchra,& bona sunt valde, sed ad tui comparationem , quasi nihilum & inane reputantur. Cœli & terra,& omnis ornatus eorum,te auctore & gubernatore subsistunt, & te potentem & metuendum, sapientem & pulchrum, bonum & amabilem , omnia prædicant ; & quantum lux tenebras , tantum cuncta solus præcedis. Et tu in cœlo seruatus es Deus meus,merces serui tui , ipse dator & donum salutis,quam à te expectat anima mea. *Et à te quid volui super terram? Quid voluor de cœlo in centrum?* Quid melius, quid amabilius te existimaui super terram,vt abstraherem cor meum à te , ad concupiscentium quidquam in mundo absque te ? Cur amavi,quare concipiui in omni vita mea quicquam,præter te Iesum Deum meum? Quare distuli,cur intermisisti vlo tempore, te Iesu versare in corde,te tota mente amplecti, & delectari in tua dulcedine omnia interiora spiritus mei ? Vbi eram quando tecum mente non eram ? Quò defluxerunt,quando te non solum habuerunt desideria mea ?

8 Deus vitæ meæ quàm vanè consumpta sunt, quàm infructuosè elapsa sunt tempora mea

110 *Meditatio S. Anselmi,*
mea quæ dedisti mihi, ut facerem voluntatem
tuam in eis, & non feci. Quanti anni, quot
dies, quot horæ perierunt apud me, in qui-
bus sine fructu vixi coram te? Et quomodo
subsistam? Quomodo levare potero oculos
meos in faciem tuam, in illo magno examine-
tuo, si rememorari iusserris omnia peccata
mea, vel tempora mea, & fructum requisieris
singulorum? Patientissime Pater, non fiat hoc,
sed fint in obliuione coram te, quæ perdidi
tempora, heu multa nimis. Et si quæ te iu-
uante utiliter seruavi, quorum ô Domine nu-
merus breuis est, in memoria æterna fac per-
mânere: fiat amande pater, saltem hoc resi-
duum temporis mei, fructuosum & sanctifi-
catum in gratia tua, ut in diebus æternitatis
inueniat locum, & computabile sit ante te.
Iam ex hoc nunc omnia desideria mea inca-
lescite, & effluite in Dominum Iesum; curri-
e, satis hactenus tardastis, properate quoè per-
gitis, quærите quem quæritis. Iesum quæritis
Nazarenum crucifixum. Ascendit in cœlum,
non est hic. Non est ubi erat. Non est ubi
nobile caput suum reclinare non poterat.
Non est ubi ambulauit in medio tribulatio-
nis, repletus despectione. Non est ubi stetit
iudicandus ante faciem Pilati. Non est ubi
stetit spretus & illusus coram Herode. Non
est ubi pependit consputus, cæsus, vulneratus,
& cruento perfusus in medio sceleratorum.
Non est ubi iacuit lapide clausus, & gentium
militia custoditus.

9 Vbi verò est? Amantissimus Domini habitat confidenter , & flagellum non approximatur tabernaculo eius. Super altitudinem cœlorum, super omnem excellentiam Angelorum, propria virtute ascendit ; super solium singularis gloriæ in dextra Petris, cui coæternus & consubstantialis sedet, & diuino amictus lumine, coronatus gloria & honore , ut decet vnigenitum Dei, serenus in lætitia, plenus omni potentatu, Dominus in cœlo & in terra. Ibi adorant eum omnes Angeli Dei, & vniuersa multitudo ciuium cœlestis Sion. In ipso vnanimiter lætantur omnium corda, in eius desiderabili facie pascuntur omnium oculi bonorum. In ipsum vndique confluunt desideria omnium sanctorum, ipsi iubilat, ipsi applaudit, ipsum magnificat tota vranica ciuitas, gloriofa per omnia modum in splendoribus eius.

10 Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in media tui sanctus Israël. Exaltate in nobili filio vestro vos illustres Patriarchæ, quia impieta est in eo omnis expectatio vestra, & ipse sublimis est valde, & benedicuntur in ipso , vestro videlicet semine, omnes gentes, sic enim pollicitus est sermo diuinus. Gaudete in Iesu Propheta magno, vos Prophetæ viri veraces, quia mirificè & gloriose impleta videtis omnia, quæ de ipso annuntiasti in Spiritu sancto , & fideles inuenti estis per ipsum in cunctis sermonibus vestris. Gaudete in Domino Iesu magistro vestro, vos incliti proceres

ceres cœli, beati Apostoli, gaudete in ipso, & iterum dico, gaudete cum Christo familiari lætitia. Ecce enim quem vidistis in medio vestri esurientem & sitientem, fatigatum, & iis similia carnis infirma tolerantem ab omnibus reprobari, & cum sceleratis reputari, quomodo vicit? quomodo regnat? quomodo ei omnia sub pedibus sunt? Quam gloriosus in suo dominio, lumine fulget, & sui gaudijs, suæque ineffabili gloriæ nunc vos socios habet, qui olim permanistis cum ipso in temptationibus suis, & vexationum eius confortes fuistis. Adorate nunc dulcia illa genua, quæ se curuauerunt ante vos usque ad terram, sedentibus vobis ad sanctissimam cœnam. Adorate nunc sacrosanctas illas manus, quibus puluerem pedum vestrorum Rex Regum lauare & extergere dignatus est. Gaudete in Iesu, principe militiæ vestræ, vos martyres victoriosi, quia ipsum pro quo tradidistis in mortem animas vestras, ipsum inquam Iesum, filium Dei, possidetis præmium certaminis vestri. Gaudete in Iesu summo doctore veritatis, ô venerandi Confessores & Doctores, quia quem olim doctrinis sacris & operibus iustis confessi estis coram hominibus, nunc confitetur vos coram Patre suo & sanctis Angelis eius. Gaudete in Iesu virgine & virginum sanctificatore, vos paradisicola virgines, vos Angelis similes; quia ecce quem amastis, quem optastis, quem ardentibus desideriis expetistis, pro cuius amore terrenos sponsos

sponsos & omnem ornatum saeculi contempsistis, summi Regis filium nunc videtis, nunc tenetis, nunc in eius castis amplexibus quietis, & diuelli a vobis nulla insidiatoris fraudulentia potest.

11 Verum inter omnes coelicolas vberimum tibi gaudium sit o Maria, Virginum virgo singularis, rosa coelicæ amœnitatis, prælucidus sydus inter primænas lucernas, divini luminis susceptiuas. In tuo Iesu filio dulcissimo, sola præ omnibus gaude gaudio magno, quia quem ut hominem peperisti, & propriis vberibus enutristi, ipsum cum Angelis & vniuersis ciuibus coeli, adoras ut Deum viuum & verum. Gaude fœlix mater, quia quem vidisti in ligno crucis pendentem, vides in coelo regnante cum gloria magna, vides omnem altitudinem cœlestium, terrestrium, & inferorum maiestati eius inclinatam, & omne robur inimicorum eius attritum. Gaudia gaudiorum sunt tibi, omnis plenitudo Sanctorum. Beata Hierusalem mater nostra quæ sursum es, festiuitatem age latabundam, & indesinentem, in visione pacifica tui Iesu, libertatis tuæ auctoris.


12 Et tu nunc rursum eleuare anima mea, quali potes conatu, & sanctis te ingere milibus latantium in Domino Iesu. Illuc fidei & spei vehiculo perge, ibi per charitatis ardorem conuersare, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Intende mentis oculum in lumine vultus eius. Lustra ac deosculare gratulabunda

labunda deuotione singula loca fœlicium
plagarum eius, de quibus egressi sunt pretiosi
illi liquores sanguinis sancti, quo te appretia-
uit vnigenitus Dei, & sanctificauit in vitam
æternam. Iesu, qui non amat te, anathema sit.
Qui te non amat, amaritudinibus repleatur.
Castus est amor tuus Domine, & nihil impu-
ritatis admittit. Sobrius est sapor amoris
tui, & nullam mentem alienat à recto. Suauis
est amor tuus, & nihil habet amari: nam
& quæ amara sunt mundi, indulcat; & dulcia
eius, reddit amara. Inter angustias non co-
arctatur, inter pressuras non comprimitur,
non petit sub inopia, non mœrore contrahi-
tur. In laboribus manuum æquanimis, inter
minas securus, inter blandimenta incorru-
ptus, inter tormenta perseuerat innictus. In
morte semper est viuus. Sicut in thesauro
Eupidus gaudet, & sicut in amore vni filij
delectatur mater; ita gaudium & delectatio
est grata in charitate tua dulcis Iesu animæ
amanti te. Dulcedo mellis, suauitas lactis,
vini inebrians sapor, cunctæque deliciæ, non
sic oblectant fauces gustantium se, ut tuus
amor mentes diligentium te.

13 O dulcis Iesu, viue panis nimis concu-
piscibilis, botre suavis, oleum mixtum, mitis
agne, fortis leo, formosa panthera, simplex co-
lumba, velox aquila, stella matutina, sol æter-
ne, Angele pacis, fontale lumen sempiterno-
rum luminum, te amet, in te delectetur, te ad-
miretur omnis fensus bonus, tuæ conueniens

laudi

faudi. Deus cordis mei, & pars mea Christe Iesu, deficiat cor meum spiritu suo, & caro à concupiscentiis suis, & viuas tu in me, & concalescat in spiritu meo viuus carbo amoris tui, & ex crescat in ignem perfectum. Foveat & enutriat illum in me gratia tua, vt ardeat iugiter in ara cordis mei: ferueat in medullis meis, flagret in absconditis animæ, in die consummationis meæ consummatus inueniatur apud te. In die qua erui me videbis a tunica ista mortali quam nunc circumfero, circumdet me dilectio, tua sit animæ meæ quasi vſtimentum decoris, vt non nuda, sed vestita inueniatur, & habeat vnde abscondantur infirma eius ab oculis tuis. Ignem alienum, ignem qui per aduersarios tuos ardeat, dilectionis tue feruor elonget à me. Animam meam ad te creatorem suum attollat, & quantum satis est, tuo diuino lumine eam immerget. Domine Iesu, omnes qui te diligunt, repleantur benedictionibus tuis. Accedentes ad te, in cœlo scribantur, vt sit pax eis in velamento alarum tuarum per æuuu. Tibi autem vnicæ Dei, sit cum æterno Patre & sancto Spiritu laus indeficiens, in uiolabile decus, & solidum regnum, permanens in sæcula sæculorum. Amen.



L I B E R
M E D I T A T I O N V M

B. ANSELMI, DE SALVTE
animæ, qui & enchyridion, siue
manuale dici potest. Alias in-
scribitur, libellus de contempla-
tione Christi, siue de verbo Dei,
quo sopita cœlestis desiderij me-
moria renouetur.

P R O L O G V S.

 VONIAM in medio laqueorum
positi sumus, facile à cœlesti deside-
rio frigescimus. Quapropter assi-
duo indigenus munimento, ut ex-
pergefacti ad Deum nostrum verum & sum-
mum bonum, cum defluimus, recurramus. Id-
circo nō præsumptionis temeritate, sed magna
Dei mei dilectione huic opusculo ad laudem
eius operam dedi, ut ex elegantioribus dictis
sanctorum Patrum, & manuale verbum de
Deo meo mecum semper haberem, ex cuius le-
ctionis igne quoties tepesco, in eius accendar
amorem.

I. Super

I. Superexcellens perfectio Dei nostri.

I **N**VNC adesto mihi Deus meus, quem quaro, quem diligo, quem corde & ore, & qua valeo virtute, laudo atque adoro. Mens mea deuota tibi, tui amore succensa, tibi spirans, tibi inhians, te solum videre desiderans, nihil habet dulce, nisi de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, tuam gloriam frequenter sub corde reuoluere, ut tui suavis memoria sit inter hos turbines aliqua repausatio mea. Te ergo inuoco desideratissime, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Et cum te inuoco, vtique in meipso inuoco, quoniam omnino non essem, nisi tu essem in me, & nisi ego essem in te, non essem in me. In me es, quoniam in memoria mea manes, ex ea cognoui te, & in ea inuenio te, cum reminiscor tui, & delector in te, de te: ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.

2 Tu Domine cœlum & terram imples, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione. Semper agens, semper quietus. Colligens & non egens. Quærens cum nihil desit tibi. Amans, nec æstuas, zelans, & securus es. Pœnitet te, & non doles. Irasceris, & tranquillus es. Opera mutas, sed non mutas consilium. Recipis quod inuenis, & nunquam amisisti. Nunquam inops, & gaudes lucris. Nunquam auarus, & visuras exigis.

Super

Supererogas cui non debes, vel semper supererogatur tibi, ut debeas. Et quis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens. Donas debita, nihil perdens. Qui ubique es, & ubique totus. Qui sentiri potes, & videri non potes. Qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè es. Qui nec ibi dees, ubi longè es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui ubique præsens es, & vix inueniri potes. Quem stantem sequimur, & apprehendere non valimus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplete omnia, superexcedis omnia, suffices omnia. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum. Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris, nec habes accessus & recessus. Qui habitas lucem inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec vide-re potest. In te manens quietus, ubique circuis totum. Non enim scindi & diuidi potes, quia verè unus es, nec in partes efficeris, sed totus totum tenes, totum imples, totum illustras & possides.

3 Si totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam verò indicibilis es, nullo modo scribi poteris, nec concludi. Tu es fons luctis diuinæ, & sol claritatis æternæ. Magnus es sine qualitate, & ideo immensus. Bonus sine qualitate, & ideo verè & summè bonus: & nemo bonus nisi tu solus. Cuius voluntas opus est, cuius velle posse est. Qui omnia quæ ex nihilo

nihilo creasti, sola voluntate fecisti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas, & absque tædio regis, & nihil est quod conturbet ordinem imperij tui, vel in summis, vel in imis. Qui in omnibus locis sine loco haberris, & omnia contines sine ambitu, & ubique præsens es sine situ & motu. Qui nec mali autor es, quod facere non potes, qui nihil non potes, nec unquam quicquam te fecisse pœnituit. Cuius bonitate facti sumus, & iustitia pœnas luimus, & clementia liberamur. Cuius omnipotentia omnia gubernat, regit, & implet quæ creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus, ut te contineant, sed ipsa potius à te continentur. Nec particulatim implet omnia, nec ullatenus ita putandum est, ut unaquæque res pro magnitudine suæ portionis capiat te, id est, maxima maius, minima minus, dum sis potius ipse totus in omnibus, & omnia in te. Cuius omnipotentia omnia concludit, nec euadendi potentiam tuam quis aditum inuenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam euaderat.

I I. *Æstus animæ in Deum.*

TE igitur clementissime Deus, inuoco in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex desiderio quod inspirasti. Intra rogo in eam, & coopta eam tibi,

vt possideas illam quam fecisti & refecisti, vt habeam te velut signaculum super cor meū. Quæsto piissime, inuocantem te non deseras, quia priusquam te inuocarem, me vocasti & quæsistī, vt ego seruus tuus te quærerem, quærendo inuenirem, & inuentum amarem. Quæsiui & inueni te Domine, & amare desi-
dero. Ange desiderium meum, & da quod peto, quoniam si cuncta quæ fecisti, mihi de-
deris, non sufficit seruo tuo, nisi teipsum de-
deris. Da ergo teipsum mihi, Deus meus red-
de te mihi. En amo te, & si parum est, amem
validius. Tui ergo amore teneor, tui desi-
derio flagro, tui dulci memoria delector.

2. Ecce dum tibi mens mea suspirat, &
tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa
carnis sarcina minus grauat, cogitationum
tumultus cessat, pondus mortalitatis, & mi-
seriarum more solito non hebetat, silent cun-
cta, tranquilla sunt omnia. Cor ardet, ani-
mus gaudet. Memoria viget, intellectus lu-
cet, & totus spiritus ex desiderio visionis tuæ
accensus, inuisibilium amore rapi se videt.
Assumat spiritus meus pennas ut aquilæ, vo-
let & non deficiat, volet & perueniat usque
ad decorum domus tuæ, & thronum gloriæ
tuæ, & ibi super mensam refectionis ciuium
supernorum pascatur de oculis tuis in loco
pascuæ iuxta fluentia plenissima. Tu esto exul-
tatio nostra, qui es spes nostra, salus atque
redemptio. Tu esto nostrum gaudium,
qui es futurus præmium. Te semper quæ-
rat

rat anima mea, & tu præsta, ut quærendo non deficiat.

III. *Exitium animæ à Deo elongata.*

1 VÆ miseræ animæ, quæ Christum non quærit, nec amat, arida manet & misera. Perdit quod viuit, qui te Deum non diligit. Qui curat viuere non propter te Domine, nihil est, & pro nihilo est. Qui tibi viuere recusat, mortuus est. Qui tibi non sapit, desipit. Misericordissime, tibi me commendō, reddo & concedo, per quem sum, viuo & sapio. In te confido, spero, & totam spem meam pono, per quem resurgam, viuam, & requiescam. Te cupio, diligo & adoro, cum quo manebo, regnabo, & beatus ero. Anima quæ te non quærit, nec diligit, mundum diligit, peccatis seruit, & vitiis subiecta est, nunquam quiescit, nunquam secura est.

2 Famuletur tibi semper mens mea piissime. Suspiret tibi semper peregrinatio mea, ardeat in amore tui cor meum. Requiescat in te Deus meus anima mea, contempletur te in mentis excessu, cantet laudes tuas in iubilatione, & hæc sit in hoc exilio meo consolatio mei. Confugiat mens mea sub umbra alarum tuarum, ab æstibus cogitationum sæculi huius. Repauset in te cor meum, cor mare magnum, tumens fluctibus.

3 O diues omnium bonarum dapum supernæ satietatis, opulentissime largitor Deus,

F da lasso

da lasso cibum, collige dispersum, libera captiuum, & redintegra scissum. En stat ad ostium, & pulsat. Obscero per viscera misericordiæ tuæ, quibus visitaſti nos oriens ex alto, iube pulsanti misero aperiri, ut liberis gressibus ingrediatur ad te, & requiescat in te, & reficiatur de te pane cœleſti: tu enim es panis & fons vitæ, tu lumen claritatis æternæ, tu omnia ex quibus vivunt recti qui diligunt te.

IV. *Imploratio ſubſidiorum cœleſtium,*

Deus lumen cordium te videntium, & vita animarum te amantium, & virtus cogitationum te quærantium, da ut sancto tuo amori inhæream. Veni rogo in cor meū, & ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliuiscar ista temporalia. Pudet ac piget metalia pati, qualia mundus iste agit. Triste est mihi quod video, graue est omne quod de transitoriis audio. Adiuua me Domine Deus meus, & da lætitiam in corde meo, veni ad me ut videam te. Sed angusta est mihi domus animæ meæ, quoisque venias ad eam, & dilatetur a te. Ruinosa est, refice eam. Habet plurima que offendant oculos tuos, fateor & ſcio, sed quis mundabit eam, aut cui alteri præter te clamabo? Ab occulis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.

Fac me dulcis Christe, bone Iesu, fac me rogo,

rogo , amore & desiderio tui deponere onus carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum. Dominetur carni anima, animæ ratio, rationi gratia tua, & tuæ me interiorius & exterius subde voluntati. Tribue mihi, ut laudet te cor meum , & lingua mea, & omnia ossa mea. Dilata mentem meam, & attolle intuitum cordis mei, ut vel rapida cogitatione spiritus meus attingat te æternam sapientiam super omnia manentem. Dissolue me oro à vinculis, quibus constrictus teneor, ut relinquens omnia ista tibi festinem , tibi soli inhæream, tibi soli intendam.

V. *Felicitas beatæ animæ, ex Dei & Sanctorum societate.*

1 **F**elix anima , quæ terreno resoluta carcere, libera cœlum petiit, quæ te dulcissimum Dominum facie ad faciem cernit, quæ nullo mœvi mortis afficitur , sed de incorruptione perpetuæ gloriæ lœtatur. Tranquilla est & secura, iam non timet hostem, nec mortem. Habet te pium Dominum , quem diu quæsiuit, sempèrque amauit, hymnidici, sociata choris , mellis tua perpetuæ festiuitatis carmina ad laudem gloriæ tuæ, Rex Christe bone Iesu , in æternum concinit. Inebriatur enim ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potas eam.

2 Felix societas supernorum ciuium , & gloriofa solemnitas omnium ad te redeun-

tium ab huius nostræ peregrinationis tristi labore, ad amoenitatem pulchritudinis, ad formositatem totius splendoris, atque dignitatem totius elegantiae, vbi te iugiter Domine tui ciues cernunt. Nihil omnino quod conturbet mentem, ibidem auribus datur. Quæ cantica? Quæ organa? Quæ cantilenæ? Quæ melodix ibi sine fine decantantur? Sonant ibi semper melliflua hymnorum organa, suauissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem & gloriam tuam à supernis ciuibus decantantur. Amaritudo & omnis fellis asperitas in regione tua locum non habent. Non enim est ibi malus neque malitia. Non aduersarius & impugnans, nec est vlla peccati illecebra. Nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum improprium, causatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla poena, nulla dubietas, nulla violentia, nulla discordia: sed est ibi pax summa, charitas plena, iubilatio & laus Dei æterna, sine fine secura requies: & gaudium semper in Spiritu sancto.

3 O quam fortunatus ero, si audiuerero iucundissimas ciuium tuorum cantilenas, carmina melliflua, laudes summæ Trinitati debito honore promentia. Sed & nimium felix, si ego ipse meruero cantare canticum Domino Iesu Christo, de dulcibus canticis Sion.

V I. *De eadem fœlicitate ex redundantia omnium bonorum.*

1 **O** Vita vitalis, vita sempiterna & semperiternè beata. Vbi gaudiū sine moerore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate: vbi omnia bona in charitate perfecta: vbi species & visio facies ad faciem: vbi plena scientia in omnibus & per omnia: vbi summa Dei bonitas cernitur, & lumen illuminans à sanctis glorificatur: vbi præfens maiestas Dei conspicitur, & hoc vitæ cibo sine defectu mens intuentum satiatur.

2 Vident semper & videre desiderant, sine anxietate desiderant, & sine fastidio satiantur: vbi verus Sol Iustitiae mira suę pulchritudinis visione omnes reficit, & ita vniuersos cœlestis patriæ ciues illuminat, vt luceant ipsi, lumen videlicet illuminatum per Deum, lumen illuminans ultra omnem Sðlis nostri splendorem, atque cunctarum stellarum claritatem. Immortali adhærentes deitati, ac per hoc immortales & incorporales facti iuxta promissionem Domini Saluatoris: *Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meā, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint.*

VII. *Rursus de eadem fœlicitate ex malorum omnium exclusione.*

Regnum cœlorum , regnum felicissimum, regnum carens morte, & vacans sine, cui nulla tempora succedunt per ævum: vbi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, vbi victor miles post laborem donis ineffabilibus cumulatur, nobile perpetua caput amplectente corona. Utinam remissa peccatorum mole, me ultimum seruorum Christi iuberet diuina pietas hanc carnis sarcinam deponere , ut in suæ cœnitatis gaudia æterna repausandus transirem, sanctissimis supernorum choris interessem, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assisterem , præsentem Dei vultum cernerem , nullo mortis metu tangerer , de perpetuæ immortalitatis incorruptione securus gauderem , & scienti omnia coniunctus , omnem ignorantiam cœcitatem amitterem , terrena cuncta paruipenderem, conuallem lacrymarum istam intueri vel reminisci ulterius non dignarer , vbi vita laboriosa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena , vita domina malorum, ancilla inferorum : Quam humores tumidant, dolore extenuant, ardores exsiccant, aëra morbidant, escæ inflant, iejunia macerant, ioci soluunt, tristitia consumunt, solicitude coarcat, securitas hebetat, diuitiæ lactant, paupertas decit, iuuentus extollit , senectus incurvat,

uat, infirmitas frangit, mœror deprimit, diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro deletatur, anima excæcatur, totus homo conturbatur. Ex his tot, & tantis malis mors furibunda succedit, vanisque gaudiis ita finem imponit, ut quum esse desierint, nec fuisse putentur.

Sed quas landes, quæsue gratiarū actiones tibi referre valeamus Deus noster, qui nos etiam inter has tantas mortalitatis nostræ ærumnas, non definis consolari mira visitatione gratiæ tuæ? Ecce me miserum multis mœroribus plenum, dum vitæ meæ finem timeo, dum peccata mea considero, dum iudicium tuum formido, dum mortis horam cogito, dum supplicia tartari horreo, dum opera mea qua districione & discussione à te pensentur, ignoro, dum quo fine illa clausurus sim, penitus nescio, dumque hæc & alia multa mecum sub corde retracto, consolatus ades solita pietate Domine Deus, & inter has querelas, nimiisque ploratus ac profunda cordis suspiria, assumis mœstā, & anxiam mentem super alta iuga montium ad areolas usque aromatum, & collocas me in loco paſcuæ, secus riuulos dulcium aquarū, ubi præparas in conspectu meo mensam multiplicis apparatus, quæ fatigatum spiritum repauset, & cor triste lœtificet, quibus tandem refocillatus deliciis, multarum miseriarum mearum oblitus, leuatus super altitudinem terræ, in te vera pace quiesco.

M E D I T A T I O

B. Anselmi scripta ad sororem suam, de triplici ordine beneficiorum Dei, sive de præteritorum beneficiorum Christi memoria, de præsentium experientia, & expectatione futurorum.

P R O L O G V S.

Væ ad dilectionem Dei excitant, nullum ut audiat tædere debet: legitur autem in Evangelio, quod duæ sorores vehementi amore dilexerunt Dominum; & licet utraque Deum proximumque dilexerit, specialiter tamen circa obsequium proximorum occupabatur Martha; ex diuino verò fonte dilectionis hauriebat Maria. Ad Dei verò dilectionem duo pertinent; affectus mentis, & effectus operis. Et hoc opus, in virtutum exercitatione, affectus verò mentis, in spiritualis gustus dulcedine. Exercitatio virtutum in certo vivendi modo, in ieuniis, in vigiliis, in opere, in lectione, in oratione, in silentio, in paupertate, & cæteris huiusmodi commendatur, affectus salutari meditatione nutritur. Itaque ut ille dulcissimus amor Iesu in teo crescat affectu, triplici meditatione opus habes, de præteritis scilicet, præsentibus & futuris, id est, de præteritorum recordatione, de experientia præsentium, de consideratione futurorum. Cum ergo mens tua fuerit absque cogitationum tumultu,

*In virtutum exercitatione purgata, iam omnes
defecatos ad posteriora retorque.*

PRIMA PARS.

*De præteriorum beneficiorum Christi
memoria.*

APPARE C primū, cum Beata Maria ingressa cubiculum, libros quibus Virginis partus & Christi prophe-tatur aduentus euolue. Ibi adueutum Angeli præstolat, ut videoas intrantem, audias salu-tantem, ut sic repleta stupore & extasi dul-cissimam Mariam dominam tuam cum Ange-lo salutante salutes, clamans & dicens: *Anne Maria, &c.* Hoc crebrius repetens, quæ sit hæc gratiæ plenitudo de qua totus mundus mutuauit gratiam. Quodnam verbum caro factum est contemplare; & admirare Domi-num qui terram implet & cœlum, intra vnius puellæ viscera claudi, quam Pater sanctificauit, Filius secundauit, Spiritus sanctus obum-bravit. O dulcis domina quanta inebriabaris dulcedine, quo amoris igne succendebaris, cùm sentires in mente & in ventre tantæ maiestatis præsentiam: cùm de tua carne sibi carnem assumeret, & membra in quibus cor-poraliter omnis plenitudo diuinitatis inhabi-taret, de tuis sanctis membris aptaret? Hæc omnia propter te ô Virgo, ut Virginem quam imitari proposuisti, diligas, & Virginis filium cui nupsisti.

2 Iam nunc cum dulcissima domina tua
in montana conscede; sterilis & Virginis
impiere complexum, & salutationis officium,
in quo serualus Dominum, præco iudicem,
vox verbum, intus anilia viscera conclusus, ia
Virginis vtero clausum, & agnouit, & indici-
bili gaudio salutauit. Beati ventres, in qui-
bus totius mundi Saluator exoritur, pulsisque
tristitia tenebris, sempiterna lætitia prophe-
tatur. Accurre, quæsio, accurrite, tantis gaudiis
ad miscere, prostertere ad pedes utriusque,
in unius ventre sponsum tuum amplectere,
amicum vero eius in alterius vtero venerare.
Hinc matrem cum omni deuotione in Beth-
leem prosequere, & in hospitium diuertens
cum illa assiste, & obsequere parienti: lo-
catoque in praesepio parvulo, erumpe in vo-
cem exultationis, clamans cum Isaia, *Paruu-
tus natus est nobis, & filius datus est nobis*, &
amplectere illud dulce praesepium. Mitiger
verecundiam amor, timorem depellat affe-
ctus, ut sanctissimis pedibus figas labia, &
oscula genibus. Exinde pastorum excubias
mente pertracta, Angelorum exercitum ad-
mirare, cœlesti melodiae tuas interpone pre-
cess, simul corde & ore decantans, *Gloria in
extensis Deo.*

3 Noli in tua meditatione, Magorum mu-
nera præterire, nec fugientem in Ægyptum,
relinquere incomitatum. Inspiciat oculus
deuotionis, patrum Iesum dulces mammil-
las gloriose Virginis matris dulciter fugen-
tem,

tem, & mammae maternae filiali more trahit, et antem, matri arridentem. Quid visu iucundiss? Quid delectabilius? Cerne illum qui immensus est parvulus brachiis ad maternam collam pendentem, & dicas? fœlix sum fœliciorque, dum illum video, quem Reges optauerunt videre, & non viderunt. Dignus est visu, qui speciosus est forma prae filii hominum.

4 Cogita & recogita quo animo, & qua cogitatione tenebatur illa dulcissima mater eius, cum illum Dominum tantum ac tantillum in brachiis suis exultans ac læta teneret: cum ei ut infantulo gestienti, osculis frequentibus congauderet; cum eum lacrymantem super genua sua, quibus potuit modulis consolaretur; cum denique aliis atque aliis studiis ad quæ ipsa materna pietas informabat, eum pro qualitatum vicissitudinibus sedula blandiretur. Opinare verum esse quod dicunt, eum à latronibus deprehensum in via, & adolescentuli cuiusdam beneficio ereptum. Erat is, ut dicunt, principis latronum filius, qui præda potius, cum parvulum in matris gremio conspexisset, tanta in eius speciosissimo vultu splendoris maiestas apparuit, ut eum supra hominem esse non ambigens, incandescentis amore amplexatus sit eum: & dicit, inquit, beatissime parvulorum, si aliud se tempus obtulerit mihi miserendi, tunc memento mei, & huius temporis noli obliuisci. Ferunt hunc fuisse latronem, qui ad dexteram Dei crucifixus alteram bla-

132 *Meditatio S. Anselmi,*
ſphemantem corripuit dicens, *Neque tu times Deum, &c.* conuersus vero ad Dominum, eum in illa quæ in paruulo apparuit intuens maiestate pæti ſui non immemor, memento, inquit, *mei dum veneris in regnum tuum.* Itaque ad incentiuum amoris hac non inuile arbitror uti opinione, remota omni affirmandi temeritate.

5 Præterea nihilne ſuauitatis æſtimes tibi accessurum, ſi eum apud Nazareth puerum apud pueros contempleris? ſi obſequentem matri, ſi operanti nutritio affiſtentem intuearis? Quid ſi duodennem cum parentibus Ierosolymam ascendentem, & illis redeuntibus & neſcientibus in vrbe manentem, per triduum cum matre quæſieris? O quanta copia fluent lacrymæ cum audieris matrem, dulci quadam increpatione filium verberantem, *Fili quid fecisti nobis ſic?*

6 Si autem ſequi ſponſum Virginem quoque ierit, deleſtet; altiora eius & ſecretria ſcrutare, vt in Iordanis flumine audias in voce patrem, in carne filium, in columba videas Spiritum ſanctum. Ibi ad ſpirituales nuptias inuitata, ſponſum fuſcipis datum à Patre, purgationem à Filio, pignus amoris à Spiritu sancto. Exinde dilectiſſimus Iefus ſolitudinis tibi ſecreta dicauit, & ſanctificauit tibi ieunium ſubeundum, docens cum callido hoſte conflictum. Hæc ibi facta, pro te facta, & quonam modo facta ſunt diligenter attendas. Dilige eum à quo facta ſunt, & imitare

imitare quæ facta sunt.

7 Occurrat iam nunc memorię mulier illa in adulterio deprehensa; & Iesus rogatus ad sententiam, quid egerit, quidue dixerit, recordare. In terram oculos iecit, ne forte accusatam respiciens, nimis confunderet. Cùm enim scribens in terra, terrenos eos, non cœlestes prodidisset, qui sine peccato est vestrum, inquit, primus in illam lapidem mittat. Omnia & inextinguibilis Christi benignitas! Quā condemnare iustè potuit, aduerce quām pie & quām cautè liberauit. Cùm enim omnes sententia triuisset & expulisset è templo, imaginare quām pios oculos in illam leuauerit, quām dulci & suaui voce sententiam absolutionis eius protulerit? Puta quod suspirauit; quod lacrymatus fuerit, cùm diceres: *Nemo te condemnauit mulier,* &c. Fœlix ut ita dicam hæc adultera mulier, quæ de præteritis absoluuntur, secura efficitur de futuris, Iesu bone, te dicente, *nec ego te condemnabo,* quis condemnabit? *Nous est qui iustificat,* quis est qui condemnet? Audiatur de cætero vox tua, *Vade,* & iam amplius noli petere.

8 Iam nunc ingredere domum Pharisæi, recumbentem ibi Dominum tuum attende, accede cum beatissima peccatrice ad pedes eius, laua lacrymis, terge capillis, demulce osculis, foue vnguentis. Nonne iam sacro liquoris illius odore perfunderis? Si tibi adhuc suos negat pedes, insta, ora, & grauidos lacrymis

lacrymis oculos attolle; tuisque suspiriis, in-enarrabilibusque gemitibus extorque quod petis. Luctare cum eo sicut Iacob, ut ipse se gaudeat superari. Videbitur tibi aliquando quod auertat oculos, quod aures claudat, quod desideratos pedes abscondat. Tu nihilominus insta opportune, importune; clama, Usquequod clamabo, & non exaudies? Redde mihi Iesu bone letitiam salutaris tui, quia tibi dixit cor meum, quae sui faciem tuam, faciem tuam requiram. Certè non negabat pedes suos Virgini, quos oscularados præbuit peccatri.

9 Sed & domum illam non præteribis, vbi per regulas paralyticus ante pedes eius submittitur, vbi pietas & potestas obviauerunt sibi, Fili, inquit, remittitur tibi peccata tua. O mira clementia! ô indicibilis misericordia! Accepit fœlix remissionem peccatorum suorum quam non petebat, qnam non præcesserat confessio, nec meruerat satisfactio, non exigebat contritio. Corporis salutem petebat, non animæ; & salutem corporis & animæ recepit. Verè Domine; vita in voluntate tua, si decreueris saluare nos, nemo poterit prohibere. Si aliud decreueris, non est qui audeat dicere, cur ita facis? Pharisæe quid murmuras? An oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est? Certè misceretur cui voluerit. Ploremus & oremus ut velit. Bonis etiam operibus pinguecat oratio, augeatur deuotio, excitetur dilectio.

Leuentur

Leuentur puræ manus in oratione, quas non sanguis immunditiae maculauit, tactus illicitus non foedauit, auaritia non exasperauit; leuetur & cor sine ira & disceptatione, quod tranquillitas sedauit, & pax composuit, puritas conscientiae lauit. Sed nihil horum paralyticus iste legitur præmisisse, qui tamen legitur remissionem omnium peccatorum meruisse. Hæc est autem ineffabilis misericordia eius virtus. Cui sicut blasphemum est derogare, ita & hoc sibi præsumere, stultissimum. Potest cuicunque vult, hoc ipsum efficaciter dicere, quod dixit paralytico : *Dimituntur tibi peccata tua.* Sed quicunque sine suo labore, vel contritione, vel confessione, vel etiam oratione, sibi hoc dicendum expectat, nunquam ei remittuntur peccata.

10 Sed ex eundem est hinc, & ad Bethaniam veniendum, ubi sacraissima foedera amicitiae auctoritate Domini consecrantur. Diligebat enim Iesus Martham, Mariam, & Lazarum. Quod ob speciale amicitiae priuilegium, quo illi familiariori adhærebant affectu dictum, nemo est qui ambigat. Testes sunt lacrymæ illæ dulces, quibus collacrymatus est lacrymantibus, quas totus populus interpretabatur amoris iudicium, videte, inquiens, quomodo amabat eum. Et ecce faciunt ei cænam ibi, & Martha ministrabat: Lazarus autem unus erat ex discubentibus. Maria sumpsit alabastrum unguenti, &c.

Gaude

Gaude quæso huic interesse conuiuio. Singularum distingue officia. Martha ministrabat, discumbebat Lazarus, vngit Maria. Hoc ultimum tuum est, frange ibi alabastrum cordis, & quicquid habes deuotionis, quicquid amoris, quicquid desiderij, quicquid affectio-
nis, totum effunde super caput sponsi tui, adorans in homine Deum, & hominem in Deo. Si fremit, si murmurat, si inuidet prodi-
tor, si perditionem vocat deuotionem, non sit tibi curæ, ut quid, ait, *perditio hæc poterat hoc vnguentum venundari multo*, &c. Phariseus murimurat inuidens pœnitenti; murmurat Iudas inuidens effusioni vnguenti. Sed Iudex accusationem non recipit, accusatam absolu-
uit. *Sinite, inquit, illam; bonum enim opus*, &c. Laboret Martha, ministret paruum hospitium peregrino, esurienti cibum, fitienti potum, vestem algenti. Ego solus Mariæ, & illa mihi. Totum præstat quod habet, à me quicquid optat, expectet. Quid enim? Tunc Mariæ consulis, relinquendos pedes, quos dulciter osculatur; auertendos oculos ab illa speciosissima facie, quam contemplatur; amo-
uendum auditum ab eius suavi sermone, quo reficitur?

II Sed iam surgentes eamus hinc. Quòd inquis. Certè ut insidentem asello, cœli ter-
ræque Dominum comiteris, tantaque fieri pro te obstupescens, paruorum laudibus tuas inseras, clamans & dicens; *O sana filio Da-uid*, &c.

12 Iam nunc ascende cum eo in cœnaculum grande stratum, & salutaris cœnæ interesse deliciis gratulare. Vincat verecundiam amor, timorem excludat affectus, vt saltem de micis mensæ illius eleemosynam præbeat mendicanti. Vel à longè sta, & quasi pauper attendens in diuitem, vt aliquid accipias, extende manum, famem lacrymis prode. Cum autem surgens à cœna linteo se præcinxerit, miseritque aquam in peluum, cogita quæ maiestas, quæ potestas hominum pedes abluit, & extergit, quæ benignitas proditoris vestigia sacris manibus tangit. Specta & expecta, & vltimò omnium tuos ei præbe pedes abluendos, quia quem ipse non lauerit non habebit partem cum eo. Quid modò festinas exire? Sustine paululum. Vidésne quisnam ille est, rogo te, qui super pectus eius recubuit, & in sinum eius caput reclinat? Fœlix quicunque est ille. O certè ecce iam video, Ioannes est nomen eius. O Ioannes quid tibi dulcedinis, quid gratiæ & suavitatis, quid luminis & deuotionis hauriebas ab illo fonte? Ibi certè omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt. Ibi fons misericordiarum, ibi domicilium pietatis, ibi fons æternæ suavitatis. Vnde tibi ô Ioannes omnia ista? Nunquid tu sublimior Petro, Andrea sanctior, aut certè omnibus Apostolis gratosior? Speciale hoc virginitatis privilegium, quia virgo es electus à Domino, atque inter cæteros magis dilectus. Iam nunc exulta

exulta virgo, accede propriis, & aliquam huius dulcedinis portionem vendicare non differas: si potiora non potes, dimitte Iohanni pectus, ubi se cum vino lætitiae in divinitatis cognitione inebriat, tu currens ad humanitatis vbera lac exprime quo nutriaris. Inter haec, cum sanctissima illa oratione discipulos commendans Patri dixerit, *Pater serua eos in nomine tuo*, inclina caput tuum, ut merearis audire, *volo ut ubi ego sum, & illi sis mecum.*

13 Bonum est tibi hic esse, sed excendum est. Praecedet ipse ad montem Oliueti, tu cum sequere. Et licet assumptio Petro & duobus filiis Zebedæi ad secreta fecesserit, vel à longè intuere, quomodo in se nostram transstulerit necessitatem. Vide quomodo ille cuius sunt omnia, pauere coepit & tñdere. *Tristis est, inquiens, anima mea, &c.* Vnde hoc Deus meus? Ita compateris mihi exhibens hominē, ut quodammodo videaris nescire quod Deus es. Prostratus in faciem oras, & factus est sudor, &c. Quid stas? accurre, & suauissimas illas guttas lambe, & puluerem pedū illius linge. Noli dormire cum Petro, ne mercaris audi: *Sic non potessis una hora vigilare tecum?*

14 Sed ecce iam proditorem præeuntem, impiorum turba prosequitur, & osculum præbente Iuda manus iniiciunt in Iesum, Dominum suum tenent ligatum, & illas dulces manus vinculis stringunt. Quis fetat? Scio, occupat nunc cor tuum pietas, omnia viscera

vifcera tua zelus inflammat. Sine rogo patiatur, qui pro te patitur. Quid optas gladium? quid irascis? quid indignaris? Si in illar Petri, cuiuslibet aurem abscideris, si ferro brachium tuueris, si pedem truncaueris, ipse restituet omnia. Qui etiam si quem occideris, absque dubio suscitabit. Sequere potius eum usque ad atrium principis Sacerdotum, & speciosissimam faciem eius quam sputis illinunt, tu lacrymis laua. Intuere quam pus oculis, quam misericorditer, quam efficaciter tertio negantem respexerit Petrum, quando ille conuersus & in se reuersus, fleuit amare. Utinam bone Iesu, tuus me dulcis oculus respiciat, qui te toties ad vocem ancillæ procacis, carnis scilicet meæ, pessimis operibus affectibusque negauit.

15 Sed iam manè facto, traditur Pilato, ibi accusatur & tacet, quoniam tanquam suis ad occasionem ductus est: Vide, attende quomodo stat ante præsidem inclinato capite, demissis oculis, vultu placido, sermone raro, paratus ad opprobria, promptus ad verbera. Scio, non poteris ulterius sustinere, nec dulcissimum dorsum eius flagellis atteri, nec faciem alapis cædi, nec tenerum illusi caput spinis coronari, nec dexteram quæ cœlum regit & terram, arundine de honestari, tuis oculis aspicere poteris. Ecce educitur, flagellatur, portans spineā coronam & purpureū vestimentum, & Pilatus dicit, Ecce homo. Verè homo est, quis dubiter? Testes sunt plagæ virgarum,

liuor

liuor vulnerum, fœditas sputorum. Iam nūc cognosce Zabule, homo est. Verè homo est iste. Sed quid est, quod in tot iniuriis non irascitur ut homo, non mouetur ut homo, non suis indignatur tortoribus ut homo? Ergo plus est quàm homo. Sed quis cognoscit illum? Cognoscitur certè homo impiorum terræ iudicia iustinens, sed cognoscetur Deus iudicia faciens. Serò animaduertisti Zabule. Quid tibi per mulierem agere visum est, ut dimittatur? Tardè locutus es.

16 Sedet pro tribunali index, prolata est sententia. Iam propriam portans crucem ducitur ad mortem. O spectaculum! Vidēsne? Ecce principatus eius super humerum eius. Hæc est virga æquitatis, virga regni sui. Dat ur ei vinum felle mixtum, exuitur vestimentis, & inter milites diuiduntur. Tunica non scinditur, sed forte transit ad vnum. Dulces manus eius & pedes clavis perforantur, & extensus in cruce inter latrones suspenditur. Mediator Dei & hominum, inter cœlum & terram medius pendens, imia superis vnit, cœlestibus terrena coniungit. Stupet cœlum, terra miseratur. Quid tu? Non mirum si Sole contristato, tu contristaris: si terra contremiscente, tu contremiscis: si scissis faxis, cor tuum scinditur: si flentibus iuxta crucem mulieribus, tu conclamaris. Inde in omnibus iis considera, illud dulcissimum peccatum quam tranquillitatem seruauerit pietatis. Non suam attendit iniuriam, non poenam reputat,

putat, non sentit contumelias. Sed ipsis potius à quibus patitur, ille compatitur, à quibus vulneratur, ille medetur, vitam procurat à quibus occiditur. Cum qua mentis dulcedine, cum qua spiritus deuotione, cum qua charitatis plenitudine clamet, *Pater ignosce illis?* Ecce ego Domine, tuæ maiestatis adorator, non tui corporis interfector; tuæ mortis venerator, non tuæ passionis derisor; tuæ misericordiæ contemplator, non infirmitatis contemptor. Interpellet itaque pro me tua dulcis humanitas, commendet me Patri tuo tua ineffabilis pietas. Dic igitur dulcis Dominum: *Pater ignosce illi.*

17 At tu Virgo cui maior est apud Virginis filium confidentia quam mulieribus quæ longè stant; cum matre Virgine & discipulo Virgine, accede ad crucem, & perfusum pallore vultum cominus intuere. Quid ergo? Tu sine lacrymis, amantissima, dominæ tuæ lacrymas videbis? Tu siccis manes oculis, & eius animam pertransit gladius doloris? Tu sine singulu audies dicentem matri, *Mulier ecce filius tuus, & Ioanni, ecce mater tua?* Similiter, cùm discipulo matrem committeret, latroni paradisum promitteret. Tunc unus ex militibus lancea latus eius perforauit, &c. Festina, ne tardaueris, comedere fauum tuum cum melle tuo. Bibe vinum tuum cum lacte tuo. Sanguis tibi in vinum conuertitur, ut inebrrieris. In lac aqua mutatur, ut nutriaris. Facta sunt tibi in petra flumina, in membris eius

eius vulnera, & in corporis eius maceria, cava-
uerna. In quibus instar columbae latitans &
deosculans singula, ex sanguine eius fiant si-
c ut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum
dulce.

18 Sed adhuc expecta, donec nobilis ille
decurio veniens extractis clavis manus pe-
desque dissoluat. Vide quomodo felicissi-
mis brachiis corpus amplectitur, ac suo
astrigit pectori. Tunc potuit vir ille san-
ctissimus dicere, *fasciculus myrrae dilectus
meus, &c.* Sequere tu pretiosissimum coeli ter-
ræque thesaurum, & vel porta pedes, vel ma-
nus, brachiaque sustenta. Vel certè defluentes
minutatim pretiosissimi sanguinis guttas cu-
riosius collige, & puluerem pedum eius linge.
Cerne præterea quam dulciter, quam diligen-
ter, beatissimus Nicodemus sanctissima eius
membra tractat digitis, fouet vnguentis, &
cum S. Ioseph, inuolutum sindone collocat
in sepulchro.

19 Noli præterea Mariæ Magdalena defe-
rere comitatum, sed paratis aromatibus cum
ea dominicum sepulchrum visitare memento.
O sicut illa oculis, tu in spiritu cernere me-
rearis nunc semper lapidem renolutum ab
ostio monumenti, Angelum residentem, nunc
intra monumentum unum ad caput, unum ad
pedes, resurrectionis gloriam prædicantes,
nunc ipsum Christum Mariam flentem & tri-
stem, tam dulei reficientem oculo, tam suavi
voce dicente, *Maria.* Rumpuntur ad hanc
vocem

vocem omnes capitis cataractæ, ab ipsis medullis eliciuntur lacrymæ, singultus & suspitia ab imis trahuntur visceribus. *Maria.* O beata, quid tibi mens fuit, quid animi, cum ad hanc vocem te prosternens, & reddens vicem salutanti, clamares, *Raboni?* Quo rogo affectu quo desiderio, mentisque ardore clamasti, *Raboni?* Nunc plura dicere lacrymæ prohibent, cum vocem excludit affectus, omnésque animæ corporisque sensus nimius amor absorbeat. Sed ô dulcis Iesu, cur à sacratis ac desideratissimis pedibus tuis sic arcet amantem? *Noli,* inquis, *me tangere.* Ut quid Domine? Quare non tangam illa desiderata vestigia tua, pro me perforata clavis, perfusa sanguine, non tangam, nec deosculabor? An inimicitior solito, qui gloriosior? Ecce non dimittam te, nec recedam à te, non parcam lacrymis, pectus singultibus suspicisque rumpetur nisi tangam. Et ille inquit: *Noli timere.* Non auferetur tibi hoc bonum, si differtur. Vade tamen & nuntia fratribus meis quia surrexi. Cucurrit citò, citò volens redire. Redit, sed cum aliis mulieribus, quibus ipse Iesus occurrens, blanda salutatione deieetas erigit, tristes consolatur. Aduerte, tunc est datum quod fuit ante dilatum. Accesserunt enim & tenuerunt pedes eius. Hic quandiu potes virgo morare. Non has delicias tuas somnis interpellet, nullus exterior tumultus impediatur,

20 Verum quia in hac vita misera nihil stabile,

stabile, nihil æternum est, nec unquam eodem statu permanet homo, necesse est ut anima nostra dum viuimus, quadam varietate pascatur. Vnde à præteritorum recordatione, ad experientiam præsentium transeamus; ut ex his quoque quantum à nobis diligendus sit Deus, intelligamus.

SECVNDA PARS.

'De præsentibus beneficiis Dei.

Non paruum æstimo beneficium, quod Deus benè vtens malo parentum nostrorum, creauit nos de carne illorum, & inspirauit in nobis spiraculum vitæ, discernens nos ab illis, qui vel abortiui proiecti sunt ab vtero, vel qui inter materna viscera suffocati, poenæ videntur concepti non vitæ. Quod etiam integra nobis & sana membra creauit, ne essemus nostris dolori, alienis opprobrio. Magnum est hoc certè. Sed quomodo illud quantæue bonitatis æstimabimus, quod eo tempore & inter tales nasci voluit, per quos ad fidem suam & sacramenta peruenimus? Videmus innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod nobis gratulamur esse concessum, cum quibus una est & nobis conditio. Illi derelicti sunt per iustitiam, nos vocati sumus per gratiam. Procedamus intuentes munus eius fuisse, quod educati à parentibus fuimus Christianis.

nis. Quòd nos flamma non læsit, quòd aqua non absorbit, quòd non vorati à dæmone, quòd non percussi à bestiis, quòd præcipitio non necati, quòd usque ad congruam ætatem in eius fide & bona voluntate nutriti. Huc usque ea percurrimus soror, quibus fuit nobis vna conditio, quos idem pater genuit, ac idem venter complexus est, eadem viscera profuderunt.

2 Iam nunc soror in me aduerte quanta fecerit Deus animæ tuæ. Diuisit enim inter me & te, quasi inter lucem & tenebras, sibi te seruans, me mihi relinquens. Deus meus quò abij? quò fugi? quò euasi? Eiectus à facie tua sicut Cain, habitaui in terra vagus & profugus, & quicunque inuenerit me, occidet me. Quid enim ageret miserabilis creatura, à suo derelicta creatore? Quò iret, quóne lateret onis erronea suo desituta pastore? O soror, fera pessima deuorauit fratre tuum. In me ergo cerne, quantum tibi contulerit, qui te à tali bestia cōseruauit illæsam. Quàm miser ego sum, qui meam pudicitiam perdi, tam beata tu, cuius virginitatem misericordia diuina protexit. Quoties tentata, quoties impetita, tua tibi castitas est seruata cùm ego libens in turpia quæque progre- diens, coaceruavi mihi materiam ignis quo comburerer, materiam foetoris quo necarer, materiam vermium à quibus corroderer?

3 Recole si placet illas foeditates meas pro quibus plangebas, & corripiebas sàpè;

puella paruulum, fœmina masculum. Sed non fallit Scriptura quæ ait, *Nemo potest corrigerem, quem Deus despexit.* O quam diligendus est à te, qui cùm me repelleret, te attraxit, & cùm ex qua conditio foret utriusque, tamen me despexerit, te dilexerit. Recole nunc, ut dixi, corruptiones meas, cùm exaltaretur nebula libidinis ex luxuriosa concupiscentia carnis, & non esset qui eriperet, & saluum faceret. Verba enim iniquorum prævaluerunt super me, qui in suavi poculo amoris, propinabant mihi venenum luxuriæ. Conuenientes in unum affectionis suauitas, & cupiditatis impuritas, rapiebant imbecillem adhuc etatem meam per abrupta vitiorum, atque mergebant gurgite flagitorum. Venerunt super me ira & indignatio tua Deus, & ego nesciebam. Ibam longius à te, & sinebas. Iactabar, & effundebar, & defluebar per immunditias meas, & tacebas.

¶ Eia soror, diligenter attende omnia ista turpia & nefanda, in quæ me præcipitauit meum arbitrium, & scito quod in hæc corruisses, si te Christi misericordia non seruasset. Non hæc dico quasi nihil mihi contulerit boni, cùm exceptis iis quæ superius diximus utrisque collata, mira patientia meas sustinuerit iniquitates. Cui debeo quod terra non me absorbuit, nec fulminauit cœlum, nec flumina submerserunt? Quomodo enim sustineret creatura tantam iniuriam creatoris sui, si non impetum eius cohiberet ille ipse qui

qui condidit, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & viuat? At ille quæ fuit gratiæ, quod fugientem persecutus est, metuenti blandiebatur, quod erexit in spem toties desperatum, quod suis obruit beneficiis ingratum, quod gustu interioris dulcedinis, immundis assuetu delectationibus attraxit & illexit, quod indissolubilia malæ consuetudinis vincula dissoluit, & abstractum sæculo benignè suscepit?

¶ Taceo multa & magnæ misericordiæ suæ circa me opera, ne aliquid gloriæ suæ, que tota illius est, ad me videatur transire. Ita etiam secundum hominum estimationem sibi coheret gratia dantis & fœlicitas recipientis, ut non solum laudetur, quia solus laudandus esset ille qui dedit, sed etiam ille qui recipit. Quis enim habet aliquid quod non receperit? Si autem gratis accepit, quare laudatur velut promeruerit? Tibi igitur laus Deus meus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, mihi autem confusio faciei meæ, qui tot mala feci, & tot bona recepi. Quid igitur (inquis) me minus accepisti? O soror, quia fœlicior est ille, cuius nauem plenam mercibus & onustam diuiniis, flatus ventorum integrum reuexit ad portum, quam qui passus naufragium nudus eusit mortem. Tu ergo in his quas tibi diuina gratia conseruauit exultas diuiniis, mihi maximus labor incumbit, ut fracta redintegrè, amissa recuperem, scissa resarciam. Verumtamen & me volo ut æmuleris, valdeque

G 2 putes

putes erubescendum, si post tot flagitia, in illa vita tibi inuetus fuero æqualis, cum sæpè virginitatis gloriam interuenientia quedam vitia minuant, & veteris conuersationis opprobrium, morum imitatio, & succedentes vi-
tiis virtutes oblitterent.

6 Sed iam illa in quibus tibi sola conscientia diuinæ bonitatis, inspice nunc munera, quam incunda facie, abrenuncianti sæculo Christus occurrit; quibus esurientem deliciis pauit, quas miserationum suarum diuitias ostendit, quos inspiravit affectus, quo te charitatis poculo ebriauit. Nam fugituum seruum & rebellem sola sua miseratione reuocatum spiritualium consolationum non reliquit inexpertum, quid dulcedinis crediderim eum virgini contulisse? Si tentabaris, ille sustatabat, si fluctuabas, ille solidabat. Quoties præ timore arescenti, pius consolator astabat? Quoties æstuanti præ amore, ipse se tuis visceribus infundebat? Quoties psallétem, vel legentem spiritualium sensuum lumine illustrabat? Quoties orantem in quodam ineffabile desiderium suum rapiebat? Quoties mentem tuam à terrenis substraetam, ad coelestes delicias & paradisi amœnitates transportabat?

7 Hæc omnia reuolue animo, ut in eum tuus totus reuoluatur affectus. Vilescat tibi mundus, omnis amor carnalis fordeat, ne scias te esse in mundo hoc, quoniam ad illos qui in cœlo sunt, & Deo viuunt, tuum trans-
tulisti

tulisti propositum. Vbi est thesaurus tuus, ibi
sit & cor tuum. Noli cum argenteis simula-
chris vili marsupio tuo tuum includere ani-
mum, quia nunquam cum nummorum pon-
dere poteris transuolare ad cœlum. Puta te
quotidie morituram, & de crastino non co-
gitabis. Non te futuri temporis sterilitas ter-
reat, non futuræ famis timor mente tuam
deiciat, sed ex ipso tota fiducia tua pendeat
qui aues pascit, lilia vestit. Ipse fit horreum
tuum, ipse apotheca, ipse marsupium tuum,
ipse diuinitas, ipse deliciae tuæ, solus tibi sit
omnia in omnibus. Hæc interim de præsen-
tibus satis fint.

TER TIA P A R S.

De futuris beneficiis Dei.

Vi autem præstat suis tanta in
præsenti, quanta illis seruat in fu-
turo? Principium futurorum, &
finis præsentium, mors, est. Hanc
cuius natura non abhorret, cuius non expa-
uescit affectus? Nam bestiæ fuga, latibulis, &
aliis mille modis mortem cauēt, vitam tuen-
tur. Iam nunc diligenter attende, quid tua tibi
respondeat conscientia, quid præsumat fides,
quid spes promittat, quid expectat affectus.
Si vita tua tibi oneri est, si mundus fastidio,
si caro dolori, profectò desiderio mors eit
tibi, quæ iugum huius oneris deponit, tollit

fastidium, corporis dolorem absumit. Hoc vnum dico, omnibus huius mundi præstare deliciis, honoribus, atque diuinitatibus; si ob conscientiæ serenitatem, fidei firmitatem, spei certitudinem, mortem non timeas. Quod ille poterit maximè experiri, qui aliquo tempore sub hac seruitute suspirans, in libiores conscientiæ auras euasit.

Hæc sunt futuræ beatitudinis tuæ primiæ salutares, ut morte superueniente naturalem horrorem fides superet, spes temperet, conscientiæ pura repellat: & inde quomodo mors est principium quietis, laborum meta, peregrinæ vitiorum. Sic enim scriptum est: *beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Vnde Propheta, reproborum mortem ab electorum morte discernens, omnes (inquit) *Reges dormierunt in gloria, unusquisque in domo sua: tu autem projectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus & obuolutus.* Dormiunt quippe in gloria, quoru[m] mortem commendat bona cōscientia, quia pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Dormiunt sanè in gloria, quorum dormitioni affistunt Angeli; occurrunt Sancti, conciti su[us] præbentes auxilium, & impartientes solatiū, hostibus se opponunt, obstantes repellunt, refellunt accusantes, & sic usque ad finum Abraham sanctam animam comitantes, in loco pacis collocant & quietis. Non sic impii, non sic, quos de corpore quasi de fœtenti sepulchro, pessimi spiritus cum instrumentis infernalibus

malibus extraentes, pollutos libidine, obuolatos cupiditate, iniiciunt ignibus exurendos, auiibus lacerandos, æternis fœtoribus deputant suffocandos. Verè expectatio iustorum lætitia, spes autem impiorum peribit. Sanè qualis sit illa requies, quæ pax illa, quæ iucunditas in sinu Abrahæ, quæ illis quiescentibus promittitur, & expectatur lætitia, quia experientia non docuit, stylus explicare non poterit. Expectant foeciles donec impleatur numerus fratrum suorum, ut in die resurrectionis duplii stola, scilicet corporis & animæ perpetua felicitate finiantur.

3 Iam nunc rotuere illius diei terrorum, quando coelorum virtutes mouebuntur, elementa aguis calore solucentur, patent infeni, occulta omnia nudabuntur; veniet desuper iratus Iudex, ardens furor eius, & ut tempestas currus eius, ut reddat in ira vindictam & vastitatem in flamma ignis. Beatus est qui paratus est occurrere illi. Quid nunc miseri animabus erit? Quia nunc miseri erunt, quos nunc luxuria foedat, amaritia dissipat, extollit superbia. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, istos à dextris, illos à sinistris statuentes.

4 Cogita te nunc ante tribunal Christi, inter utramque hanc societatem assistere, & nec dum in alteram partem separatam. Deflecte oculos nunc ad sinistram Iudicis, & miserá illam multitudinem contemplare. Qualis ibi horror, quis pudor, quis fœtor, quis timor,

quis dolor? Stant miseri & infelices, stridentes dentibus, nudo latere palpitantes, aspectu horribiles, vultu deformes, deiecti præ pudore, præ corporis turpitudine & nuditate confusi. Latere volunt, & non datur: fugere tentant, nec permittitur. Si oculos leuant desuper, Iudicis imminet furor: si deponunt, infernalis putei eis ingeritur horror. Non suppetit criminum excusatio, nec de iniquo iudicio erga Deum aliqua poterit esse causatio, cum quicquid decretum fuerit, iustum esse, ipsam eorum conscientiam non latebit. Cerne nunc quam amandus tibi sit, qui te ab hac damnata societate prædestinando discreuit, vocando separauit, iustificando purificauit.

5 Retorque nunc ad dexteram oculos, & quibus te glorificando sit inserturus, aduerte. Quis ibi decor, quis honor, & quæ fœlicitas, & quæ securitas? Alij iudiciaria sede sublimes, alij corona martyrij splendentes, alij flore virginitatis candidi, alij eleemosynarum largitione fœcundi, alij doctrina & eruditio ne preclarri, iu vnum charitatis foedus copulantur. Lucet eis vultus Iesu, non terribilis, sed amabilis; non amarus, sed dulcis; non terrrens, sed blandiens.

6 Sta nunc quasi in medio, nesciens quibus te Iudicis sententia deputabit. O dura expectatio! Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebrae. Si me sinistris sociauerit, non causabor iniustum: si dextris adscriperit, gratiæ eius hoc non meis meritis est

est imputandum. Verè Domine, *vita in voluntate tua.* Vides ergo quantum in eius amore tuus extendi debeat animus, qui cùm iniustis posset in te prolatam retorquere sententiam, iustis te maluit ad saluandum inserere. Iam te puta sanctæ illi societati coniunctam, vocis illius audire decretum: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Inde miseris audientibus verbum Domini plenum iræ & furoris: *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Tunc ibunt iij,* inquit, *in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* O dura separatio! ô miserabilis conditio! Sublatis enim impiis ne videant gloriam Dei, de iustis vero singulis secundum gradum suum & meritum, Angelicis ordinibus insertis, fiet illa gloria processio, Christo præcedente capite nostro, omnib[us]que suis membris sequentibus, & tradetur regnum Deo Patri, ut ipse regnet in eis, & ipsi in eo; regnum illud percipientes quod paratum est illis ab origine mundi; cuius regni status ne cogitari quidem à nobis potest, multo minus dici vel scribi. Hoc scio quod nihil omnino aberit, quod velis adesse.

7 Nullus igitur ibi luctus, nullus fletus, nullus dolor, nullus timor. Non tristitia, non discordia, non inuidia, non tribulatio, non tentatio, non aëris mutatio vel corruptio, non suspicio, non ambitio, non adulatio, non detracatio, nō ægritudo, non senectus, non mors, non paupertas, non nox, non tenebris, non

edendi, vel bibendi, vel dormiendo nulla necessitas, fatigatio nulla. Quid ergo ibi boni est. Vbi neque luctus, neque fletus, neque dolor, nec tristitia, quid potest esse nisi perfecta letitiae? Vbi nulla tentatio, vel tribulatio, nulla temporum mutatio, vel corruptio aëris, æstus vehementior, nec hyems asperior, quid potest esse nisi summa quædam rerum temperies, & mentis & carnis vera & summa tranquillitas? Vbi nihil est quod timeas, quid potest esse nisi summa securitas? Vbi nulla discordia, nulla inuidia, quid potest esse nisi summa & vera dilectio? Vbi nulla deformitas, quid potest esse nisi summa & vera pulchritudo? Vbi nulla paupertas, quid potest esse nisi omnis plenitudo? Vbi nullus labor vel defectio, quid erit nisi summa requies & fortitudo? Vbi nihil est quod grauet vel oneret, quid erit nisi summa fœlicitas? Vbi nec senectus expectatur, nec morbus timetur, quid potest esse nisi vera sanitas? Vbi nec nox, nec tenebrae, quid est nisi lux perfecta? Vbi mors & mortalitas omnis absorpta, quid est nisi vita æterna?

8 Quid est ultra quod quæramus? Certè quod iis omnibus excellentius est, scilicet visio, cognitio, & dilectio creatoris. Videbitur in se, videbitur in omnibus creaturis suis: regens omnia sine sollicitudine, sustentans omnia sine labore, impertiens quodammodo se singulis pro sua capacitatem, sine diminutione vel diuisione. Videbitur ille vultus amabilis & desí-

& desiderabilis, in quem Angeli desiderant prospicere: de cuius plenitudine, de cuius lumine, de cuius suavitate quis dicet? Videbitur Pater in Filiō, & Filius in Patre, Spiritus sanctus in utroque. Videbitur enim sicuti est, impleta eius promissione qua dicit: *qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Ex hac visione illa procedit cognitio, de qua ipse ait: *Hæc est vita eterna, ut cognoscant te solum verum Deum.* Ex his tantæ nascetur dilectio; tantus ardor p̄ij amoris, tanta dulcedo charitatis, tanta fruendi copia, tanta desiderij vehementia, ut nec satietas desideriū, nec desideriū satietatē impiediat. Quid est hoc? Certè quod oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se.

¶ Hæc tibi soror de præteriorum beneficiorum Christi memoria, de præsentium experientia, de expectatione futurorum, quædam meditationum spiritualium semina prosemicare curauī, ex quibus diuini amoris fructus vberior oriatur & crescat: vt meditatio affectum excitet, affectus desideriū pariat, lacrymas desideriū extorqueat: vt tibi sint lacrymæ tuæ panes die ac nocte, donec appreas in coniectu eius, & suscipiaris ab amplexibus eius, dicāsq; illud quod in Canticis scriptū est: *Dilectus meus mibi, & ego illi: inter ubera mea cōmorabitur.* Quod ipse tibi præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

M E D I T A T I O


De Passione Christi.

DULCIS Iesu in inclinatione capitis, & morte, dulcis in extensione brachiorum, dulcis in apertione lateris, dulcis in cōfixione pedum clavo uno. Dulcis in inclinatione capitis, inclinans enim caput in cruce, quasi dilectæ suæ dicere videtur. O dilecta mea quotiens desiderasti frui osculo oris mei, nuncians mihi per sodales meos, osculetur me osculo oris sui? Ego paratus sum, caput inclino, os porrigo, osculare quantum libet, nec dicas in corde tuo; illud osculum non quero, quod est sine specie, & decoro, sed illud gloriosum, quo semper frui desiderant Angelici ciues. Noli sic errare, quia nisi primo osculatum fuerit illud os, ad illud omnino peruenire non poteris. Igitur osculare istud os, quod tibi nunc offero, quoniam et si sine specie, & decoro est, tamen non sine gratia.

2 Dulcis in extensione brachiorum; extendens enim brachia, nobis insinuat, quod amplexus nostros ipse desiderat, & quasi dicere videtur; ò vos qui laboratis, & onerati estis, venite, & reficimini inter brachia mea, inter amplexus meos. Videte quia paratus sum intra brachia mea congregare vos, venite ergo omnes; nullus timeat repelliri, quia nota mortem

mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & vivat.
Deliciae enim meae sunt esse cum filiis hominum.
Dulcis in apertione lateris; apertio siquidem
illa reuelauit nobis dimitias bonitatis suæ,
charitatem scilicet cordis sui erga nos. Dul-
cis in confixione pedum clavo uno, quia per
hoc nobis quasi ita loquitur. Ecce si putatis
quia fugere debeam, & ideo ad me accedere
tardatis, scientes quia sum nimis velox, & si-
cūt hinnulus; videte quia pedes mei clavo
uno confixi sunt, ita ut omnino non possim
fugere vos, quia misericordia me omnino li-
gatum tenet, nec fugiam vos ut meruerunt
peccata vestra, quia manus meæ clavis con-
fixæ sunt.

3 Benigne Iesu, humilis Domine, pie Do-
mine, dulcis in ore, dulcis in corde, dulcis in
aure, inscrutabiliter, & inenarrabiliter amœ-
bus, pius, & misericors, potens, sapiens, beni-
gnus, largus, sed non prodigus, valde dulcis, &
suavis. Solus es summum bonum, speciosus
forma præ filiis hominum, pulcher, & deco-
rus, & electus ex millibus, & totus desidera-
bilis. Pulchrum pulchra decent. O mi Domine,
nunc tota anima mea desiderat in ample-
xus tuos, & oscula. Nihil quero nisi te ipsum,
quamvis nulla merces repromitteretur; licet
infernus, & paradiſus non essent, tamen
propter dulcem bonitatem tuam, propter te
ipsum adhærere vellem tibi. Tu continua
meditatio mea, verbum meum, opus meum.
Amen.



MEDITATIONES ERGA DVLCEDINEM DIVINÆ Maiestatis, & de aliis multis.

I. *Stupor de memoria Dei, & hominis obliuione.*

DVM considero quid sit Deus, quam dulcis natura, quam amabilis, quam bona, quam ineffabilis, quam admirabilis, quantum ab omni creatura veneranda, & adoranda; & iterum video, & intelligo quid sit homo, quem ipse Deus fecit ad imaginem, & similitudinem suam, quemque propterea talem creauit, ut sicut semper in se exprimeret, imaginem creatoris sui, sic semper in memoria haberet voluntatem eius, & dilectionem, quia eum talem creauit: miror multum, & obstupesco, & de inæstimabili bonitate creatoris Dei, & de magna miseria creati hominis.

2 De ineffabili bonitate Dei miror, quod cum sit ipse omnipotensissimus, & iustissimus, patitur hominem vel ad horam viuere, quem propterea voluit tam honorabiliter creare, ut sicut ipse homo honorabilior esset cunctis creaturis, honorabilius ceteris creaturis vivet.

ueret semper secundùm voluntatem sui creatoris: & ipse miserrimus, & infelicissimus per contrarium agit, quod cum omnes aliæ creature semper cōcordent cum voluntate creatoris sui, ipse semper ferè, aut semper resistit illius voluntati. De immensa verò miseria hominis miror, quomodo sic sensum perditum habeat, quasi pecus quod sensum non habet, ut vñquam obliuiscatur creatoris sui, qui sui ipsius non potest obliuisci. Puto nisi insanus sit, nunquam sui ipsius erit immemor, ut non intelligat se esse, viuere, & intelligere. Hæc autem omnia homo se intelligens habere, mirandum est, & multum obſtupescendum, quomodo vñquam ipsius obliuiscetur, cui complacuit sibi omnia ista dare.

II. *Quintum homo ab homine diligitur, & quare Dominus plus diligitur quam aliquis homo.*

Homo namque, cui ab alio homine aliquod bonum in hoc sæculo datur sèpiùs feruenter illum solet diligere, quia sibi hoc bonum fecit, sìcque iugiter se præsentare in eius obsequiis, ut si causa illius benefactoris sui exigat mortem sèpiùs incurrere, pro illo non metuat mori, & tamen nullum, quod vñquam homo in hoc sæculo possit habere, vel alius alij possit dare, nullus est tam parui sensus, qui non intelligat se non in perpetuum retinere, sed vel antequam finis

160 *Meditatio S. Anselmi,*
ei eueniat, vel si non ante, saltem tune cum
finis ei aduenerit, dimittere illud oportebit.

2 At quod Deus homini in hoc s^eculo
dat tale est, quod nunquam amittatur, &
nunquam ei per yllum auferatur. Tale in-
quam est, vt etiamsi homo illud perdat, per
illud tamen prouidere possit, finita prae-
senti vita, vt in æternum sit cum creatore suo in
beata vita. Dat autem Deus homini saepius
in hoc s^eculo secundum rationem viuere; &
creatorem suum sicut præcipit, & iustum
est, diligere; præceptis eius sine ylla contra-
dictione per omnia obtemperare; & hoc
bonum nullus hominum, nisi ipse sola sua
voluntate dimittat, potest auferre. Pecu-
niām temporalem, velit nolit homo necesse
ei erit dimittere; sed dum eam habet, si lar-
gitur eam, sicut Deus suis præcepit mem-
bris, potest sic faciendo ad perpetuam vitam
peruenire.

3 O immensa creatoris nostri bonitas! ô
inxstimabilis misericordia! Ipse nullo ynu-
quam egens homine, hominem tamen pro
sola bonitate sua creauit, creando exorna-
uit, vt felicitatis eius, & æternitatis posset
esse particeps, & sic cum eo gaudium & læ-
titiam in perpetuum possideret. Adhuc etiam
cum homo in multis contrarius ei existat,
multa, quanquam displiceant, sciens, vo-
lensque faciat, monet tamen eum, vt re-
deat, & misericordiam creatoris sui requi-
eat, nec pro yllo commisso tametsi graui
desperare

desperare præsumat. Est enim fons pietatis, & misericordiæ : & omnes , quacumque macula peccati sint foedati , desiderat mundare ; mundatis , perennis gloriæ lætitiam reddere.

III. *Quod omnia bona Deus fecit , & quod ipse essentialiter bonus sit.*

1 **S**vauissime, & dulcissime Domine, qui es pius amator hominum , & pius, ac benignissimus redemptor peccatorum , te adoret anima mea ; tibi seruiat omnis vita mea, te desiderent omnia interiora mea. Vult piissime Domine, vult misericordia, misera anima cogitare de te, tua mirabilia inspicere, & quā bonus, & misericors sis erga peccatores intelligere , ne propter mea peccata desperans, à bonitate tua (heu miser) me velim alienare; ut sic cogitans, & tibi, qui veritas es, credens, iam aliquando ab iniquitatibus possim cessare , & ad recta facienda animum meum malis operibus , & peccatis incurvatum , informare.

2 Ecce scio Domine , quia omnia , quæ sunt, de nihilo fecisti. Id est, non erant, & ea fecisti ; sed tu ipse , qui ea fecisti , semper fuisti, & nunquam finieris ; fuisti verò semper bonus, semper omnipotens ; & propterea omnia quæcumque fecisti bona fecisti. Tu ergo qui semper fuisti , & es , & eris , & qui non de non esse ad esse venisti, sicut tibi semper

per esse fuit, ita tibi semper bonitas, & omnipotentia fuit. Et propter hoc non tibi est aliud essentia, quam bonitas, & omnipotentia, sed quæ est tibi essentia, eadem est bonitas, & omnipotentia. Et ideo non potes esse nisi bonus, & omnipotens, & omnia illa, quæ similiter de te dicuntur, & creduntur.

Tu vero verè es, & non est aliud nisi tu, verum, quia non quod modo es, modo non es, sed quod modo es, semper es. Creaturæ autem, cui non semper esse fuit; sed quæ de non esse ad esse venit, creatæ à te, cui semper esse fuit, non est eadem essentia, quæ bonitas, & quæ potentia, sed quando bona est, & bona facere potest, à te bona est, & à te bona facere potest, qui essentialiter es bonus, & omnipotens. Fecisti autem omnem creaturam bonam, sed tamen non omni creaturæ, licet sit bona facta à te, dedisti rationem intelligendi te. Et quavis omnis creatura te laudet, te crearem suum, & gubernatorem esse redamer; tamen non omnis creatura te intelligit, nisi tantummodo rationalis, quam fecisti ad imaginem, & similitudinem tuam.

IV. *Quod omnis creatura suum laudat crearem.*

Laudat te etiam illa creatura, cui dominum intelligentiæ non dedisti, quando rationalis creatura eam à te creatam bonam, pulchrèque ordinatam conspicit; & hoc est.

est ab illa laudari. A rationali creatura scilicet intelligi te eam bonam fecisse, pulchrèque ordinasse. Humanam verò naturam, quam rationalem fecisti, & illam naturam, cui intelligentiæ donum non dedisti, sic distinxisti, ut humana natura, propter quam aliam creaturam fecisti, illam secundùm tuam voluntatem disponeret, & ex ipsa, te concedente, alimentum, vnde se sustentaret, accipiet.

2 Secundùm quod homo ex duabus naturis constat, ex anima scilicet, & carne; alimentum, secundum carnem, accipit à creatura, vnde verò secundum animam vivit, accipit à creatore. Vivit autem homo hic interim secundum carnem, dum alitur cibis humanis. Vivit verò secundum animam, & voluntatem, & præcepta creatoris sui custodit. Et sicut moritur secundum carnem; si non sustentatur cibis humanis, sic moritur secundum animam, quando non obtemperat præceptis diuinis. Homo itaque constans ex anima, & carne, faciendo quæ iubet Deus, vivit in carne, & in anima; quia hoc agendo promeretur, ut feliciter vivat cum creatore suo in vita æterna. Si verò ab agendo, quæ iubet creator suus deuiare conatur, & magis appetit secundum carnis desideria vivere, quod verè non est vivere, sed sibi infeliciter vitam auferre; si quis diligenter intueretur, videret in illo non figuram illius hominis, qui factus est ad imaginem Dei, sed

figuram pecudis, cuius & mores satagit imitari. Et tunc verè potest asseri quòd est mortuus; mortem æternam sine dubio subiturus, si in hoc perseverans finiatur.

V. *In quo similis est homo creatori suo.*

FE C I T autem Deus creator hominem ad imaginem, & similitudinem suam, quia fecit esse rationalem. Et sicut Dens voluntate bonus est, sic homo ad eius similitudinem factus, voluntate bonus est. In hoc similis est creatori; quia creator voluntate bonus, homo voluntate bonus; sed in hoc differens, quia creator æternaliter à se ipso est bonus, & essentialiter: homo verò ideo est bonus, quia imitatur eum qui æternaliter, & essentia- liter à se ipso est bonus. Est autem, sicut di- xi, creator voluntate bonus, homo ad simili- tudinem creatoris factus voluntate bonus, sed in hoc differens, quòd creator non vult, nec potest esse, vel velle aliud, quam esse bo- nus; voluntas enim, & potentia est illius essen- tia.

2 Homini verò est aliud voluntas, & po- tentia, quam essentia. Si tamen concordat cum voluntate Dei, & idem vult quod Deus vult, exprimit in se imaginé Dei. Et si in hoc usque in filium maneat, meretur operante misera- tione diuina, ut post in æternum voluntati creatoris sui adhæreat, nec iam amplius ab ea

ea diuelli queat. Et sicut postea , semper erit quod erit , sic semper quocumque voluerit erit. Et sicut creatori non est aliud voluntas , aliud essentia: sic homini in illa felicitate iam existenti , secundum suum modum tam immutabilis erit dono creatoris sui , voluntas , quam essentia ; quæ tam sine dubio poterit quicquid voluerit , quam sine dubio feliciter existens felix essentia erit. Et tunc homo habebit liberum arbitrium , verè ab omni malo liberatum , secundum quod hic interim dum viuit operante Dei gratia , vult quæ Deus præcepit facere , quæ prohibet dimittere.

VI. *Quòd homo existat ex duabus naturis ,
quarum una erigitur ad summa , altera
deprimitur ad ima.*

IConstat autem anima ex duabus naturis , ex natura animæ , & ex natura carnis . Natura autem animæ , quia anima res spiritualis est , naturaliter tendit ad superiora . Natura autem carnis , quia caro ex desiderio in carnales appetitus exit , quasi naturaliter ad infima tendit . Est verò inter has duas naturas , ex quibus homo constat , voluntas quasi media , habens liberum arbitrium . Quo libero arbitrio , si se iunxerit cum anima , voluntas (opitulante tamen diuina gratia) & anima , carnem sursum ad excelsa secum eleuant , & in æterna felicitate fine

fine victuram locant, ut iam amplius non sit inter carnem, & animam vlla repugnantia, sed semper idem amor, eademque voluntas. Et tunc erit vna voluntas creatoris, & creati hominis, quem creauit ad imaginem, & similitudinem suam, cum Deus omnia in omnibus erit. Si verò eodem libero arbitrio se iunxerit desideriis carnis, quæ quasi naturaliter ad infima tendit; tunc voluntas malè vtens libero arbitrio, & caro animam superno auxilio destitutam ad inferiora trahunt, & peccata hominis totum ipsum hominem, scilicet animam, & carnem, in perditionem mergunt, ut iam amplius non habeat, nisi malum, vel quod patiatur, nisi tormentum.

VII. *Hic orat homo Deum, ut non permittat eum male uti libero arbitrio.*

ODulcissime Domine Iesu Christe, ô piissime Deus meus, creator meus, salus mea, vita mea, spes, & consolatio mea, refugium meum, per gratiam tuam, & per piissimam misericordiam tuam gubernata, & sustine liberum arbitrium meum, ne illo male utendo, possim offendere te dulcissimum Creatorem meum: & quotiescumque malum mihi placet, antequam illud opere perficiam, ipsum destrue, & confunde omne malum, desiderium meum. Malo ad te, dulcissime Domine Pater, vel inuitus trahi, vel etiam cunctis

tenis ligatus in aliquo angulo domus tuæ
proiici, quâm à te separari, vbi et si non piissi-
mum vultum tuum possim propter peccata
mea respicere, saltem lætitiam, & gau-
dium illorum, qui tibi famulantur, valeam
audire.

2 Quis dulcissime Creator omnium potest
estimare ineffabilem bonitatem tuam, quod
in tantum humanam naturam dilexisti, vt
non solum eam causares, cum non esset, sed
tu ipse Creator eius pro amore eius creature
fieres? Cuius cor tam durum, tam ferreum,
sciens, & intelligens tantam dilectionem tuam
erga hominem, quem creasti, non potest
emolliri, & totum liquefieri in gratiam, & ve-
nerationem tuæ dulcedinis? Verè anima
mea, verè cor meum, & omnia intima mea,
mirum est, si vñquam tantæ charitatis, tantæ-
que pietatis Creatoris vestri potestis obli-
uisci.

3 Ecce miser homo, quid fecit Creator
tuus, quid fecit Dominus tuus. Ipse enim
semper esse est, & semper esse fuit, incommu-
tabilis, & inuisibilis, inæstimabilis, & incom-
prehensibilis numero, & ineffabili modo suū
esse non dimittens. Pro te tamē se exinanivit,
quando pro te creatura fieri voluit, vt te qui
de nō esse ad esse venisti, ad se qui non de nō
esse ad esse venit, sed cui semper esse fuit, fa-
miliariū reconciliaret, & reconciliatum, ex
toto in pristinam dignitatem reformatum, ad
suū esse reduceret, ac felix semper, & latus
in

¶ Ecce Deus meus , & Creator meus, ecce
vides , quomodo cogitando perueni : & ta-
men hæc cogitando , quantis adhuc vanita-
tibus , & stultiis infelix anima mea subiecta
fit. Si aliquando gratia tua respectus , incipio
cogitare quid pertineat ad aliquam vtilita-
tem animæ meæ , instabilis mens mea , & ferè
ab omni bono vacua , citò labitur ad inania ,
& noxia veluti palea , quam leuissimus flatus
venti sufflat de area. Cernens ergo Creator
meus tantam inconstantiam mentis meæ ,
tam torpem , & desidiosam ad cogitan-
dum ea , quæ sunt vtilia , tam feruentem , &
studiosam ad ea , quæ sunt noxia ; non in-
spicias ad hoc , quod peccator sum. Fateor ,
peccator sum: indignus sum, immundus sum ,
& tamen non recedo à te, dulcissime Domine
Iesu Christe, velis, nolis, non dimitto te , & si
infirma manu tenebo te , non recedes à me ,
donec ab omni contagione peccati absoluas
me. Verbera me , emenda me , & corri-
pe me , tandiu castiga seruum tuum Domi-
ne , donec per ineffabilem bonitatem tuam
perducas me ad gloriam tuæ contempla-
tionis.

MEDITATIO EXCITANS

animam ad quærendum, & inueniendum Deum.

Hec Meditatio per partes habetur in Prologio. Sed quia ibi multas habet admixtas speculationes; hic autem sola piorum affectuum incentiuia proponuntur, visum est è re pī Lectoris esse, hanc è varijs Prologij segmentis contextām faculam, exhibere qualis in M. S. C. continetur. Fructus, dispensium aliquod repetitionis pensat.

Ex cap. I. Prologij. Eia nunc homuncio, fuge pauculum occupationes terrenas, absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis; abifice nunc onerosas curas tuas, & postpone laboriosas dissensiones tuas. Vaca aliquantulum Deo, & requiesce aliquantulum in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ; exclude omnia præter Deum, & quæ te iuuant ad quærendum eum, & clauso ostio quære eum, & dic: Nunc totum cor meum do Deo. Quero vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.

2 Eia nunc ergo Domine Deus meus; Domine Deus doce cor meum, ubi, & quomodo te quæram, ubi, & quomodo te inueniam.

H

Vbi

Vbi Domine es , si hic non es ? Vbi te quæram absentem iam præsentem ? Sed certè habitas intra lucem inaccessibilem; & vbi est hæc lux inaccessibilis ? aut quomodo accedam ad illam lucem inaccessibilem ? aut quis me ducet in illam, ut videam eam ? Denique quibus signis , qua facie te quæram ? Nunquam te vidi Domine Deus meus , non noui faciem tuam. Quid faciet Altissime Domine , quid faciet iste tuus longinquus exul ? Quid faciet seruus tuus anxius amore tui , & longè proiectus à facie tua ? Anhelat videre te , & nimis abest illi facies tua. Accedere ad te desiderat , & inaccessibilis est habitatio tua. Inuenire te cupid , & nescit locum tuum. Quare te affectat , & ignorat vultum tuum ?

3 Domine , Deus meus es , & Dominus meus es , & nunquam te vidi. Tu me fecisti , refecisti , & omnia bona , quæ habeo , tu mihi contulisti , & exhibuisti , & nondum noui te. Denique ad videndum te factus sum. O misera fors hominis cum hoc perdidit homo , ad quod factus est. O durus , o dirus casus ille. Heu quid perdidit , & quid inuenit ! Quid abscessit , & quid remansit ! Perdidit beatitudinem , ad quam factus est , & inuenit miseriam , propter quam factus non est. Abscessit sine quo nihil felix est ; & remansit quod per se non nisi miserum est. Manducavit tunc homo panem Angelorum , quo nunc esurit ; manducat nunc panem dolorum , quem tunc neiciebat.

4 Heu publicus luctus hominum, vniuersalis planctus filiorum Adæ. Ille eructabat saturitatem, nos suspiramus esuriem. Ille abundauit, nos mendicamus: ille feliciter tenebat, & miserè deseruit. Nos infeliciter egemus, & miserabiliter desideramus? & heu vacui remanemus. Cur non nobis custodiuimus, cùm facile posset, quo tam grauiter carremus? Quare sic nobis obserauit lucem, & obduxit nos tenebris? Ut quid nobis abstulit vitam, & induxit mortem? Ærumnosi vnde sumus expulsi, quò sumus impulsi? Vnde præcipitati, quò sumus obruti? A patria in exilium. A visione Dei in cæcitatem nostram: A iucunditate immortalitatis in amaritudinem, & horrorem mortis. Misera mutatio! De quanto bono in quantum malum?

5 Graue damnum est, grauis dolor est, graue totum. Sed heu me miserum, vnum de aliis filiis Euæ, miseris elongatis à Deo. Quid incepi? quid feci? quò tendebam? quò deueni? ad quid aspirabam? in quibus suspiro? *Qæsiū bona, & ecce turbatio.* Tendebam in Deum, & offendì in me ipsum. Requiem quærebam in secreto meo, & tribulationem, & dolorem inueni in intimis meis. Volebam ridere à gaudio mentis meæ, & cogor rugire à gemitu cordis mei. Sperabatur lætitia, & ecce condensantur suspiria. Et tu Domine usquequo? Usquequo Domine obliuisceris me, usquequo auertis faciem tuam à me?

Quando respicies & exaudies me? Quando illuminabis oculos meos, & ostendes mihi faciem tuam? Quando restitues te mihi?

6 Respice Domine, & exaudi me, & illumina me; ostende mihi te ipsum. Restitue mihi te, ut bene sit mihi, sine quo tam male est mihi. Dirige Domine labores meos, & conatus meos ad te, quia nihil valeo sine te. Inuita me, adiuua me. Obscero Domine ne desperem impetrando, sed respirera sperando. Obscero te Domine, amaricatum est cor meum sua desolatione, indulca illud tua consolatione. Obscero te Domine, esuriens incepi querere te, nec desistam iejunus de te; famelicus accessi, ne recedam impastus. Pauper veni ad te diuitem; miser ad misericordem, ne redeam vacuus, & contemptus. Et si antequam comedam suspiro, da mihi post suspiria quod comedam.

7 Domine incurvatus sum, non nisi deorsum aspicere valeo. Erige me, ut possim sursum intendere. Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & obvoluerunt me, & sicut onus graue grauant me; euolue me; exonera me; ne vrgeat puteus earum super me os suum. Liceat mihi de longe aspicere lucem tuam, vel de profundo. Doce me querere te Domine, & ostende te querenti; quia nec querere te possum, nisi tu doceas me; nec inuenire te possum, nisi ostendas te mihi. Queram te desiderando, desiderem te inueniendo. Facto te Domine, & gratias ago tibi, quia tu creasti

creasti me in hanc imaginem tuam, vt tui
memor, te cogitem, te amem. Sed sic abolita
est attritione vitiorum, sic offuscata fumo pec-
catorum, vt non possit facere ad quod facta
est, nisi tu renoues, & informes eam. Non
tento Domine penetrare altitudinem tuam,
quia nullatenus comparo illi intellectum
meum; sed desidero aliquaterus intelligere
veritatem tuam, quam credit, & amat cor
meum; neque enim quero intelligere, vt cre-
datis; sed credere, vt intelligam.

8 Ex cap. 16. Prologij. Verè Domine hæc
lux est inaccessibilis in qua habitas. Verè
enim non est aliquid, quod hanc penetrat, &
in te videat. Verè haec non video, quia li-
mia est; & tamen quicquid video per hanc
video, sicut infirmus oculus, qui quicquid vi-
det per lucem Solis videt, quia in ipso Sole
sequit aspicere. Non potest intellectus meus
ad illam accedere: nimis enim fulget; ideo
non capit illam, nec sufficit oculus animæ
meæ diu intendere in illam. Reuerberatur
fulgore, vincitur amplitudine, obruitur im-
mensitate, confunditur capacitate. O summa,
& inaccessibilis lux, ô sancta, & beata
vnitas, quæ longè es à me, qui tam propè
sum tibi! Quàm remota es à conspectu meo,
qui sic præsens sum conspectui tuo, & ad te
non possum accedere? Vbique es tota præ-
sens, & non video te. In te moueror, & in te
sum. Intra me, & circa me es, & non sen-
tio te.

9 Adhuc lates Domine animam meam in luce, & beatitudine tua, & idcirco versatur illa adhuc in tenebris, & misera sua; conspicit enim, & non videt pulchritudinem tuam. Auscultat, & non audit harmoniam tuam. Olfacit, & non percipit odorem tuum: palpat, & non sentit lenitatem tuam: gustat, & non agnoscit saporem tuum. Habes enim hæc in te Domine Deus meus tuo ineffabili modo: sed obrigerunt, & obstupuerunt, & obtusi sunt sensus animæ meæ vetusto languore peccati. Quid es Dominus, quid es, quid te intelligit os meum? Certè Vita es, Veritas es, Bonitas es, Beatitudo es, Æternitas es, & omne bonum es.

10 *Ex cap. 24. Prologij.* Excita nunc te anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita quantum, quale, & quod sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intentè quām delectabile sit illud bonum, quod continet omnia bona, & iucunditatem omnium bonorum: non qualem experti sumus in rebus creatis, sed tanto differentem, quantum differt creator à creatura. Si enim bona est vita creata, quām bona est vita creatoris? Si bona est salus facta, & iucunda, quām iucunda est salus, quæ fecit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quām amabilis est sapientia, quæ omnia condidit ex nihilo? Denique si multæ, & magnæ delectationes in rebus delectabilibus sunt, quælis,

lis, & quanta est delectatio in eo, quid fecit delectabilia? O qui hoc bono fruitur, quid illi erit, & quid illi non erit? Certè quidquid volet, erit, & quidquid nolet, non erit; ibi quippe erunt bona corporis, & animæ, qualia nec auris audiuit, nec oculus vidit, nec cor hominis cogitauit.

ii. Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum & satis est. Quid enim amas caro mea? quid desideras anima mea? ibi est quicquid amatis, quicquid desideratis. Si pulchritudo delectat; fulgebunt iusti sicut sol. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit; *Eritis similes Angelis Dei, quia seminatur corpus animale;* & surget corpus spirituale, potestate utique, non natura. Si longa, & salubris vita; ibi est sana æternitas, & æterna sanitas; quia iusti in perpetuum vivent. Et salus iustorum à Domino. Si satietas; satiabuntur cum apparuerit gloria Dei. Si melodia; ibi Angeli concinunt sine fine Deo. Si ebrietas. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas. *De torrente voluptatis tuae potabis eos Domine.* Si sapientia; ipsa Dei sapientia ostendet eis semetipsam. Si amicitia; diligent Deū plusquam seipso; & Deus illos plusquam illi seipso. Quia illi illum, & se inuicem per illum, & ille sese, & illos

per seipsum. Si concordia; omnibus illis erit
una voluntas, quia nulla erit illis, nisi sola Dei
voluntas. Si potentia; omnipotentes erunt
voluntatis suæ, ut Deus suæ. Nam sicut Deus
poterit quod volet per se ipsum, ita illi per
illum. Quia sicut non aliud volent quam ille;
ita ille volet, quicquid volent illi; & quod
ille nolet, non poterit esse. Si honor, & di-
uitiae; Deus seruos suos bonos, & fideles su-
per multa constituet. Imò filij Dei, & dij vo-
cabuntur; & ubi erit filius erunt etiam illi,
haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.
Si vera securitas; certè certi erunt se sua
fessi: illi non ambulos; nec dilectorum
Dominum electi possunt nisi illud adolaturum,
nec aliud Deo potentius inuitos Deum, &
illos separaturum. Gaudium verò quale, ac
quantum est, ubi tale, ac tantum bonum
est?

12. *Ex cap. 25. Proflogi.* Cor humanum
cor indigens, cor expertum ærumnas, immò
obnoxium ærumnis, quantum gauderes si iis
omnibus abundares? Interroga omnia inti-
ma tua; si capere possunt gaudium suum
de tanta beatitudine sua. Sed certè, si quis
alius, quem omnino sicut te ipsum diligenter
eandem beatitudinem haberet, duplicaretur
gaudium tuum; quia non minùs gauderes
pro se, quam pro te ipso. Si verò duo, vel
tres, vel multò plures id ipsum haberent; tan-
tundem pro singulis, quantum pro te ipso
gauderes, si singulos sicut temet ipsum ama-
res.

rēs. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum, Angelorum, & hominum, vbi nullus aliud diligit minus, quam se ipsum, non aliter gaudebit unusquisque pro singulis aliis, quam pro se ipso.

13 Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum; quomodo capax erit tot, & tantorum gaudiorum? Et utique quantum quisque diligit aliud, tantum gaudebit de suo bono. Sic & in illa perfecta felicitate, unusquisque plus amabit Deum sine comparatione, quam se & omnes alios secū. Itaque plus gaudebit absque aestimatione de felicitate Dei, quam de sua, & omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficient dignitati dilectionis; profectò sic gaudebunt iusti in illa superna felicitate totò corde, tota mente, tota anima; ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficient tantæ plenitudini gaudij.

14 Ex cap. 26. Prologij. Deus meus, & Dominus, spes mea, & gaudium cordis mei. Dic animæ meæ, si hoc est gaudium, de quo nobis dicis per filium tuum. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Inueni namque gaudium quoddam plenum, & plus quam plenum. Pleno quippe corde, plena vita, plena anima, pleno tote homine gaudio illos; & adhuc supererit supra modum gaudium. Non enim totum illud gaudium in-

trabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in illud gaudium.

15 Dic Domine, dic seruo tuo intus in corde suo, si hoc est gaudium, in quod intrabunt serui tui, qui intrabunt in gaudium Dei sui, sed gaudium illud certè, quo gaudebunt electi tui; *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit in hac vita.* Non dum ergo dixi tibi Domine, aut cogitaui quantum gaudebunt illi beati tui. Utique tantum gaudebunt, tantum amabunt, quantum cognoscent. Quantum te cognoscent, tunc Domine, & quantum amabunt? Certè *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit in hac vita quantum te cognoscent, & amabunt in illa vita Sancti tui.* Oro te Deus meus, ut cognoscam te; amem te, gaudeámque de te; & si non possum in hac vita ad plenum, vel proficiam in dies, quousque diueniam illic ad plenum. Proficiat hic in me notitia tua, & ibi fiat plena. Crescat hic amor tuus, & ibi fiat plenus; ut hic gaudium sit in spe magnum, & ibi sit in te plenum.

16 Domine per filium tuum iubes, immo consulis petere, & promittis accipere, ut gaudium vestrum sit plenum. Peto Domine quod consulis per admirabilem consiliarium tuum, ut accipiam quod promittis per veritatem tuam, ut gaudium meum plenum sit. Meditetur interim mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur

tur de ipso os meum, & esuriat illud anima
mea, sitiatur caro mea, desideret tota substantia
mea, donec intrem in gaudium Domini mei;
qui est trinus, & unus Deus, benedictus in sa-
cula saeculorum. Amen.

M E D I T A T I O N E S D E contritione cordis & confixione peccatoris, siue, Sagittæ poten- tis acutæ in corda inimicorum Regis.

Oratio generalis preparatoria.

DO M I N E Deus, omnipotens Pa-
ter, & bone Deus Iesu, miserere
mihi peccatori, & da mihi veniam
peccatorum meorum. Da mihi cauere, & vin-
cere omnes infidias inimicorum meorum, &
tentationes, & delectationes noxias perfectè
mente, & auctu vitare, quæ prohibes facere,
Seruire tibi, & amare te quantum scis, & vis
& viuere secundùm tuam voluntatem. Da
mihi Domine compunctionem cordis, ex-
ercitium pietatis, virtuté humilitatis, discre-
tam abstinentiam, carnis mortificationem, re-
ctum introitum ad te orandum, & amandum,
meditandum, & laudandum, ad omnem se-
cundùm te auctum, cogitationem perfectā, so-
briam, & veracē, mentem strenuā, & efficacēm.

Da mihi Domine mandatorum tuorum notitiam, & dilectionem, & delectationem: facilitatem, & effectum in custodiendis illis, & iugem perseverantiam ad meliora: cum humilitate proficere, & nunquam deficere. Ne derelinquas me Domine, nec humanæ infirmitatis, vel ignorantia, nec meritis meis, nec vlli alij rei, nisi tuae dispositioni. Tu Domine clementer dispone me, & omnes cogitatus, & actus meos in beneplacito tuo, vt fiat à me, & in me, & de me tua solùm semper voluntas. Libera me Domine ab omni malo, & da mihi omne bonum; id est, te ipsum, ut gaudium meum sit in te, qui es vita æterna.. Amen.

I. *Quod nihil stabile est in mundo.*

1. **N**ihil certius morte, nihil hora mortis incertius. Cogitemus ergo quām breuis sit vita nostra, quām mors certa, quām hora mortis incerta; quām via lubrica & periculosa circundata insidiis inimicorum. Cogitemus quantis amaritudinibus admixtum sit, si quid dulce, aut iucundum, in via huius vitæ, occursu suo nobis alludit. Quām fallax, ac suspectum, quām instabile, & transitotum est quicquid amor huius vitæ parauit. Quicquid species, aut pulchritudo temporalis promittit, fallax est, & tota vanitas.

2. Consideremus etiam quæ sit patriæ cœlestis suauitas, aut dulcedo, serenitas, & amoenitas:

amoenitas : & attendamus unde cecidimus , & ubi iaceamus , quid perdimus , & quid inuenimus , ut ex utroque intelligamus quantum in hoc exilio lugendum sit. Hinc Salomon ait ; *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem* , quia quanto magis quis intelligit mala animæ suæ , tanto amplius suspirat , & gemit. Meditatio siquidem parit scientiam , scientia compunctionem , compunctione deuotionem , deuotio orationem commendat. Meditatione assidua homo ad sui cognitionem illuminatur. In compunctione ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur.

II. *Dé multiplicibus beneficijs Dei.*

Miser ego quantum deberem diligere Dominum meum Iesum Christum , qui me fecit cum non eram , redemit cum perieram . Non eram , & de nihilo me fecit . Inter cæteras alias creaturas ratione carentes , non fecit me , id est , non arborem , non auem , non aliquid de animalibus , sed hominem voluit me esse . Dedit mihi posse viuere , sentire , & discernere : mortalitatem suscepit , passionem sustinuit , mortem vicit , & sic me ad vitam restaurauit , sic gratia eius , & misericordia eius præuenerunt me : de multis namq; periculis liberavit me liberator meus , & Dominus meus Iesus Christus . Quando errabam , reduxit me : quando ignorabam , docuit

182 *Meditatio S. Anselmi,*
docuit me : quando peccabam, corripuit me :
quando tristis eram, consolatus est me : quando
desperabam, confortauit me : quando ce-
cidi, erexit me : quando steti, tenuit me :
quando iui, duxit me : quando veni, suscep-
pit me.

2 Hæc, & alia malta fecit mihi Dominus
meus Iesu Christus , de quibus est mihi
semper dulce, semper gratias agere sibi sine
intermissione, ut pro omnibus beneficiis suis
possim eum amare, & semper laudare. Pro iis
omnibus quid illi rependam non habeo , nisi
tantum , ut diligam eum ex toto corde meo.
Non enim melius, nec decentius , quam per
dilectionem rependi potest , quod per dilec-
tionem datum est.

III. *Oratio serui Dei se humiliantis.*

Scio Domine Iesu Christe, scio, & fateor,
quod non sum dignus quem tu diligas,
sed certè tu non es indignus, quem ego dili-
gam. Indignus quidem sum tibi seruire, sed
non es tu indignus seruitio creaturæ tuæ.
Da mihi ergo Domine unde tu es dignus,
& ero dignus unde sum indignus. Fac me
Domine quoquo modo vis à peccatis cessare,
ut quo modo debeo, possim tibi seruire. Con-
cede mihi per tuam piissimam misericordiam
sic custodire, regere, & finire vitam meam,
ut in pace dormiam, & requiescam in te.
Præsta mihi Domine ut in fine recipiat ani-
ma

ma mea somnum cum requie , requiem cum saturitate , saturitatem cum aeternitate , per Iesum Christum Dominum nostrum . Amen.

IV. Oratio pœnitentis humiliter postulantis diuinum auxilium.

1. **D**omine Iesu Christe Redemptor meus , misericordia mea, salus mea, consolatio mea, vita mea, te laudo , tibi gratias ago; tua bonitas me creauit , tua misericordia me ab omni originali peccato mundauit ; tua præsentia post illam emundationem , me in aliis fordibus voluptatum haetenus tolerauit, nutritum , & expectauit. Domine Deus Creator meus, tolerator meus, nutritor meus, & adiutor meus, te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro, te concupisco. Benignissime, suauissime, serenissime, te volo, te quæro , te spero videre.

2. Eia iam Domine appare mihi, & consolatus ero , ostende mihi faciem tuam, & salvus ero, exhibe præsentiam tuam , & impletur desiderium meum. Reuela gloriam tuam , & perfectum erit gaudium meum. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea , quando venies ad me consolator meus? O si quando video gaudium meum, quod desidero! O si quando satiabor cum apparuerit gloria eius , quem esurio ! O si ineibriabor ab ubertate domus eius , ad quem suspiro!

suspiro ! O si potabis me torrente voluptatis tuae , quam sitio ! Da mihi Domine in hoc exilio panem doloris, & lacrymarum , quem esurio supra omnem copiam deliciarum. Sint interdum interim lacrymæ meæ mihi panes die, ac nocte. Dicatur mihi, ecce Deus tuus, donec audiam, ecce sponsus tuus. Pasce me interim Domine singultibus meis , refocilla me doloribus meis. Amen.

V. *Hic respirat homo ad Dominum suum.*

REspira ergo ô peccator, respira, ne desperes, spera in eo, quem times, & fugi ad eum, à quo fugisti ; inuoca eum importunè , quem superbè prouocasti. Iesu, Iesu, propter hoc nomen tuum Iesu, Iesu, obliuiscere superbum prouocantem, respice miserum inuocantem. Nomen dulce, nomen delectabile , nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ spei. Quid est enim Iesus, nisi Saluator ? Ergo Iesus , per temetipsum esto mihi Iesus. Noli Domine , noli sic attendere ad malum meum , vt obliuiscaris bonum tuum. O bone Domine Iesu , si ego commisi vnde damnare potes , tu non amisisti vnde saluare soles. Si mihi charitatem meam ademi , nunquam misericordiam tuam pereveri. Verum est, quod conscientia mea meruit damnationem , & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem ; sed certum est, quod miseri-

misericordia tua superat omnem offenditio-
nem. Parce ergo tu Domine Iesu, qui es sa-
lus, & qui non vis mortem peccatoris. Misere-
rere precanti animæ meæ; solue vincula eius,
fana vulnera eius.

2 Ecce misericors Domine coram te ex-
hibeo animam meam neruis virtutum disso-
lutam, catenis vitiorum ligatam, pondere
peccatorum aggrauatam, delictorum sordi-
bus foedatam, decisam vulneribus dæmonum,
putridam, & foetidam ulceribus vitiorum, &
criminum; iis, & aliis grauaminibus, quæ tu
melius me vides, obrutam, oppressam, circun-
datam, obvolutam, bonorum omnium rele-
namine destitutam. Ecce quanta me coar-
ctat miseria mea; subueni mihi, & succurre
o immensa misericordia diuinæ Maiestatis.
Heu miser, heu miser, semper, & ubique mi-
ser. Quanta captiuitas est miseri hominis? Si
malè viuit, aperta est damnatio; si rectè qui-
dem viuere videtur; sed inde gloriatur in-
cautè se custodiens, iterum est misero certa
mors, & æterna damnatio. Isti tres inimici
miseri hominis, superbia, inuidia, & inanis
gloria, quæ infelices homines grauius infe-
stant; & nisi misericordia Dei eum tueatur,
sæpius usque ad mortem vulneratur. Libera
me Domine ab iis hostibus meis, à quibus li-
berare me ego non valeo..

**VI. Hic homo conqueritur de peruersitate
cordis sui.**

1 **P**eruersum est enim, & pessimum cor meum ad deplorandum peccata mea perpetrata, lapideum est, & aridum cor meum ad contritionem: labile, & molle, & luteum ad inutilia & noxia tractanda. Velox est, & infatigabile ad omnia nocua: ad cogitanda salubria fastidiosum, & immobile; anima mea distorta, ac deprauata ad bona facienda, ad præcipitandum, & volutandum se in vitiis facilis, & prompta, ad reminiscendum salutis, & virtutis, difficilis, & pigra: Longum est enarrare singula opera prava sua; sed hæc quidem pauca, quæ sequuntur enarrare possumus. Videlicet gastrimargiam, & somnolentiam, leuitatem, impatientiam, cenodoxiam, detractionem, inobedientiam, & cætera vniuersalia, quibus facta est inutilis anima mea. Quotidianum ludibrium, quo distrahitur, conculcatur, & perditur.

2 Libera eam Domine, & exonera eam mole peccatorum obrutam, solue delictorum funibus ligatam, & expedi criminibus irretiatam. Erige iacentem, sustine nutantem; instrue spiritualibus armis, virtutibus inermem. Doce, & protege pugnantem, expugna impugnantes me, Iesu bone, *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicia mea.* Adiutor meus esto, ne derelinquas

linquas me, nec dessicias; sed doce me, & adiuua me Domine plus benigne, & clemens, quam possum cogitare. Non minus haec sentiam, quam praeclimo sperare facere voluntatem tuam, ut vita mea testetur, quod os, & cor libenter confitentur.

VII. *Quare peccator semper debet timere.*

PEcata mea nimis magna estis, nimis multa estis. Si à vobis non absoluar, quid erit mihi? Iudex terribilis, & districtus, & intolerabiliter seuerus, Dominus immoderatè offensus, vehementer iratus; sententia incommutabilis, carcer irremediabilis, tormenta sine fine, sine interuallo, sine temperamento: tortores horribiles, qui nunquam laffescunt, nunquam miserentur. Timor reum me conturbat, conscientia confundit, cogitationes increpat, fugere non valeo. Ecce in quo periculo incessanter confito. Et quia non semper hoc cogito, eo sum miserior, & miserabilior, quia hoc obliuisci possum. Semper enim Deus videt me, & propter peccata mea, semper minatur mihi districtam sententiam; semper infernus aperitus, & tormenta parata; semper inuisibiles insidiatores parati, ut illuc rapiant miserabilem animam meam. Sic sum positus cum vigilo, sic cum dormio, sic cum iocor, cum superbio, cum detraho, cum irascor, cum iudico, sic, sic cum delicias corporis miserabiliter

biliter amplector. Denique sic sum semper,
& ubique. Heu me miserum, & ubi non sum,
qui nescio ubi futurus sim.

2 Veh misero, quid faciam? Heu quanto
tempore languet mens mea? quanto stupore
induratum est cor meum? quanto tempore
obruitur anima mea? Quid est, quod me sic
impedit? quid est, quod cervicem meam pre-
mit? Vult Dominus, vult ad te anima mea
erigere faciem suam, & plumbeo pondere
curuata grauatur. Conatur se expedire, &
ferreis catenis adstringitur; tentat exire, &
in eo carcere clauditur. Cupit in te dirigere
intuitum suum, & caliginosis tenebris obscu-
ratur. Quae sunt ista Dominus, quae sic animam
meam obtenebrant, & grauant, claudunt, &
ligant? Forsitan haec sunt peccata mea. Imo ve-
re haec sunt peccata mea, certe haec sunt.

3 Affectus carnalis infatuauit me in amo-
rem spiritualium. Intentio infirmorum in-
curuauit animam meam ab intuitu superio-
rum. Amor terrestrium extinxit in me dele-
ctionem, & amorem cœlestium. Vnu vitio-
rum euanui in sensu verborum bonorum. Ab
illis bonis elongatus sum, in his malis occu-
patus; seclusus ab illis, inclusus in ipsis; ab il-
lis deuolutus, in ipsis obuolutus. Hic est ille
carcer, & vincula; hic sunt tenebrae, & pon-
dera. Vnde mihi, quia propè est dies iræ: propè
est inquam, & incognita, subito veniens; & for-
san hodie erit.

VIII. Hic reprehendit se peccator de ingratiudine diuinorum beneficiorum.

1 **A**H, ah, ah Domine Deus, Pater misericordiarū, audeóne venire, & apparere in conspectu Sanctorum tuorum infelicissimus, & miserrimus; tot & tantorum beneficiorum tam ingratus; donorum tuorum tam impudens, & tam execrabilis abusor? Qui totiens, ac tamdiu ipsis beneficiis tuis te impugnare non veritus sum: qui stipendiis tuis diabolo contra te militare totiens, & tamdiu non erubui: qui ipsa dona tua in arma diabolica conquerere non timui: qui me ipsum tam abominabiliter abuti præsumpsi, ac me ipsum seruum ausus sum exhibere diabolo, & membra mea eiusdem facere, quibus te creatorem, auctorem, & membrorum meorum largitorem, impugnauī.

2 Nunquid non ego sum Domine Deus meus, qui me ipsum totiens exhibui gladium acutum ingrato diabolo ad deuorandas animas? Quotiens armaui me contra te in alienam mortem? Linguam meam in arcum mendacij totiens exhibui, quotiens sagittas detractionis, ac adulacionis in alios misi. Non sufficio misericordissime, ac dulcissime Pater, enumerare membrorum meorum nefarias abusiones, quibus & diabolum armaui, & te benignissimum, ac clementissimum impugnauī.

IX. *Recognitio peccati.*

¹ **E**go sum ille homo dementissimus, quem de nihilo creasti, & de massa peccati, & perditionis in filium gratiæ tuæ elegisti, & in fratrem, & cohæredem charissimo unigenito filio tuo Deo, & Domino nostro Iesu Christo adoptaueras, & ad honorem, & gloriam regni tui. Et tanta tam indebitæ gratiæ tuæ largitate me imple nisi; qui & abundantiam huius tantæ suavitatis tuæ oblitus sum, & tanta bona mihi tradita à te prospiciens, spredo honore regni cœlestis, & gloria tua, me in spurium filium, & degenerem conuersti, & diabolo distrahendo per sterquilinia luxuriæ, & spineta auaritiæ, & ad illidendum in scandali fluctibus, & procellis superbiæ me tradidi. Ego sum cæcus mercator, qui pretiosissimis talentorum tuorum diuitiis tantam miserabilis incipiam, & nuditatem, & æterna suspiria mercatus sum. Sterquilino luxuriæ, & diuitiarum sentibus iucundissimam, ac suauissimam pacem; securissimum portum procella superbiæ; æternam lucem, æternitatis tenebris; æterna gaudia, æternis doloribus; & æternam gloriam, æterno opprobrio; & regnum tuum diabolica seruitute commutaui.

² Ego sum infirmissimus ille, qui velut signum ad sagittam iaculis peccatorum confondendum, & vulneribus lacerandum me exposui.

posui. Ego sum ille homo , qui velut cadauer canibus infernalibus, & omnibus volucribus immundis dissecandum , & laniandum, projectus à ciuitate sua sancta , quæ est sanctorum amicorum tuorum, sanctaque iucundissima societate sanctorum spirituum supernorum , vitiorum vermibus comedendum me tradidi. Quam abominabilis appareo coram oculis sanctis tuis , cœno fœtidissimo tetterimque luxurie immundus , ac fodiatus : igne iracundiæ , & auaritiae semiustus , atque vermibus odij , & inuidiæ obfissis membris meis : vento superbiæ tumidus; monstruosus totus , ulcerosus, atque confusus,tot, tantorumque peccatorum meorum diabolice turpitudinis sigillatus characteribus.

3 Scio miserator Domine , quod meritò , & iustissimè negare me potes , & non me recognoscere , non solùm filium tuum , sed & creaturam tuam , in eo quod talis sum. Nec enim horrenda illa omnigenum turpitudinum monstruosa facies, est creationis, aut re-creationis tuæ: Non est abominatio ista, imago tui, & similitudo æqua. Alteram me creasti. Verè similitudo ista diabolice turpitudinis , me ostendit diaboli haec tenus fuisse filium , & tormentorum infidelium hæredem. Hæc est mercatio, & commutatio, quia cæcus , & dementissimus ego tuæ similitudinis gloriam , & honorem abominabilissima, ac vilissima fæd. tate mataui.

4 Non ideo sancte Pater, pretiosa illa talenta

lenta tua tradideras mihi, ut pro usuris, horrendam istam abominationem faceres me tibi reportare. Non ideo mihi tot, ac tantis beneficiis tuis debitum seminasti, ut foetorem, spinas, & tribulos peccatorum de me colligeres. Non ideo tot, & tantis beneficium me impleuisti, & ditasti, ut in oppugnationem tuam ea conuerterem. Non erat intentione benignitatis tuae armare me contra te, nec armare diabolicam auctoritatem donis tuis. Ecce tot hic vulneribus plagatus sum, nec ullo sensu doloris torqueor. Tot, & tantis vulneribus confossum non doleo. Video me cæcum, qui tot, & tantas turpitudines meas, & nuditatem non erubesco.

5 Verè insensibilis sum, & stupidus corde, qui tot, & tanta damna mea non doleo, & qui mortem meam lugere non valeo. Verè corde lapideo induratus sum, qui nec imminentia mihi æternæ supplicia saltem non timeo. Verè corde congelatissimo, quem beneficiorum incendia admota amore Patris clementissimi calefacere non sufficiunt. Verè largiter me reprehendo, quem nec tuba prædicationis, nec comminationum tuarum tonitrua sufficiunt excitare. Verè dolor penetrabilis, dolor compunctionis, quam totam illam duritiam diabolicam conterere, & diruere deberem, & totum lapidem duritiaz, & obstinationis ilius comminuere.

6 Vbi est Deus meus ille, pudor, quo ante oculos tuos, & totius curiæ cœlestis confundi deberem?

deberem? Vbi est timor illæ tuæ vindictæ, quo totus ante conspectum tuum contremiscere deberem? Vbi est amor ille, & desiderium pacis, amoris, & gratiæ tuæ recuperandæ, quo in ardescere deberem? Vbi est torrens ille lacrymarum, quo spurcitas meas ante te delere deberem? Vbi est deuotio orationis, qua te mihi placatum, & propitiū reddere deberem? Quò me vertam misericors, & miserator Pater, qui nihil dignum respectu misericordiæ tuæ offero maiestati tuæ? Quò fugiam piissime Pater, qui sum vacuus omni bono, & tam plenus omni malo appareo ante conspectum Sanctorum tuorum, & sanctorum militiarum exercituum cœlestium?

7 Scio Domine Deus, dominator vitæ meæ, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum defusum est descendens à Patre, & lumen; scio me nihil posse acceptum offerre coram te, & gratum, nisi de fonte bonitatis tuæ illud præhauserim, & hoc utique te illuminante, te docente. Scio hanc arram misericordiæ tuæ me præuenire. Scio dulcissime Pater, quod bona tua sicut fraude nulla tibi arripere, aut auferre possum, sic nec ullis meritis obtinere me omnia posse quibus ad te reuertar, & complaceam. Quid enim meritis meis deberi potest, nisi mortis æternæ supplicium? Scio, quod in beneplacito tuo sancto est me disperdere secundum multitudinem flagitorum, facinus-

sum, & negligentiarum, & omissionum mearum, vel reformare me, vel facere me tibi acceptabilem secundum diuitias inestimabiles misericordiae tuae, qui solus es reformator creaturæ, quam solus formasti.

8 Nunc misericors Pater ad te confugio, sciens quod non est mihi fuga à te nisi ad te. Quis me potest liberare de manibus tuis nisi tu solus? Liberare me potest misericordia tua, quam tot, & tantis iniquitatibus meis non solum demerui, sed etiam impugnauis, ab ira iustissima tua, quam infelicissimus, & ingratissimus irritavi. Igitur suscipere me dignare, Domine, reuertentem ad te. Auerte, obsecro te, oculos sanctos ab ingratitudinibus meis, atque spuri citois. Ad te ipsum obsecro respice, cui nunquam sine venia spe supplicatur. In temetipso inuenies unde, & propter quod miserearis secundum abundantiam suavitatis tuæ, & immensitatem misericordiae tuæ. Noli obsecro ad me respicere, quia nihil in me inuenies, nisi unde irasci debas, vel nisi morte æterna dignissimum. Auerte, obsecro te Domine, oculos tuos sanctos à conspectu turpitudinum & abominationum mearum, quas si ego pellucide, & plene conspicerem, & viderem, horrore nimio non sustinerem, sed me ipsum horrerem, & fugerem. Auerte, obsecro, nares tuas à foetibus meis, & ad temetipsum conuerte. Scio Domine misericordiae, quod mundi sunt oculi tui sancti; & horrorem deformitatis meæ

(nisi)

(nisi tu dederis mihi bona, quibus placeam tibi, non possunt aspicere. Seio, quod tota tua curia cælestis auertit oculos suis, & aures obturat, abominationes meas ferre non sustinens. Sed tu misericors Pater ad fontem illum misericordiae conuertere, cuius misericordiae non est numerus, nec finis: & pio, ac sereno vultu respice me creaturam tuam. Creatura tua ego sum Domine, & opus manuum tuarum.

¶ Reforma igitur, obsecro, quod in me fecisti, & destrue quod ego contra mandata tua in me feci. Hoc igitur destrue, quod odisti in me, & quod tu utique non fecisti, sed ego miser. Hoc reforma, & refice, quod tu ipse fecisti, & formasti. Hoc enim est tuum Dominus Deus meus; hoc est odisse quod non posse, nihil odisti eorum quæ fecisti. Hoc destrue in me, quod meum est, quod utique tu non fecisti, hoc est turpitudinem abominationum mearum. Ne me destruas. Hanc destrue misericors, & miserator Domine; hanc enim odisti, & hanc ut odisse incipiam mihi largitus es.

X. Elenatio pœnitentis ad Patrem.

¶ **R**espice, obsecro sancte Pater omnipotens, æterne Deus, ad illam misericordiam tuæ exundantissimam abyssum, qua velut diluum ablutionis charissimi filij tui unigeniti pretiosissimum, vivificumque in mundi

emundatione exundauit, cuius & morte placuit bonitati tuae etiam nos vivificare, & eius sanguine lauare. Qui etiam filium tuum charissimum, mundo, scuto bona voluntatis tuae largitus es, quo se ab ira tua protegerent, & mortem, quam metuunt, ipse illam scuto iustitiae tuae, & iustissimae irae tuae obiecto exciperet. Vbi quantum per te nobis boni velles, ostendere dignatus es, dum charissimum filium tuum, velut scutum, irae tuae opponere dignatus es. Et ipsum placuit misericordiae tuae, & iram tuam, & mortem nostram excipere: iram quam merueramus, & mortem. Iple verò vnigenitus tuus mortem nostram solus portauit.

2 Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à saeculo sunt, & conanti creaturæ tuae ad te porrige dexteram. Adiuua infirmitatem conantis ad te: Trahe ipsum, qui scis ipsum non posse ad te venire, nisi tu Pater traxeris eum à tuo amore, & desiderio. Fac me seruum tibi acceptabilem, & placitum, qui scis me non posse aliter tibi placere. Da, obsecro, dona illa sancta, quibus solis tibi placeam, qui das bona grata petentibus te; fac quæso, ut tu solus sis amor meus, & desiderium meum, tu solus sis amor meus, & timor meus. Vindica me totum tibi; qui me totum quod sum, & totum quod in me; imò totum quod sapio, totum quod moueor, debere tibi soli scio. Totum me conuerte in laudem, & gloriam tuam, qui

qui totum me debeo laudi tuæ. Ne tradas,
obsecro te Domine, hostibus tuis creaturam
tuam: retine eam tibi, cuius est solius plenif-
simè, & singillatim consumma in me quod
coepisti, & confirma quod operatus es.

3 Exaudi obsecro orationem meam, cuius
tu largitor, & inspirator es, antequam inuo-
carem te. Respice supplicantem tibi, qui me
dum orarem, respicere sic dignatus es. Non
in vacuum, miserator Domine, orationem
istam inspirare dignatus es, non frustra eam
largitus es mihi. Ad hoc utique mihi eam
largiri dignatus es, ut exaudias me. Ad hoc
dedisti mihi, ut supplicarem tibi, ut miserearis
mihi peccatori, & cui iam arram misericor-
diæ tuæ tribuisti, largire residuum. Recupera
me Domine Deus meus, & erue de manibus
inimicorum meorum, quia & ipsi tui sunt, &
omnipotentiæ tuæ subiiciuntur; qui etiam
nihil oderunt in me nisi quod dedisti mihi in
omnibus bonis actibus. Nihil oderunt in me
nisi quod diligo te. Hoc omnibus studiis, &
viribus suis, & tota fraude moliuntur, ne di-
ligam te, ne glorificem te, nec omnino
quæram te.

4 Ne ergo præualeant aduersum me ho-
stes gloriæ tuæ, sed magis confundantur mul-
titudine misericordiæ tuæ, videntes me con-
uersum in laudem, & gloriam tuam, totum
quærere pacem, & gloriam tuam contra insi-
diantes, & cuius immutationem intendunt.
Ne expleri patiaris obsecro te Domine, tam
iniquam,

iniquam, tam execrabilem voluntatem eorum de me, & contra me. Magnifica ergo Deus meus animam meam ad annuntiandum laudem tuam, & gloriæ tuæ præcoccia, ut totus de cætero secundum magnitudinem gloriæ tuæ viuam, totaque vita mea te glorificet. Et exemplo meo ad glorificandum te, inuita, & prouoca multos prædestinatos. Abstrahat quæso vilissimos, & immundissimos, abominabilésque spiritus tenebrarum à me, præsentia luminositatis, & suavitatis gloriæ tuæ, quam sustinere non possunt. Dirumpe vincula mea, & educ me de conclusione, & de carcere horrido, & tenebroso, teterrimoque, & de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & de profundo mortis, & tenebrarum in libertatem, & lucem tuam admirabilem.

5 Illumina me fide saluberrima tua, lætifica me, & confirma spe iucundissima, & certissima tua. Viuisca me dilectione fortissima, & iustissima tua. Deprime me, & humilia, atque custodi me timore fortissimo, securissimo, & inuiictoriosissimo tuo. Confunde salubriter me pudore pulcherrimo, & gloriofissimo tuo. Quoties ante oculos tuos aliquid, quod eos offendat affero, torque me, afflige me dolore muliebri, & suauissimo modo compunctionis medicinæ efficacissimæ tuæ, ne recedam à facie misericordiæ tuæ vacuus, & confusus, sed obtineam quicquid te iubente, te largiente, & inspirante petis siue petam; & quicquid te potentibus promisisti.

Sentiam

Sentiam misericors, & miserator Domine quod non in vanum ad misericordiam tuam configitur, & præstò es te quærentibus ad inueniendum te. Et quod non deficiam apud te fontem misericordiæ tuæ, qui de profundo me eripuisti; & quæ, & quanta, & quot intelligis, contulisti. Eadem quippe facultate omnipotentiae, sapientiae, & bonitatis tuæ, quæ dixisti, & facta sunt omnia, ea felicitate misericordiæ tuæ dicere potes; & informabuntur in me omnia deformata.

6 Ecce omnipotens, & misericors Pater, tot, & tanta beneficia tua quæ recepi, enumeraui; tot, & tanta mala, quæ bonitati tuæ reddidi, recitaui; infelix ego sum, & ingratus, qui post tot, & tanta mala, quæ manent me, & imminent mihi, adhuc gelido, duro, & impudenti, & mortuo, & stupido corde sum coram te, & non erubesco. In tot, & tantis latrociniis deprehensus, & solum expectans infernale patibulum, nec timore concutior, nec dolore torqueor, nec pudore confundor, nec amore tam placidæ, tam durabilis bonitatis tuæ accendor. An expectas, dulcissime Pater, & differs respicere in me, & misereri mei, quousq; secundùm misericordiam tuam dignus ante te appaream, & dignum aliquid rogatu, & exauditione tua ante te offeram? Ecce cadauer mortuum, & vermibus scatens, & triduanum fœtens ad te veniens in te vitæ largitorem, attuli. Ecce cæcum ad illuminandum offero omnipotenti misericordiæ

tuæ, & languidum sanandum, & tot, & tantis
debitis obligatum ad soluendum ; nudissi-
mum, & pauperrimum ad ditandum : in cu-
ius oculis facile est subito honestare pau-
perem.

7 Non aliquid aliud possum clementissi-
me Deus offerre tibi, nisi memetipsum qualis
sum, & ostendere mortem, & vulnera mea,
nuditatem, & paupertatem meam, & debita
mea, secundum quæ carcerem mortis æternæ
timeo. Ostende itaque oculos tuæ miseri-
cordiæ, si quomodo conuertatis, & ignoscas,
& infundas gratiam beatitudinis tuæ super
me. Nec enim conuertere me possum ad te
tot, & tantis vulneribus, & ægritudinibus, &
morte ipsa depresso, & impotens effectus.
Sed tu misericors Pater, conuerte me, & con-
uertar ad te. Conuerte me Domine ad te, &
contere, & contribula cor meum, & sensus
viuifici doloris immitte. Non enim est fons
bonorum præter te. Non est à quo accipiam
amorem, & timorem, & dolorem, & puden-
tem, quibus coram te misericordia dignus
inueniar, nisi de prælarga misericordia tua
super me indignissimum gratiam effuderis.
Domine si istam mihi concesseris, beatus ero.
Si in me flagitia, & facinora mea vindicare
secundum iudicium, & iustitiam tuam di-
gnatus fueris, fœlix sum ; non autem si
secundum iram tuam, quæ rebelles, &
contumaces misericordiæ tuæ comprehen-
dit in fine.

¶ Et hæc est iustitia tua, & iudicium tuum misericors Pater, quod timore, & amore, & pudore, & dolore agitur in cordibus veraciter pœnitentium, & redeuntium ad bonitatem tuam, ut misericordiam consequantur. Confige ergo latronem istum timore tuo sancto, & adure apostatam istum igne amoris, & charitatis tue. Confige Domine malefactorem istum dolore viuisco, ac saluberimo tuo, confunde impudentem prævaricatorem istum glorioso tuo pudore. Affige sceleratum istum cruci pœnalis laboris, & acceptabilis misericordiae tue; fac me toto corde esurire & sitire te totis visceribus, totoque desiderio amplecti te. Fac me totis visceribus servire tibi soli, toto studio quaerere que beneplacita sunt coram te, cui cum vnigenito tuo, & Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto paraclito dono sanctissimo tuo omnis honor, & gloria in in secula seculorum. Amen.

XI. *Pro veniam impetranda.*

¶ **S**Vscipiat pietas tua Domine Deus meus humilitatis meæ preces. Ego miserimus ad te piissime Deus configio prægrauatus sarcina peccatorum, incuruatus pondere criminum, profundis ignorantie tenebris obuolutus, lacrymabile prostibulum, vile libidinis subfellum. Væ fœtor intollerabilis

bilis horror terribilis. Quid feci homuncio,
vermis, & putredo? Quid feci, quid præsum-
psi? relinquendo præcepta Dei, in omnibus
præuaricator sum. Heu me miserum! Ecce
Deus, ecce asto mærens ante faciem pietatis
tuæ, & confundor miserrimus, pro abomina-
tionibus meis, quibus deformis factus sum, &
horribilis Angelis & hominibus; pertimesco
iudicium extremæ damnationis.

2 Depreco itaque te, benignissime con-
ditor, ut à me intollerabili foetore iam pleno
faciem tuam non auertas, sed potius aspicias
quām graui vlcere percussus sum, & conside-
res, quali me cœlesti medicamine cures. Non
iustitiæ tuæ Domine experiar vltionem, sed
lenissimæ clementiæ tuæ sentiam bonitatem,
& quotiescumque te anxius inuocauero in
angustiis meis, proximam sentiam tuam con-
solationem. Te rogo consolatorem, te depre-
cor adiutorem, te expecto per omnia coope-
ratorem, serenissimo vultu petitionibus meis
aurem tuam accommoda; & gratiam sancti
Spiritus cordi meo clementer infunde, ut te
perfectè diligere, & dignè laudare merear,
confirm cor meum in timore tuo; adiuua me
peccatorem in infirmitate corporis mei, &
animæ laborantem. Ad te Domine faciem
meam, ad te oculos cordis mei conuerto, re-
spice ad humilitatem meam, & ostende, quia
non derelinquis præfumentes de te. Peccavi
Deus, iniuste egi, iniquitatem feci, sed tamen
quia pius es, miserere mei.

3 Fons bonitatis, aperi finum pietatis; subueni quæso miserrimo peccatori; Exaudi deprecationem meam, & conuerte luctū meum in gaudium. Adiuua me Domine, nullum alium habentem auxiliatorē nisi te. Tu enim scis Domine necessitatem meam. Peccavi nimis Domine, peccavi nimis per tota vitæ meæ tempora, enormitate scelerum vitam meam consumpsi, & quod est infelicius, ipsa prava consuetudine in baratum me damnationis demersi. Te ergo Domine omnium criminum sordibus obuolutus deprecor, ut miserum à pœnis, & aduersitatibus quas pro peccatis meis horribilibus mereor eruas, & à cogitationibus pranis mundes.

4 Cognosco Deus, quia peccavi, veniam peto, quam non mereor, manum mihi porrige lapso, quia latroni serò confitenti, & Mariæ flenti Paradisi ianuam aperuisti. Tibi corpus, & animam meam commendando, sermones quoque, & cogitationes, actus, & omnem vitam meam. Tu sis custos meus, qui es Deus meus, ut in omnibus actibus meis te habeam cooperatorem quem habui Redemptorem. Quæso non secundum meritum meum exerceas super me ulationem tuam, sed propter magnam misericordiam tuam mihi in finem praestes bonam consummationem, vulnera tua sint medicamina mea; mors tua Iesu bone, sit vita mea; resurrectio tua sit sanctificatio & liberatio mea. Effunde super me viscera misericordiæ tue, ne perdat aut confodiat me

5 Vita Angelorum salus miserorum, audi supplices famuli tui preces , respice proprius Domine, & aures tuæ pietatis inclina, vt ineffabilis deleat bonitas, quod egit maxima mea iniquitas. Pie Domine consolatione tua me recrea, vt requiescam in te , resuscita me clamantem ad te , vt latificer in te. Inclina cor meum Deus ad amorem tuum , vt te ex toto corde, & ex tota mente , & ex omnibus viribus meis diligere valeam , & proximum sicut me ipsum.Tu Domine conscientiæ meæ vulnera , tu cogitationum mearum occulta nosti , immundicias meas tu solus agnoscis, miserere mei Domine, miserere mei. Tu remedium animæ meæ, tu lux, & lucerna lucens illumina animam meam. Omnes Domine maculas mentis, omnésque sordes corporis, & animæ meæ, qui solus mundus es, absterge. Frange Domine omnes artes diaboli , largire mihi de præteritis veniam , de præsentibus malis indulge continentiam , de futuris cautelam & conuersationem quæ tibi placeat, vt anima mea in te viuat. Fac me Deus prius quam moriar denudari vitiis , & virtutibus ornari.

6 Deus, qui creasti omnia, tu nosti peccata mea, indulge quæso , & miserere mei, quia multum peccavi tibi. Fiat mihi quæso Domine , fides firma in corde , verbum veritatis in ore, voluntas bona in mente , honestas in actione,

actione, patientia in tribulatione, humilitas in prosperitate, perseverantia usque in finem. Subueni mihi Domine, in omnibus necessitatibus & angustiis meis, & conuerte tribulationem & angustiam meam, in gaudium, & laetitiam exultationis æternæ. Et cum dies extrema, finisque vitæ aduenerit, libera me à Principe tenebrarum & terroribus eius, & suscipe in pace animam meam. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

XII. *Pro quotidianis defectibus.*

1 **A**nima mea in angustiis est, & spiritus meus astuat, cor meum fluctuat, angustia animi possidet me: circumdatus sum malis, obsitus sum miseriis, oppressus angustiis. Vbiique iniquitas mea persequitur me. Ulò enim me miserum antea vitiavi, proprio me priùs arbitrio pollui. Bonus eram, spontanea mea voluntate ad peccatum dilapsus sum. Heu me miserum! Infelix ego, priùs occasionem peccandi amplexus sum, nunc peccati vsu astristè teneor. Quæro à lapsu resurgere, nec valeo, malo usui repugnare, & nequeo, trahor boni amore, sed retrahor malæ consuetudinis lege: ad iustitiam amor me erigit, sed ad peccatum consuetudo constraingit. Peccata enim mea consuetudine duruerunt.

2 Cur infoelix anima natus sum, cur in hanc miseram vitam proiectus sum? Nihil rectum

rectum ago, nihil sanctum, nihil Deo dignum; quotidie pecco, quotidie labor, quotidie præceps in deterius vado. Rapit me furor, extollit superbia, inflamat ira, clamor excitat, commouet indignatio, paratus semper ad iram, supra modum irascens, supra mensuram animo conturbor. Infoelix cui non detraхisti, cuius non abrosisti vitam? Sterilis, inhumanus, infructuosus; cecidi in concupiscentia sæculi, defluxi in cupiditatibus mundi, congero res perituras; nescit satiari cupiditas mea. Succurre mihi Deus meus, priusquam sine termino crucier; Dele peccata mea, absolue facinora mea, ne differas munitionem meam Deus meus. Recipiat salutem anima mea, languoribus meis tribue medicinam, spiritum rectum, perseverantiam bonam tibi placentem dona mihi Domine.

3 Exaudi, piissime Deus, precem humiliatis meæ, conforta, visita, guberna, & defende, ut mihi noceri nō præualeat inimicus omnibus diebus vitæ meæ: sed Spiritus sancti gratia illuminatus, prauarū aëtionū delectationem valeā euitare, & in sanctæ religionis studio fixus & stabilis valeam perseverare, & ad claritatem visionis æternæ, fœlix te opitulante valeam peruenire. Iterum supplex, atque iterum humili deuotione tuam Deus Pater imploro clementiam, ut mihi misero auxilium mittere digneris de cœlo contra diabolum contra me dimicantem, ut tua misericordia

sericordia circundatus, tua protectione vbi-
que defensus, tuis sanctis disciplinis erudi-
tus, tibi Deo omnipotenti, & omnibus Sanctis
tuis placere merear.

4 Emitte quæso Spiritum sanctum in vi-
sceribus meis, qui corpus, & animam meam
visitare, & defendere dignetur ubique. Tibi
clementissime pater immensas refeo grates,
qui me ab ipsis infantiae rudimentis, per mul-
ta defluentem vitia, usque in hanc horam,
immensa bonitate tuæ patientiæ ad emenda-
tionem expectas. Resuscita ergo pie Domine,
mortuum in peccatis, succurre misero, sub-
ueni perduto; Iube Domine clausos oculos
cordis mei patetieri, ac meum adimplens de-
siderium, illuminando mentem meam, fac me
cognoscere viam veritatis, & pacis. Tu me
vigilando, & dormiendo custodi, gubernas
protege diebus ac noctibus, horis atque mo-
mentis, cunctis diebus vita meæ, ut te in om-
nibus angustiis, & tribulationibus meis me-
rear habere placabilem, tuamq; dulcissimam
visitationem sentire.

5 Exaudi me Domine miserum peccato-
rem, orantem pro multiplici corruptione
fragilitatis meæ. Tu enim Domine scis mi-
seriam meam, tu scis fragilitatem meam, tu
nosti incontinentiam, & inconstantiæ meam.
Et idcirco Domine ad te venio, ad tuam ve-
nerabilem, & immensem pietatem confugio;
Ne derelinquas me Deus meus, ne discedas a
me Deus meus. Ne me quæso repellas piis-
sime,

sime, quem ad imaginem tuam creare, & pretioso sanguine tuo redimere & sacri Baptismatis vnda ablui voluisti. Suscipe me ad te fugientem, recipe reuertentem, exaudi clamantem.

6 Domine miserere mei, quoniam si me abieceris, si me repuleris, vbi est clementia tua, vbi erunt misericordiae tuæ, quæ à seculo sunt, vbi erunt promissiones tuæ, quas Christianis populis in te credentibus promisisti? vbi refugium nostrum? vbi spes nostra? Si autem me dereliqueris, ad quem ibo, ad cuius confugiam auxilium? Quapropter misericordissime subueni mihi antequam moriar, antequam mors me præueniat, antequam tartara rapiant, antequam flamma me comburat, antequam tenebræ me inuoluant. Succurre mihi Deus meus, priusquam ad tormenta properem, priusquam sine termino crucier. Conuertere piissime, conuertere ad me Domine, & à cunctis malis meis misericorditer libera me. Recipe me Deus, recipe fugituum, suscipe lapsum, porrige nitenti manum. Dic benignissime, dic mihi peccatori, Surge, remissa sunt tibi peccata tua, vade, & noli amplius peccare. Eradica Domine, & remoue à corde meo omnes delectationes, concupiscentias, & desideria carnalia; & da mihi timorem tuum, pariter & amorem, despectum mundi, & voluntariam paupertatem. Repelle à me Domine concupiscentiam gulæ, & da mihi virtutem abstinen-

tiæ.

tiæ. Fuga à me Domine spiritum fornicatio-
nis,& da mihi ardorem,& amorem castitatis.
Cohibe iracundiam meam , & da mihi cari-
tatem tuam. Abscinde à me tristitiam sœcu-
li,& da mihi iuge gaudium spirituale.

7 Noli , noli recipere Domine animam
meam, antequam dimittas peccata mea ; &
omnium vitiorum genera in me mortifaces,
& in tuo sancto seruitio, ex toto corde , & ex
tota intentione,& ex tota voluntate me con-
stituas,& confirmes. Veniam à te , & indul-
gentiam , Domine Iesu Christe, qui latroni in
Cruce pendi , & Publicano , & Meretrici,
confitentibus peccata sua pepercisti ; humili-
liter exposco : Et antequam terra cum Da-
than & Abyron me absorbeat , antequam
ignis, & ira cœlestis cum Sodomis exurat, ad
te, qui non vis mortem peccatoris, sed ut con-
uertatur , & viuat, confugio. Ne confundas
piissime faciem meam, sed suscipe me propi-
tius ad te confugientem , & exaudi clamantem.
Aperi ergo Deus, aperi ianuam pietatis
tuæ , & resuscita mortuum in peccatis, viui-
fica sepultum in delictis. Tu enim Domine,
veniam petentibus promisisti , tu maius gau-
dium esse in cœlis super uno peccatore pœ-
nitentiam agente, quam super nonaginta in-
stis, asseruisti.

8 Idcirco Domine de promissionibus tuis
gaudens cum tota spe, ac securitate , ad im-
mensam clementiam tuam confugio , parce
malis meis, parce peccatis meis , ac sceleri-
bus

Meditatio S. Anselmi,
 bus meis. Maior est enim misericordia tua,
 quam miseria mea. Inclina, Deus meus, au-
 rem tuam, & exaudi verba mea. Non sim
 tibi, Pater amantissime, vialis ad saluandum,
 qui non fui vialis ad redimendum. Sed parce,
 mihi, & vniuersis, indulge delictis meis. Suc-
 curre mihi queso misero, quem adoro, quem
 totis visceribus concupisco, & concede mihi
 misero, ut in die mortis meæ latius canam.
 Ecce venio ad te, quem amavi, quem quæsiui,
 quem semper optauit; non mihi Domine in
 illa hora terribili pars iniqua noceat, sed
 sanctus Angelus tuus inter Sanctos, & Ele-
 ctos tuos tibi me collocet ubi lux permanet,
 & vita, & vita regnat in sæcula sæculorum.
 Amen.

XIII. *Deploratio peccatorum, cum ob-
 feratione venie.*

TV multum indigne peccator homin-
 cule, tu qui Deum nimis contrastasti
 excita mentem tuam, intende in necessita-
 tem tuam, & inuoca misericordiam, super
 miseriā. Nimis enim miser est, quem tor-
 quet conscientia sua, quam fugere non po-
 test; nimis miserior, quem expectat damnatio,
 quam vitare non potest. Nimis infelix,
 qui ipse sibi est horribilis; nimis infelicitior,
 cui mors æterna erit similis; nimis crimino-
 sus, quem terrent continui de sua fœditate
 horrores; nimis criminosior, quem torque-
 bunt

bunt æterni pro sua iniuitate dolores. Parce mihi Domine, parce priusquam gehennæ ignibus deuorer, & sine termino crucier. Reus enim timore Iudicij tui, terror pauore peccati, iram tuam formido, immemor sceleris, examen tuum trepidat conscientia metuens. Si enim iustus vix saluabitur, ego impius ubi parebo? Quid faciam cum venerit tremendi formido Iudicij? Cum examen Iudicij venerit, quid respondebo? Quid ero dicturus, cum ante tribunal Christi fuero præsentatus? Væ diem illum quando peccavi!

2. Væ diem illum, quando transgressus sum! Væ diem illum, quando malum expertus sum! Utinam non illuxisset mihi; utinam non fuisset ortus super me; utinam super me non apparuisset. O dies detestanda, o dies abominanda, o dies penitus nec dicenda, quæ me in hoc sæculum protulit, quæ mihi claustra partus aperuit, quæ ortus mei ostia reseravit; dies illa ante lucem tenebris permuteatur; profunda illam caligo confundat; densissima eam cæcitas obruat. Amittat temporis statum, omnis memoria eius extinguitur; nullis digna sæculis memoretur. Melius mihi fuerat non esse ortum, melius non esse genitum, melius non fuisse procreaturn. Flete me cœli, & terræ, lugete me omnis creatura, plorate me omnia elementa ingemiscite super me omne genus, & quo potestis vitæ spiritu super me lamentum effundite.

fundite. Peccavi enim crudeliter, lapsus sum fortiter, cecidi grauiter, corrui miserabiliter.

3 Nullum iuuenitur peccatum, cuius sordibus non sim coinquinatus. Nullus est morbus vitorum, à quo non traxi contagium; nulla sordium sentina extitit, quæ in me miserum non confluxit. Probrosus, sceleratus, flagitiis cunctis obrutus innumerabiliter frequenter impudentiam fœditatis. Ut benè viuerem, vltro promisi; quod pollicitus sum, nunquam seruaui; semper ad peccatum redij, semper delicta mea iteraui, prioribus sceleribus semper deteriora commisi. Nunquam in melius mutauit mores, nunquam à malis factis recessi: Plurimos etiam maculaui, me perdens; plurimos malis moribus, & iniquitatibus peruersti scelere meo, multæ animæ perierunt exemplis vitæ meæ, multi subuersi sunt, ego multis causa mali extiri.

4 Orate pro me ad Dominum viri sancti, obsecrate pro me plebs omnis Sanctorum, implorate pro me omnis chorus iustorum, si forte miserebitur mihi Deus, si forte recipiat me, si forte delebit peccatum meum, si forte auferet iniquitatem meam, si misericordiam præbeat mihi. Iratus est super me nimis, compleuit furorem suum in me, effudit iram indignationis super me, propter multitudinem iniquitatis meæ, quia creuerunt auersiones, quia multiplicatae sunt prævaricationes. Væ mihi, quia consumptus sum, vae mihi,

mihi, quia defecit anima mea, afflita mærore, contrita luctu, extenuata gemitu. Quis miserebitur tui, aut quis cōsolabitur te? quis dabit lamentum pro te? Magna est sicut mare contritio tua, afflictio tua sicut pelagus sauiens, dolor tuus quasi fluctus tumens. Quæ tempestas non venit super te? Quæ procellæ non acciderunt tibi? Omnes moles molestiarum, omnes turbulentissimæ tempestates, super caput tuum intonuerunt. Plena es fluctibus, plena es tempestatibus anima.

5 Vbi es custos hominum? vbi es animarum Redemptor? vbi es Pastor? Cur spreuisti me, cur auertisti faciem tuam à me? Ut quid longè factus es à me, consolator animæ meæ? Reuertere iam Deus meus, non me obliuiscaris in finem, non me in perpetuum dereras, non me perdendum in potestate dæmonum derelinquas; licet offensa sit gratia tua, tu tamen clemens, tu pius, tu multæ miserationis. Nullum relinquis, nullum spernis, nullum recusas à misericordia; sed vltò offerens clementiam, peccantes expectas, ut redeant. Quantи enim scelerati, quanti luxuriis dediti, quanti concupiscentiis sœculi saginati, bonitate tua ad indulgentiam peruerunt? Multis non merentibus gratis peccata donasti. Ostende etiam in me clementiam tuam, pateat & mihi venia, pateat indulgentia. Non ergo abneges vni, quod plurimi donasti.

6 Scelera mea non defendo, peccata mea
non.

non abscondo. Displicet mihi quod feci, displicet quod peccavi; errorem meum confiteor; culpam meam agnosco, vocem confessionis aperio. Suscipe quæso clamorem contentis; attende vocem deprecantis, audi vocem peccatoris clamantis. Peccavi Deus miserere mei; parce malis meis, ignosce peccatis meis, indulge sceleribus meis. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Si enim iniqüitates recordaberis; quis sustinebit? Ad examen tuum, nec iustitia iusti sancta est. Quis est enim iustus, qui se audeat dicere sine peccato? Quis est, qui præsumat coram te de iustitia? Nullus enim hominum absque peccato, nullus mundus à delicto. Ecce inter Sanctos, nemo immaculatus. Ecce qui seruiunt Deo, non fuerunt stabiles, & in Angelis suis reperta prauitas est. Astra immunda sunt coram Deo. Cœli immundi sunt in conspectu suo; quanto magis ego abominabilis & putredo, filius hominis, & vermis, qui hausi quasi gurgites peccatum, & quasi aquas bibi iniqüitatem? Qui commoror in puluere, qui habito in domo lutea? Qui terrenum habeo fundamentum?

7 Memento quæso Domine, quæ sit substantia mea; memento Domine, quia terra sum; memento Domine, quia puluis, & cinis sum, operi manuum tuarum porrige dexteram. Consule infirmæ materiæ; succurre carnali fragilitati. Patent tibi vulnera mea, contum te est ægritudo mea. Tu vides, quantum

tum sauciatus sum, & languidus. Medicinam,
qua saner tribue, medelam qua curer, impen-
de. Refice infectum vitiis, reforma corru-
ptum peccatis, extingue me in flammā cōcu-
piscentiæ, iacula ignita diaboli vltra me non
penetrent, non exardescant in me vterius.
Tu enim scis tentationes, quas porto, tu scis
fluctus, quos patior, tu nosti tempestates, quas
tolero; vbi lapsus sum, vbi desluxus sum, vbi
infoelix demersus sum, tu scis. Incurri enim
negligens in ruinam; corrui incautus in tar-
pitudinis foueam; decidi in cœno flagitio-
rum, descendи in profundum malorum miser.
Ejice animam meam captiuam ab inferis,
erue me de immanissima abyssو, non me con-
cludat profundum, mihi non deneget exi-
tum. Ecce dies metuendus iam imminet,
iam dies vltima venit, instat limes vitæ, nihil
superest mihi nisi tumulus, nisi superest nisi
sepulchrum. Parce mihi priusquam eam
munda me priusquam ab hac vita egrediar;
solue priusquam moriar peccatorum meo-
rum vincula, qui es ante sæcula sæculorum
benedictus. Amen.

XIV. *Pro expellendo tædio, & acquirendo sensu spirituali de peccatis.*

Hec quanto tempore languet anima
mea, quanto stupore induratur cor
meum, quanto pondere obruitur anima mea.
Concute Domine, concute spiritum meum,
excita

excita cor meum, commoue mentem meam ad affectum secundūm necessitatem suam, ut sentiam tuę miserationis effectum secundūm potentiam tuam. Ecce ego, misericors Deus, coram te exhibeo animam meam neruis virtutum defolatam, in catenis vitiorum ligatam, pondere peccatorum aggrauatam, delictorum sordibus foetidam, discissam vulneribus dæmonum; putridam, & foetidam ulceribus criminum. His & aliis malis grauibus (quod melius me vides) obrutam, oppressam, obuolutam, bonorum omnium releuamine, ut cernis destitutam habeo animam. Timor me conturbat, conscientia me confundit, cogitationes increpant: fugere non licet, sisto suspensus ad gravissimam sententiam. Ecce miserum in angusto periculo, in periculis angustia.

2 En Domine locus pietatis, tempus misericordię, occasio caritatis exhibendae. In hoc namque periculo consisto incessanter. Cur nisi quia non super hoc cogito, & tunc miserior, & miserabilior, cum obliuiscor. Semper enim videt me Deus, & peccata mea. Semper minatur distracta iustitia eius, peccatrici animae meae; semper infernus apertus, & tormenta eius parata; semper inuisibiles insidatores parati, ut illuc rapiant miseram animam meam. Sic sum positus cum vigilo, sic sum cum dormio, sic cum rideo, sic cum iocor, sic cum superbio, sic cum detraho, sic cum irascor, sic cum vindico, sic cum delicias corporis

ris miserabiliter amplector; denique, sic sum semper, & vbiq[ue]. Accelera, pie Deus, precor, acceler a ntequām damner, antequām me rapiant tortores humani generis, antequām me absorbeat tartarus infernalis; prius quam me consumant tormenta gehennæ.

3 Sed ô vos peccata mea magna estis nimis, multa estis nimis, vt meritò negetur animæ meæ venia vestra. Ita est certè, confiteor, ita est. Sed quanto sors mea infelicior, quanto augustinior mea necessitas, tanto miseranter erit indultoris pietas, tanto maior apparet Redemptoris benignitas. Ecce coram te sunt Deus peccata mea, quæ territant, quæ sollicitant, quæ grauant miseram animam meam. O quies, ô beata pax, quā longè sum à te? sed quid ero miser? sine affectu, præsumo exprimere affectum Dei, quem sic grauant pondera carnis, quem affligunt dolores corruptionis, quem terret conscientia peccatorum, quem sordidant omnium contagia vitiorum. Dona mihi, Domine, compunctionem pietatis, lacrymas humilitatis, patriæ cœlestis desiderium, terreni exilij fastidium, poenitentia amaritudinem, æterni cruciatus timorem.

4 O fons misericordiæ, laua peccata mea; propina mihi vnde satietur fitis mea; infunde mihi vnde irrigetur ariditas mea. An pietatem amisisti, dum immortalitatem acquisiuiti? Ne despicias mortalem, qui factus es mortalis, vt faceres immortales. Do-

mine, si me despicias , quis me respiciet? si auertis faciem tuam à me, quis suam converteret ad me ? Misericors Deus, ne detesteris ad te reuertentem : Tu, namque , benignus, & misericors es , & præstabilis , super malitia. Ne exardescas in pœnitentem , ne differas exaudire miserum precantem, pius & misericors es ; propter temetipsum Redemptor, ne obliuiscaris quid es. Domine, si contines à peccatore auditum tuum, quia iustus es ; misero supplicanti, celeri pietate succurre, quia pius es. Benignus & clemens es, plus quam cogitare possum. Non igitur hæc sentiam, quæ præsumo, spiritualia impartire, cœlestia infunde. Ne expectes exaudire meam importunitatem, quia tu scis ad orandum diu, meam imbecillitatem ; velox enim sum ad deficiendum , sed esto tu velocior ad subueniendum. Certè si cor meum contritum fuerit, si viscera mea commota fuerint , si liquefacta fuerit anima mea , si riui diu fluant ab oculis meis , tunc spero , quia ades precibus meis.

5 Vult Domine, vult anima mea ad te erigere faciem suam, sed plumbeo pondere graduatur curuata. Cupit in te dirigere intuitum suum, & caliginosis tenebris obscuratur. Affe^ctus enim carnalis obruit in me saporem spiritualium, intentio inferiorum incuruavit animam meam ab intuitu superiorum. Amor terrestrium in me extinxit delectationem cœlestium ; v^{er}ius vitiorum euacauit in me sensus

sus verorum bonorum. Ab illis bonis sum elongatus, in his malis occupatus; seclusus ab illis, inclusus in istis. Ab illis deuolutus, in istis obuolutus. Peccata mea cui me seruasti? cui nisi districto iudici, & tormentis æternis, & vinculis sempiternis? Certè in iis ero obuolutus, si prius à vobis non ero solutus. Vtique propè est dies illa, propè inquam est, & incognita, subito venit, & forsitan hodie erit. O inaudita infania! Heu peccatum horrendum, res detestabilis, nulli malo comparabilis! Cæcus non videt foueam in quam cadit. Qui autem sponte peccat, videns, & sciens præcipitio se tradit. O homo, quò euanuit humanitas tua? Desideras, qui facit peccatum seruus est peccati, & ventanti mali seruus esse peccatum fecisti. Verè abyssus sunt peccata mea, quia incomprehensibilia sunt pondere, & profunditate, & inæstimabilia sunt numero, & numerositate.

6 O pie Deus, ecce peccata mea coram te non defendo, sed ostendo, non excuso, sed accuso; ego sum reus, ego ipse sum accusator meus. Non accuset me, qui fecit me, solus suffeci ad peccandum, solus sufficiam ad accusandum. Denique si iudex es ad iudicandum reum, es & Dominus ad tuendum seruum tuum, es creator ad seruandum opus tuum, es Deus ad saluandum credentem, & baptizatum tuum; Aut quomodo iudicabis peccatorem, vt contemnentem, qui se de-

peccatis miserum fatetur , & pœnitentem ? Aut quomodo damnabis ut aduersarium, qui se peccasse dolet, & redit ad te tam potentē, tamque pium ? A quo amissa vita recipitur, nisi à quo prius datur ? Quis suscitat, si Deus non suscitat ? Domine Deus meus in te pono spem meam , & committo orationem meam : super te iaceo curam meam, tibi commendō animam meam. Custodi eam cum dormio, serua eam dum vigilo, vide eam cum cogito, tum aliquid autem facio. Qui es benedictus in sœcula sœculorum. Amen.

XV. *Pro ſpe, ſive pro fiducia orandi
pro peccatis.*

Deus , cuius bonitas non exauritur, cuius misericordia non exinanitur, cuius scientia non deficit , cuius potestas, quod vult efficit ; vnde potero respirare, qui sic ob peccata mea cogor desperare ? Nam si irasperis peccantibus , soles tamen benigne Deus consilium dare pœnitentibus. - Doce me Deus,vnde debeam sperare, ut possim orare. Orare namque te volo , sed nescio propter ignorantiam meam, nec possum propter duritiam meam, & prohibeo sperare propter iniquitatem meam. Quæro qui oret pro me, & inuenio quidquid est contra me ; quæro qui miseri misereatur, & omne quod est, misero aduersatur. Nam ipse iustus Iudex,meus est accusator , quia ego sum manifestus eius peccator.

peccator. Omnes etiam spiritus boni & mali, coram Deo accusant me, cum eo: boni, quia diligunt æquitatem; mali, quia meam seruant iniquitatem: boni, quia testantur veritatem quam considerant; mali, quia quærunt impenitentiam meam, quam desiderant. Ipsi quoque iudicant in hoc meam nequitiam, quia sciunt me debere damnari secundum iustitiam.

2 Heu quot iudices, quot accusatores super vnum miserum? quam graues super imbecillem, quam districti super manifestum? heu quem habebit excusantem, qui Deum habet accusantem? Quis vel vnum intercessor erit eius, si omnes sunt accusatores, & Iudices eiusdem, & ego ipse, conscientia cogente sum accusator, & Iudex meus? Fateor enim me miserum delinquisse, & ideo granem damnationem meruisse. Ipsa irrationalia, & insensibilia, si non sum insensibilis, me confundunt. Inrelligo enim coram omni creatura me debere erubescere, quia in illum peccaui, quia tam potens est, ut posset, & tam bonus, ut vellet eam facere. Confundor, & a me ipso, quia & ego factus sum ab ipso. Veh vnde tot, & tanta mala ruunt, quæ sic miserum istum obruunt.

3 Peccata mea mala, de vobis in me fluunt hæc omnia mala. Vos attrahitis accusatores, vos remouetis excusatores, vos damnatorem adducitis, vos intercessorem excluditis, vos prouocatis vtorem, vos adducitis timorem,

& confusione, vos abscinditis spem, & consolationem, vos in æternum interitum impellitis, vos à me auxilium omne repellitis, & ut miseriū misero sit, quidquid mihi misero facitis, hæc insuper ad cumulandam miseriam adjicatis, ut cum verè res ita sit, sic mihi sit, quasi ita non sit. Sic enim veritas ostendit, & tamen affectum non sentit; sic ratio docet, & cor non dolet; sic video quia est, & nequeo liquefieri totus in lacrymas, quia sic est. Si enim hæc possem, forsitan sperarem, sperando orarem, orando impetrarem. Cum vero sensus, & dolor in me secundum ærumnas meas non sit, qualiter sperabo, quomodo sine spe orabo, quid sine oratione impetrabo?

4 Infoelix homuncio ad quid deuenit oratio tua? quò euauit spes, & fiducia tua? Inciperam orare cum fiducia temeritatis, & occurrit desperatio ex intellectu veritatis, & deficit oratio ex desperatione alicuius erga me pietatis. Si enim quidquid est, iustè contra me est, cuius pietas mecum est? Si enim quæ sunt recta, mihi sunt aduersa, cuius miseration ad me erit conuersa? si Creator & creatura merito me despicit, cuius aspectus me respicit? Miser peccator si sic est, nihil tibi remanet, nisi ab spe torpere, & ab oratione tacere, & sic semper in miseria tua facere.

5 Veh foecunditas malorum operum, veh mala agenti, bona negligentis. Utique, qui te sponte

sponte fecisti miserum, iuste necesse est semper te esse miserum. Utique misera delicta, non redditis vestra promissa; dum attrahitis, dulcia promittitis; cum pertrahitis, possessum vestrum amaritudine persuaditis; dum suadetis, vngitis, postquam persuaseritis, usque ad mortem animae pungitis; dum vocatis infoueam vestram, quasi facilem redditum, per poenitentiae dolorem, monstratis. Cum vero precipitatis, precipitatum obruitis; obrutum obcoecatis; obcoecatum obduratis; obdurato, omnem exitum obturatis; & sic miserum vestrum, deceptum, captiuum, ligatum; facitis desperare, tacere, & insensibilem perditum Dei iacere, donec illum vendatis mercatoribus inferni, qui merces suas comportant in lacum mortis. Hoc totum de me fecistis, haec omnia expertus sum, nisi quia nondum mercatoribus illis traditus sum, quod tamen, & ego expecto, miserè timendo, & illi prestatantur malignè gaudendo. Heu, quam malum est sic desperare, sic timere, sic iacere. Et heu, quam vanum est, sine spe clamare, sine spe conari.

6 O Iesu, bone Deus, cur de cœlo venisti, quid in mundū venisti, ad quid te morti tradidisti, nisi ut peccatores saluares? Qui de sinu Patris existi, nostros dolores portare, ne despicias miseri pauperis necessarios clamores. Enitimini viscera animæ meæ, enitimini, quantum potestis, si quid potestis omnia interiora mea. Exaudi Domine, adesto

224 *Meditatio S. Anselmi,*
piissime, adiuua potentissie, vt mundentur
fordes mentis meæ, & illuminentur tenebræ
meæ, & accendatur torpor meus. Tuo Deus
continuo amore langueat cor meum, lique-
fiat anima mea, deficiat caro mea. Utinam sic
viscera animæ meæ dulci fauore tuæ dile-
ctionis exardescant, vt viscera carnis meæ
exarescant. Utinam intima spiritus mei, dul-
cedine tui affectus impinguentur, vt medul-
læ corporis mei exiccentur.

6 Extrahe Domine, extrahe miserum de
multitudine iniquitatis, recognosce filium ex
dulcedine pietatis. Calore tuo mortuum
vivifica, à tacitu tuo peccatorem iustifica.
Agnosce filium mortuum per sanctæ Crucis
vexillum. Exterritus tuus à se desperans, à te
confortetur, & ad integrum, & inseparabilem
gratiam tuam per te reformatum. Concede
mihi Deus peccata mea dignè plangere, re-
missionemque coram te miserante recipere.
Amator hominum benignissime, tu potuisti
reos tuos usque ad mortem amare, poterisne
supplici misero tuam misericordiam dene-
gare. Domine, Domine, optatæ mihi indul-
gentiæ effectum tribue, & ad te toto corde
currere concede. Ab illusione diabolica po-
tenter defende, atque ab omni nequitia in-
nocuum redde. Da mihi in tua proficere di-
lectione, & in tua lœtari protectione. Vene-
retur te mens mea, amet te cor meum, dili-
gat, sicut sibi expedit anima mea, seruat tibi,
sicut debet caro mea, vt numine purificatus

diuis
soñ.

diuino, copiosè beneficiorum tuorum suble-
uatus auxilio, in hoc conseruetur vita mea, vt
in æternum pfallat tota substantia mea,
Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat.

XVI. *Proscientia orandi peccatorum veniam.*

IMONS indeficiens pietatis, hominūmque Redemptor Christe; Ecce sedet ad pietatis tuæ ianuam, clamans, & mendicans infoelix anima mea, adhibe aurem miserationis, & admitte clamorem meum ad te confugientis. Non est interuentor, qui tibi pro me suggerat, non est qui indigentia meæ necessitatem coram te proferat. Ipsa itaque pietas tua pro me suggerat apud te, & te exorablem reddat intra me. Si à te misera, & miserabilis anima mea auersa fuerit, si à te misericordiæ panem non acceperit, ad quem ibit? quem exorabit? fame consumpta, prorsus deficiet, quia de longè veniens, non habet, quid manducet. Quoniam etiam incidit in latrones, qui amore Dei, & cunctis eam virtutibus expoliantes, mortiferis eam telis viatorum conuulnerauerunt, relinquentes eam omnino extinctam. Continebis etiam viscera misericordiæ tuæ super animam, panem misericordiæ à te exquirentem, & tandem iam sustinentem? An mihi soli inexorabilis eris? an quia multum deliqui, ut misericordia mihi omnino denegetur, promerui? Certè pie-

tas, & misericordia non est necessaria, vbi non est miseria. Et quanto maior perurget indigentia, tanto prædicabilius misericordia.

2 Inquietaris, benigne Deus, importunitate mea; sed quid agam? si enim non clama uero, mors mihi est. Doce ergo, pie Deus, doce cor meum, quid orare, & quomodo, & quot, & quali efficacia debeat te exorare. Aspice miserationis respectu animam peccatricem, quæ conuerti, & reuerti concupiscit ad te suum creatorem. In limo vitiorum demersa conatur, & nititur exurgere, sed non habens vires, quibus se valeat erigere, deficit iam miserabili lassitudine. Iam diu laborando clamat, & sustinet te. Vbi itaque pietas, vbi bonitas, vbi miserationis tua est? Ne desperatione prorsus intereat, porrige manum pententi, erige, tene, & sustine. Iesu benigne admitte aberrantem ouem, quæ reuerti cupid, & plorat ut mereatur admitti. Excludes introire volentem, qui quæsitam humeris impositam reportasti? Exhibe miserationis opem, vbi tantam inspicis necessitatem. Ecce coram te iacet sauciata, & dilaniata anima mea. Infunde oleum miserationis, ut euadat periculum æternæ damnationis. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, &c.

*XVII. Pro doctrina cordis ad orandum
pro peccatis.*

1 **D**omine Iesu Christe, lux Angelorum,
vita beatorum, consolatio misero-
rum, inclina aures tuæ pietatis, & relaxa faci-
nora meæ iniquitatis. Accende amore tuo
tepentem, & redde feruentem. Adiuua ni-
tentem, admitte rogantem, exaudi orantem.
Inclamo, ingemisco intimo cordis affectu in-
conspectu tuo Domine; vide me, vide me no-
scendo, vide me miserando. Vides & scis ne-
cessitatem meam, vide, ut sciam pietatem
tuam. Sustine inquam me, quia necessitas
mea cogit me. Iesu pie, Iesu bone, virtus
animæ meæ, celitudo humilitatis meæ, re-
quies laboris mei; Attende ad me, & audi
me de profundo clamantem. Purifica quæso
corpus, & animam meam, à cunctorum con-
tagione criminum: peccatorum meorum de-
pone onera; virtutum floribus me decora, à
vanitate sæculi me conuerte, deprimentes
impietatis obligationes in me dissolue, in tri-
bulationibus, & angustiis me defende, & pro-
tege, & protende alas tuas, ut fugiam sub
eis.

2 Tu pie Deus gloria mea, tu scis imperi-
tiam meam, tu scis infirmitatem meam, tu
scis miseriam, & necessitatem meam. Sana
me Deus, aperi aures tuas ad preces meas,
pateat mihi ianua misericordiæ tuæ, doce me

misericordiam tuam, doce me quomodo veniam ad te. Instrue me autor vitæ meæ; Custodi fragilitatem meam, ac corroboramunda cor meum, tuique timoris, & amoris igne illustra, purifica corpus meum, & fac ex eo templum tibi idoneum. Et quidquid male egit iuuentus mea, dele pietate tua gratuita. Iesu pie, Iesu bone, spes mea dulcissima, à cunctis vitiorum sordibus me clementer expurga, virtutibus sacris adorua, nec sit clementia tua à me longinqua & miferatio, sed celeri mihi quæso pietate succurre, ut nullis à te iniquitatibus separatus tibi Domino Deo meo semper valeam adhærere; qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas, &c.

XVIII. *Pro custodia, & profectu quotidiano.*

⁷ **D**omine Iesu Christe, esto mihi adiutor, gubernator, & consolator in hac die, & in omnibus diebus vitæ meæ, intende ad omnes actus meos, ad verba mea, & cogitationes meas, ut totum diem istū pertransfā in tua voluntate. Dignare Domine die isto, sine peccato me custodire, & ab omni malo: & præsta, ut merear cogitare, & facere in omnibus operibus & factis, quod tibi sit acceptabile, & non in terrenis vanitatibus gloriari, & in laudibus hominum, sed in te sit mea laudatio, & gloriatio semper. Non mihi Deus,

Deus, non mihi, sed nomini tuo da gloriam.
Esto mihi Deus pius in omnibus auxiliator,
benignus protector. Visita quæso me miserum,
subueni mihi quæso in omnibus necessitatibus meis, omnibus diebus vitæ meæ.
Dona mihi Domine per misericordiam tuam,
timorem tuum, cordis compunctionem, mentis humilitatem, conscientię puritatem, ut terram despiciam, cœlum aspiciam, peccatum odiam, iustitiam diligam.

2 Aufer à me Deus sollicitudinem sacerdotalium, gulæ appetitum, concupiscentiam fornicationis, amorem pecuniaæ, pestem iniuidiæ, tristitiam saceruli, mentis accidiam, vanam lætitiam, tyrannidem, atque superbiam. Plantat in me Deus virtutes bonas, abstinentiam carnis, & castitatem mentis, humilitatem veram, & caritatem profectam. Custodi Domine os meum, ne loquar vana, ne fabuler secularia, ne detrahiam absentibus, nec maledicam præsentibus: sed è contrario benedicam te Domine in omni tempore, & semper laus tua sit in ore meo. Custodi aures meas ne audiant detractionem, vel mendacium, neque verba iocosa aut otiosa, sed aperiantur quotidie ad audiendum verbum tuum. Domine Deus custodi pedes meos, ne currant per domos otiosè, sed stent firmi in oratione. Custodi manus meas, ne porriganter ad capiendum munus, sed potius eleuentur cum precibus mundè, & pure, ut possim dicere, elevatio manuum mearum, sacrificium vesperinum.

vespertinum. Dirige in conspectu tuo vias
meas Domine, ut diebus, ac noctibus te me-
rear semper in mente habere. Qui viuis &
regnas, &c.

XIX. *Oratio quotidiana.*

Onipotens, & misericors Pater, Deus
bone, bone Domine, miserere mihi
peccatori; Da mihi veniam omnium pecca-
torum meorum; Da cauere, & vincere om-
nes insidias, & tentationes, & delectatio-
nes noxias, perfecta mente: actaque vita-
re, quod prohibes; facere, & seruare, quod
iubes; credere, & sperare, & amare, & viue-
re, quod, & quantum vis, & ubi vis, & ut vis:
Da compunctionem plenam humilitatis, &
pietatis, discretā abstinentiā, & carnis morti-
ficationē, ad te amandum, orandum, laudandum,
meditandum. Da omnem secundūm te actum
& cogitatum, puram, sobriam, deuotam, vera-
cem mentem, & efficacem mandatorum tuo-
rum notitiam, dilectionem, delectationem,
facilitatem, & effectum. Da semper Domine
ad meliora cum humilitate proficere, & nun-
quam deficere. Ne committas me Domine
humanæ ignorantiae, aut infirmitati, aut ma-
litiae, non meis meritis, nec alij, quam tuæ dis-
positioni: sed tu ipse clementer dispone
me, & omnes actus meos, & cogitationes
meas in beneplacito tuo, ut fiat à me, & in
me, & de me, tua semper solùm voluntas.

Libera

Libera me ab omni malo , & perduc me ad
vitam æternam. Amen.

XX. *Pro constantia, & confirmatione
bonorum.*

1 **D**omine Sancte Pater omnipotens, æ-
terne Deus , qui fragilitatem condi-
tionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione
confirmas ; tuæ misericordiæ gratias ref ero,
qui me exutum nocte perfidiæ , & erroris,
participem fieri tribuisti gratiæ tuæ. Perfice
quæso, Domine, cœptum in me opus miseri-
cordiæ tuæ, & dona mihi cogitare, loqui , &
agere , quæ placita sunt tibi. Adesto suppli-
cationibus in necessitatibus meis. Fac me
quæso, Domine, assueta mala toto corde re-
spuere , tuorūmque delectationibus manda-
torum me repleas , quatenus te adiuuante
diabolicas possim suasiones deuitare , & in
tuo sancto famulatu firmiter valeam perse-
uerare. Noui Domine peccata mea horribi-
lia. Da oculis meis veræ compunctionis la-
crymas , ut per singulos dies valeam peccata
mea plangere , quæ præ multitudine nume-
rari non possunt.

2 Benigne Domine, pie medice , adhibe
mihi misero curationes tuas, seca vulnus ani-
mæ meæ, aufer putredinem peccatorum meo-
ruin. Considera Deus infirmitatem fragili-
tatis meæ, & ostende super me magnitudinē
pietatis tuæ. Abstergat tua benigna clemen-
tia

tia, omnia peccata mea, quæ mihi ex originali contagione inhæserunt, & meis prauitatis postea succreuerunt. Munda me vas tuum, & sanctifica; euacula malignitate; reple tua gratia, & benignitate. Infere Domine, infere pectori meo veram benignitatis tuæ dilectionem, ut nunquam te obliuiscar, sed meorum omni tempore peccatorum reminiscar. Licet enim in peccatis miserabilis inuoluas, tu Domine qui pius, & misericors es, & præstabilis super malitia, qui omnia potes, si vis, potes me mundare. Cor ergo meum, miserationis misericordia, igne veræ poenitentiarum succende, ut semper ante oculos meos habeam diem Iudicij, & delitias Paradisi, quas Sanctis tuis præparasti, atque sic hanc caducam vitam, me in tua voluntate fac producere, ut pœnas inferni valeam evadere, & æternæ beatitudinis præmia, te largiente sine fine merear possidere.

3. Dona mihi Domine Deus iugem delictorum meorum memoriam, ut tu eorum in perpetuum obliuiscaris. Doce me recordari semper magnitudinem beneficiorum tuarum, & studium quod nunc usque peccator, peccando, exercui, in tua me fac voluntate, deinceps exercere, ut tibi vel nunc famulari deuotè incipiam, & in tua fœlici seruitute, te opitulante, felix constanter perseverare praualeam. Exarcebas quidem te Domine per multa mala opera, quæ ab infantia mea usque nunc perpetrare confueui, & adhuc non cessio. Sed tu misericors

misericors Deus, præsta mihi desiderabilem fontem lacrymarum, ut flebili confessione, & bonorum exhibitione, fructuosam, & tibi placitam dignè possim agere pœnitentiam.

4 Memento mei Domine, & omnem malam consuetudinem remoue à me, fac ut mala mea odiam, fac ut bona tua diligam. Abieci enim Domine suaue iugum tuum, & duras ac ferreas peccatorum catenas cervicibus meis imposui. Abieci onus leue, & molam asinariam collo meo miserandus suspendi. Larga ergo clementia, iustifica me: solita pietate tua, cor meum lapideum mollifica: Sancti Spiritus illustratione me erudi, ut tibi rectè seruientium particeps esse merear. Solue iam Domine, solue nexus peccatorum meorum, porrige manum tuam, ut prostratum erigas, & ad supernam fœlicitatem quandoq; peruenire concedas. Concede mihi Domine voluntatem rectè viuendi, possibilitatem, bonum exemplum aliis demonstrandi, ut omnes inæstimabilem clementiæ tuæ miserationem in me agnoscentes, meam conuersationem, & deuotionem videntes, magnificent nomen tuum, te glorificant.

5 Reminiscere misericors Deus miseriæ meæ, & innumerabilis clementiæ tuæ, & præsta, ut in memoria semper habeam iniquitates meas, quibus sæpissimè te exacerbaui, & ad iracundiam multipliciter prouocaui. Tu autem ad pœnitentiam misericorditer me expectasti. Vnde te laudo, tibi gratias ago: me, totamque

totamque vitam meam, in tuam deinceps custodiam committo. Sic in me à modo, quod tibi placitum sit operare, & me ipsum acceptum tibi sacrificium digneris acceptare.

6 Amator hominum benignissime, fac hanc supplici seruo tuo misericordiam, ne nomen Christianitatis inaniter teneam, sed digna huic nomini opera, tuo iuuamine agere valeam, illius tenendo donum charismatis, quod mihi in fonte concessisti baptismatis. Tua ergo pietate omnes sensus meos sanctissimi tui amoris igne succende, ut in tuo conspectu cor habeam contritum & humiliatum, quod tibi acceptum probatumque esse valeat sacrificium. Ostende Domine super me miserrimè miserum, largam clementiæ tux bonitatem. Dona mihi ex abundantia tux benignitatis, tibi placentes profundere poenitentia lacrymas, ut quod nequiter adimisi, amarissimè valeam deflere. Ne moreris propter temetipsum, te deprecor Domine: excute peccatorum meorum de collo meo immensa pondera. Excute iugum deceptionis diabolicæ, ut tibi subiectus, tuoque iugo subditus, mandata tua valeam adimplere, & usque in finem in bonis operibus te cooperante, te inspirante, te protegente perieuerare.

7 Erue Domine animam meam de luto fæcis, defende cor meum ab omnibus inimici insidiis, & extingue in me omne incendium libidinis. Da veram humilitatem, & tranquillitatem

quillitatem patientiae mihi indigno famulo tuo. Succende mentem meam stimulis charitatis, ut odio habeam viam iniquitatis. Dona mihi fidem rectam, & spem certam, charitatem perfectam, cæterasque virtutes, per quas intelligam te timere, te amare: Ut habeam in consolatione iustitiam, in moribus disciplinam; Dirige me in viam pacis, & iustitiae; scribe nomen meum in libro vitae, ne incidam in secundam mortem. Exime me gehennæ flammis, & inferni laqueis: Conserua me Deus Pater clementissime, inter fluctus huius vitae, & ab omni eius discriminatione. Et concede mihi misero, omnium vitiorum fordibus inuoluto, ut talem me dies examinationis inueniat, qualem me fons regenerationis exhibuit. Exaudi me Domine, adiuua me, trahe me post te. Qui viuis & regnas, &c.

X X I. *Contra antiqui hostis insidias.*

PECCAUI Domine, peccavi nimis, peccavi super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ, quoniam irritauit iram tuam & malum coram te feci. Quid dicam, aut quid faciam, qui in tenebris sum, & lumen cœli non video? Umbra mortis comprehendit me; tenebrae cooperuerunt me; Caligo inferni inuoluit me; antiquus hostis, seduxit

seduxit me ; sagittis suis vulnerauit me ; vestimentis candidis exuit me, nigris & deformibus induit me. Propterea clementissime, ne contemnas me , sed memor sis quæso fragilitatis meæ humanæ, ne desperans fugiam, sed expectem consolationem tuam , quam tunc mihi euenire probabo, si ea quæ sunt in me incendia criminum , diuersarumque iniquitatum, paulatim tua virtute in corde meo & corpore extingui sensero. Te benigne Domine, te requito, ad te configio, & ut me per omnia adiuues suppliciter peto.

2 Parce mihi Domine,parce mihi , exaudi me miserum, consolare marentem, recollige errantem, refoue suspirantem,fana, quæ conspicis vulnera per tua medicamina , tollensq; à me sordida,nitida, & splendida porrige vestimenta. Esto mihi Domine turris fortitudinis contra diabolum , murus inexpugnabilis, brachium defensionis : illum contra me sequientem tu reprime , & ne me viribus imbecillem confodiat,tu inuincibilis præliator expugna : sic comminue robur eius,vt me nulla virtute subnixum decipiatur , sed tua semper virtute superatus discedat. Nec iam ultra in me Domine regnet iniquitas, sed pietatis tuę copia me viuificet, mundet, & muniat,& per semitas Iustitiæ deducendo , ad bonum perseverantiæ finem prouehat.

3 Obsecro te Domine,vt super me perueniat consilium tuum , & subsequatur me auxilium tuum , ad regendum me ipsum. Obsecro

secro Domine, ut caritate sancta tua enutrias me; ut spiritu sancto illumines me; ut secundum voluntatem tuam doceas me; ut a morte perpetua eruas me; ut imbrem fructiferum compunctionis cordi meo tenebroso infundas, perennem pietatis tuae dulcedinem me sentire facias. Esto quæso propitius mihi peccatori, nec despicias me opus manuum tuarum, propter nomen tuum; ne me obsecro perire patiaris; sed salua, & adiuua me gratuito munere tuo, quem dignatus es redimere pretioso sanguine tuo. Depelle a me Domine quæso, tenebras totius iniquitatis, & perfidiae, & accende in me lumen tuae misericordiae, & ignem sanctissimi, & suauissimi amoris tui; dona mihi quamdiu subsisto in hoc fragili corpore, segregari a vitiis, & militare tibi. O Domine benignissime, eripe me de hac conualle plorationis, & miseriae. O Rex clementissime, noli me derelinquere, dum venerit mea mortis hora terribilis. Concede mihi misero, deflere actus negligentiæ meæ cum humilitate cordis, & caritate. Misericors Domine, te humiliter rogo, ut facturam tuam non despicias, nec me tribulari permittas.

4 Rex pietatis, mitte promissam Patris in cor meum, Spiritum veritatis: & repelle de corde meo superbiam, discordiam, inobedientiam, vanam gloriam, & omnia vitia atque machinamenta diaboli. Ne me quæso derelinquas orphanum, ne me quæso perire patiaris;

patiaris: ne quæso in perpetuum mihi ira, scaris, sed gratiam tuam mihi semper consolatricem tribuas, & veniam peccatorum concedas. Libera me de carnalibus corporis mei desideriis, & de omnibus huius sæculi vanitatibus eripe me, quatenus te misericordia, & eternorum flamas tormentorum valeam evadere, atque perpetuam benedictionem per merita omnium Sanctorum, & omnium cœlestium virtutum accipere merear, qui vivis, & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

X X I I. *Pro illuminatione intellectus.*

Domine Deus noster, qui ut oremus hortaris, & quod rogaris praestas; siquidem cum te rogamus, melius vivimus, meliorésque sumus, exaudi me palpitantem in his tenebris, & mihi dexteram porrige salutarem, & prætende mihi lumen tuum, reuoca me ab erroribus, redi in me, redeam & in te. Quamuis enim Domine huius noctis tetra caligine densisque tenebris deprimar, tamen te qui es lumen verum illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, adoro, & complector. Te totis visceribus concupisco, deprecans maiestatem tuam, ut illumines animam meam, illustres mentem meam, aëtus meos dirigas, sensus, & operationes, quatenus auctor tenebrarum nihil in me mali reperiatur; sed veræ lucis fulgore percussus, à me procul discedat,

discedat, vt per lucis incommutabilis semi-
tam nunc ineedens, ad auctorem lucis, spon-
sum virginitatis, amicum luminis, in futuro
perueniam, foeliciter coronandus cum omni-
bus Sanctis, adiutus gratia Dei, qui viuit &
regnat in saecula saeculorum. Amen.

XXIII. Confessio peccatorum.

Ante maiestatem tuam tremens astans, Domine,
Deus pie, immundus reus, oneratus crimen,
Flectere te pium nitor, supplici precamine
Præsentes culpas confiteor coram te piissime.
Sed vilis, heu caro peccat in pollutionibus,
Gula cibis, manus tactu, pedes malis gressibus,
Auditu, aures luminaque stultis in aspectibus,
Lingua quoq; maledictis, falsisque sermonibus.
Actus item corporales peccant multipliciter.

Resiant abhuc farta, fraudes, cōsensus, periuria,
Vani risus, odiumque, falsa testimonia.
Et quod miserum occidit os, saepe mendacia.
Sed & plura, quæ ignorat humana scientia.
Hi peccatis prægrauatus oro tuam clementiam,
Non me Deus iuxta meam iudices stultitiam,
Sed expellens à me totam penitus nequitiam,
Confitenti largiaris mibi dulcis veniam.
Rex qui sine fine vñis, non habens initium,
Ausfer omni supplicanti mibi malis vitium,
Ne cum extremæ diei venerit iudicium,
Stans coram te, audiam, ut eam in supplicium.
Esto mibi Dchs meus peccanti propitius:

Crimina,

240 *Meditatio S. Anselmi,*
Crimina, quæ perpetraui sciens, siue nesciens,
Indulgere, cunctis clemens, & propitius.
Quod si negas, pius Pater, quis ignoscet amplius?
Noli in furore tuo me Deus arguere, us.
Hoc misella caro mea cogit me delinquere,
Ne potenti me vindicta digneris opprimere:
Sed labente forti dextera quam potenter erige.
Cognitum iam tibi feci non abscondens viliū,
Tu solus in omni loco es mihi refugium,
Si me spernis nullus quibit afferre præsidium,
Ut mei miserearis, nunc est necessarium.
Non est salus usquam Deus si mihi irasceris,
Miserere mei, quæso, neque iam tardaueris,
Nam tibi soli peccavi, tu solus offenderis,
In iudicium cum seruo tuo non intraueris,
Delictaque iuuentutis meæ ne memineris.
Pie Rex si obserualur penitus iniquitas,
Cuius unquam sustinere te quibit fragilitas?
In te spero, non confundar, in me tua iustitia
Corrigat, quod meæ carnis admisit nequitia.
Bone Christe, qui mortale per iisti seculum,
Crucisque non designatus es ferre patibulum,
Ut redimeres per mortem, pereuntem populum,
Exaudire me dignare de peccatis querulum.
Scio tanto peccatorum me grauari pondere,
Ut si dignum munus factis mibi velis reddere,
Pœnas omnes infernales dignus sim incurvare;
Sed tu pius, ultionem non gaudes suscipere.
Cur perire sic permitis in mea miseria,
Cum factus in tua forma te credam fideliter,
Alios nec colam Deos, sed te specialiter;
Nunquam te negavi. Precor te dulciter?

Me quidem composuisti ex fragili materia,
 Quapropter à me non possum remouere vitia.
 Demum precor, ut tranfire, super temporalia
 Facias, ut bona nunquam auertam perennia.
 Dæmonis à me repelle tutor fortis iaculum:
 Contra cuncta fias mihi fortius obstaculum,
 Ut merear tibi dignum esse habitaculum.
 Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum.
 Amen.

XXIV. Contra tentationes carnis.

Præsta mihi pie Christe, citò resipiscere,
 Ut conuersus ab errore ad viam Iustitiae
 Dignos fructus de peccatis agam pœnitentie,
 Ad te clamo genu flexo, & ad te configio,
 Te patronum mihi quero in omni periculo.
 Tuo pio obtentu Pater labefactum subleua
 Immensorum quem opprescit delictoru sarcina;
 Adiuna me, quem corrumpunt carnis desideria,
 Quem frequenter luculenta polluit luxuria.
 Errauis ac sic tua sancta oscular vestigia,
 Atque tibi de profundis effundo suspiria,
 Ut tuæ benigitatis adsit mihi gratia,
 Quem deprauant uniuersa delictorum genera.
 Furor urget, pungit ira, inflat arrogancia,
 Atque vitæ temporalis decepit latitia.
 O infelix, quem circumstant hæc, & his similia:
 Quæ impellunt, & oblebat tot culparu agmina.
 Quid intendas, aut quid dicas, aut ubi configias,
 Nullum certe, nullum maius reperi consilium,
 Quam sub rium Iesu bone fugiam præsidium.

Audi quæso te vocantem, & clamantem respice,
 Et ad tuam voluntatem gressus meos dirige.
 Audi clamorem, & clamantem peccatorum adiuua;
 Porrigito desperanti, vita medicamina,
 In te mibi est collata salutis fiducia.
 Si tue benignitatis aspiret iustitia,
 Praesto erit, non diffido medicinae gratia,
 Praesta mibi, te iuuante culpas erubescere,
 Ad missorum pœnitere, errata corrigere;
 Curam curonis posthabere, spiritum resicere,
 Fac me carnem macerare aduersantem animæ,
 Quæ cum debet ancillare, usurpar ius dominæ,
 Dominamque vice versa non cessat affligere.
 Tanta ergo pie Christe, compesce litigia
 Famuletur iam ancilla, imperatque Domina.
 Iam pro culpis pœnas pendat Babilonis filia:
 Veracitatemque gulæ sedet abstinentia,
 Sapientur furor, ira, timor, arrogantia,
 Odiumque, atque rixa, rancor, & inuidia:
 Horum pulsa, omniumque criminum spurcitas,
 Dedicetur cordis ara Deo placentissima,
 Vbi semper immoletur salutaris hostia;
 Atque carne superata, triumphatrix anima.
 Deo soluat grata laudis sacrificia. Amen.

XXV. Humilis agnitus imbecillitatis
humana.

Deus piissime, Deus clemens, & misericors, propitiare peccatis nostris, & praesta, ut peccata, quæ vel ab auctore mortis instigati, vel propria voluntate commisimus,

non

non ad iudicium nostrum discutienda referuas, sed concessa gratia de sola tua venia gratuolemur. Quia si ante oculos tuos culpas, quas fecimus, & plagas, quas excipimus, conferamus, illud est quod patimur, maliis quod meremur. Peccati namque poenam sentimus, & peccati pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis fragilitas nostra frangitur, & iniq[ue]itas non mutatur. Mens ægra torquetur, & ceruix dura non flectitur. Vita in dolore suspirat, & in opere non emendat. Si expectas, non corrigimur; & si vindicas, non duramus. Confitemur in correctione quod fecimus. Si in pressuris, mala non facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non facimus: si ferias, clamamus, ut parcas; si parcis prouocamus, ut ferias; si ad ostium venias, tempus pœnitendi petimus; si misericordiam respexeris, abutimur patientia, quæ pepertit. Adhuc plaga illata vix præterit; iam non recognitat mens ingrata quod pertulit. Si citius nos exaudias ex misericordia insolescimus, si tardius ex impatientia murmuramus. Te volumus seruare quod feceris, & nos non aduertimus seruare quod iusseris. Habes ergo Domine confitentes reos, parce quia pius es. Nouimus enim, nisi nobis remittas, quam recte nos punias: sed apud te multa est miseratio, & propitiatio superabundans. Da igitur Pater mitissime, Pater misericordissime, ut ea quæ commisimus desleamus, ac per totius diei, & noctis spæcia, ab



ALLOQVIA COELESTIA,
SIVE FACVLÆ PIORVM
affectionum erga Deum, Chri-
stum Dominum, Deiparam,
& cœlites complures.

I. *Ad Deum Patrem pro venia, &
virtutibus obtainendis.*

M N I P O T E N S Deus, & misericors Pater, & bone Domine, miserere mihi peccatori. Da mihi veniam peccatorum meorum; cauerre & vincere omnes infidias & tentationes & delectationes noxias, & perfectè mente & actu vitare quæ prohibes, facere & seruare quæ iubes, credere, sperare, amare, velle quid & quantum & ut scis & vis. Compunctionem hamilitatis & pietatis, discretam abstinentiam, & carnis mortificationem ad te a mandum, orandum, laudandum, meditandum, ad omnem secundum te actum & cogitatum, puram, sobriam & deuotam mentem: veracem & efficacem mandatorum tuorum notitiam, dilectionem, delectationem,

nem, & effectum. Semper Domine ad meliora cum humilitate proficere, & nunquam deficere.

2 Ne committas me Domine voluntati meæ, nec humanæ ignorantiaæ, aut infirmitati, neque meis meritis, nec alij quam tuæ piaæ dispositioni. Sed tu ipse clementer dispone me, & omnes cogitatus, & actus, & sermones meos in beneplacito tuo, ut fiat à me, & in me, & de me, tua semper sola voluntas. Libera me ab omni malo, & perduc me in vitam æternam. Amen.

II. *Ad Deum pro vitiis refecandis, & virtutibus obtinendis.*

1 **D**omine Deus meus, da cordi meo te desiderando querere, querendo inuenire, inueniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare: da Domine Deus cordi meo poenitentiaæ compunctionem, spiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem, manibus eleemosynæ largitatem. Rex meus extingue in me desideria carnis, & accende vim tui amoris. Redemptor meus expelle à me spiritum superbiæ, & concede mihi propitius spiritum humilitatis tuæ. Saluator meus amoue à me furorem iræ, & indulge mihi sensum patientiæ. Creator meus, euelle à me animi rancorem, & largire mihi mentis dulcedinem. Da Pater clementissime solidam

2 Rector meus auerte à me animi vanita-
tem , mentis inconstantiam , cordis vagatio-
nem,oris scurrilitatem, oculorum elationem,
ventris ingluuiem , opprobria proximorum,
scelera detractionū, curiositatis pruriginem,
diuitiarum cupiditatem , potentatum rapi-
nam,inanis gloriæ appetitum,hypocrisiā ma-
lum,adulationis venenum,contemptum ino-
pum, oppressionem debilium, avaritiæ ardo-
rem , inuidiæ rubiginem , blasphemia morte-
tem. Reseca in me temeritatem meorum fa-
ctorum , iniquam pertinaciam , inquietudi-
nem , otiositatem, somnolentiam, pigritiam,
mentis hebetudinem, cordis cæcitatem, sen-
sus obstinationem, morum truculentiam,bo-
ni inobedientiam , consilij repugnationem,
linguæ effrenationem , pauperum prædam,
impotentum violentiam,innocentum calum-
niā,subditorum negligentiam, circa subdi-
tos seueritatem , aduersus domesticos impie-
tatem,erga proximos duritiam.

3 Deus meus,misericordia mea,oro te per
dilectum filium tuum, da mihi opera miseri-
cordiæ,pietatis studia, compati afflictis, sub-
uenire egenis, succurrere miseris , consulere
erroneis , consolari mœstos, releuare oppres-
sos , pauperes recreare, flebiles refouere,dia-
mittere debtoribus , parcere in me peccan-
tibus , odientes me diligere, pro malis bona
reddere , neminem despacere , sed honorare,
bonos

bonos iimitari, malos cœuere, virtutes amplecti, vitia reiicere, in aduersis patientiam, in prosperis continentiam, custodiam oris, & ostium circumstantiæ labiis meis, terrena calcare, cœlestia sitire.

4 Ecce plasmator meus, multa rogaui, cùm nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, non solum quæ postulo non debentur bona, sed multa mihi debentur & exquisita supplicia. Animant me publicani, meretrices & latrones, qui à faucibus hostis momentaneè eruti, sinu recipiuntur pastoris. Tu enim omnium factor Deus, licet in cunctis tuis sis mirabilis operibus, mirabilior tamen in visceribus crederis pietatis. Vnde tumet per quendam tuum dixisti: *Miserationes eius super omnia opera eius*, & quasi de singulo loquens, de vniuerso populo tuo dixisti confidenter: *Misericordiam meam non dispergam ab eo*. Nullum enim spernis, nullum abiicis, nullum perhorrescis, nisi qui te forte amens exhorruit: ergo non modò non iratus percutis, sed te irritantibus dona, si quæsierint, tribuis, *Deus meus, cornu salutis meæ, & susceptor meus*. Ego infelix te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui, peccavi & passus es, deliqui adhuc sustines. Si pœnitet, parcis: si rœuertor, suscipis, insuper dum differo præstolaris. Reuocas errantem, inuitas repugnantem, excitas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mœrentem mulces, à ruina suscitas, post

5 Ecce Domine Deus salutis meæ, quid op-
ponam nescio, quid respondeam ignoro: nul-
lum confugium, nullum à te patet latibulum.
Ostendisti bene viuendi viā, dedisti gradiendi
scientiam, minatus es mihi gehennam, & pol-
licitus es paradisi gloriam. Nunc Pater miser-
ricordiarum & totius consolationis, confige timore
tuo carnes meas: quatenus quæ minaris me-
tuendo euadam, & redde mihi propitius læti-
tiam salutaris tui, ut quæ spondes diligendo
participem. Fortitudo mea Domine, firmamen-
tum meum Deus, & refugium meum, & liberator
meus, suggerie quid de te cogitem, doce qui-
bus sermonibus inuocem, de quibus operibus
te placem. Scio namque, scio vnum quo
placaris, & aliud quod non spernis. Est vtique
spiritus contribulatus tibi sacrificium, & accep-
tas cor contritum & humiliatum. His me Deus
meus, adiutor meus dita munieribus. His con-
tra inimicum muni protectionibus, hoc de
flaminis vitiorum præsta refugium, hoc à de-
sideriorum passionibus pande pius refugium.
Fac Domine *virtus salutis meæ*, ne sim in eo-
rum ordine qui credunt prospero tempore, &
recedunt temptationis tempore. Obumbras
capit meum in die belli, esto spes mea in die
afflictionis meæ, & salus in tempore tribula-
tionis meæ.

6 Ecce Deus illuminatio mea, & salus mea,
rogavi quibus egeo, intimaui quæ timeo, sed
remordet

remordet me conscientia , reprehendunt me cordis secreta, & quod amor ministrat, timor dissipat , zelus incitat , metus increpat aetæ vitæ fortitudinem : sed tua ingerit pietas fiduciam. Tua hortatur benignitas, mea dehortatur malignitas, & ut verius fatesar, occurruunt memorie plantamata peccatorum , quæ reuerberant aciem , vel audaciam præsumptionis animorum. Cum enim odio quis dignus sit , qua fronte gratiam requirit ? Cum poena debetur , qua temeritate gloria poscitur ? Lacessit iudicem , qui postposita satisfactione delicti , præmiis quærerit honorari. Regi insultat obnoxius supplicio , qui flagitat donari indebito præmio. Et dilecti patris affectum stultus exacerbat filius , qui post illatas contumelias ante poenitutinem hæreditatis usurpat celsitudinem. Quid mi Pater me egisse recolo ? merui mortem, & peto vitam ; commouit regem meum , cuius impudens nunc inuoco auxilium ; contempti iudicium iudicis , quem temere postulo adiutorem ; insolens renui audire patrem , quem demum præsumo habere tutorem.

7 Heu mihi quam serò venio , heu , heu quam tardè festino , heu quia curro post vulnera , deditatus incolumis præcavere iacula , neglexi prospicere tela , modò solicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflisis , quia scelerata sceleribus addere non timui , recenti tabe cicatrices respersi : quia prisca flagitia modernis inquisitionibus reciprocaui , &

quæ diuina solidauerat gratia , vel medicina,
mea dissoluit prurigo phrenetica. Cutis quæ
superducta vulneribus morbum celauerat, sa-
nie erumpente putruit , quia iterata iniquitas
concessam misericordiam exinanivit. Noui
quippe scriptum : *In quacunque die iustus pec-
cauerit, omnes iustitiae eius in obliuione erunt.* Si
iustitia aboletur iusti ruentis , quanto magis
peccatoris in idipsum ruentis ? Quoties vt
canis redij ad vomitum , & vt sus petij volu-
tabrum ? Fateri mihi itaque & recordari im-
possibile est , quot mortalium homines pec-
care ignorantes docui, nolentibus delinquere
persuasi, resistentes coëgi, volentibus consen-
si, quot sanè gradientes in laqueum duxi, viam
quærentibus foueam retexi, mala patrare non
horrii, donorum Dei obliuisci non metui. Sed
tu iuste iudex signasti quasi in sacculo pecu-
niā, peccata mea , & obseruasti omnes semitas
meas, & cunctos gressus meos dinumerasti. Tacui-
sti semper, siluisti, patiens faisti. Vx mihi, de-
mum loqueris quasi parturiens.

8 Deus deorum Domine, præstabilis super-
nequitiam, noui quia manifestus venies , noui
quia non semper filebis , cùm in conspectu
tuo ignis exardescet , & in circuitu tuo tem-
pestas ingruerit valida, cùm aduocaueris cœ-
lum desursum, & terram discernere populum
tuum. Ecce tot millibus populorum. nuda-
buntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus
patebunt scelera mea ; non solum actuum,
sed etiam cogitationum simul dum loquutio-
num..

num. Tot iudicibus inops atque quot me
præcesserunt in bono opere. Tot arguenti-
bus confundar, quot mihi præbuerunt sancta
viuendi exempla. Tot vincar testibus, quot
me mouerunt proficuis sermonibus, sa-
pèque imitandos iustis mihi dederunt actioni-
bus. Domine mi Deus, non suppetit quod
dicam, non occurrit quod respondeam,
& ecce iam illi intersum discriminé, vrget
me conscientia, cruciant cordis arcana, coar-
ctat auaritia, accusat superbia, consumit
inuidia, inflamat concupiscentia, incestat
luxuria, dehonestat gula, confutat ebrie-
tas, detractio lacerat, ambitio supplantat, ra-
pacitas obiurgat, discordia dissipat, ira per-
turbat, leuitas deicit, corpor opprimit, hypo-
crisis fallit, adulatio fraudebat, fauor extollit, ca-
lumnia pungit.

¶ Ecce liberator meus de gentibus ira-
cundis. Ecce cum quibus vixi a die nativitatis
meæ, quibus studij, quibus fidem seruauis
ipsa me studia, quæ dilexeram, dampnare, quæ
laudaueram, vituperant. Hi sunt quibus ac-
quieui, amici; quibus parui, magistri; quibus
seruui, domini, consules, quibus credidi; ci-
ues, quibus cohabitauis, domestici, quibus con-
senui. Heu mihi rex & Deus meus: quia incolatus
meus prolongatus est. Væ mihi illuminatio
mea: quia habitasi cum habitantibus cedar. Et
cum sanctus dixerit multum, quanto magis
ego infelix dicere possum; nimis incola fuit
anima mea? Firmamentum meum, non insuffia-

252 *Meditatio S. Anselmi,*
bitur in conspectu tuo omnis viuens. Spes mea,
non est in filiis hominum, quem si remota
pietate iudicaueris, iustum inuenias, & nisi
præueneris miserando impium, non erit quem
glorifices pium. Credo namque *salus mea*,
quod audui, quomodo benignitas tua ad pœ-
nitentiam me adducit, *turris fortitudinis*, so-
nuerunt necessaria mihi labia tua. *Nemo po-*
test venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit
um.

10 Enim uero quia instruxisti me, tantaque
propitius institutione formasti, totis medullis
cordis, toto annisu mentis te omnipotens Pa-
ter cum dulcissimo puer, tique dulcissima
proles cum serenissimo inuoco paracleto.
Trahe me, quatenus post te currere in odorem
unguentorum tuorum delecter. Quam magna
Domine Deus meus multitudo dulcedinis tuae,
quam abscondisti timentibus te! Abscondisti,
quia conseruasti, non quia abscondisti. Abstu-
listi, cum ea magis multiplicasti. Solet ali-
quando quod absconditur diligenter inue-
stigari, & inuentum arctius amari; dilata in te
non minuantur, sed magis crescunt desideria;
non est ergo tuus amor transitorius, sed æter-
nus. Qui te diligunt non temescunt, sed fer-
uescant. Non est tuus amor otiosus, memo-
ria tua super mel dulcis, meditatio de te plus
quam cibus suavis. De te loqui plena est
refectio, te nosse perfecta consolatio.

11 Tibi adhaerere vita æterna, à te sepatari
mors perpetua. Fons viuus his qui te sitiunt,
esca

esca indeficiens qui te esuriunt. Gloria te quærentibus , gaudium inuenientibus : odor tuus suscitat mortuos , respectus curat ægrotos: lux tua omnem fugat caliginem, visitatio tua cunctam repellit tristitiam. Nullus apud te moeror, procul à te omnis dolor, nulla tecum mœstitia, nulla indigentia , nulla ubi es necessitas, nullius boni est difficultas , nunquam ibi tenebræ , nec terror nominatur gehennæ , nullius noctis tetra cæcitas , nec tumultus improbitas , nunquam famis, sitisque inopia , frigoris nec æstus circa te moratur penuria, non inualetudo corporis , prorsus nec corruptio mentis , non zelus, neque contentio, nec omnino ambitio, illinc abest sollicitudo finis & cura mortis : labor senectutis, languor ægritudinis , ibi nescitur passio aëris & varietas temporis. Hæc est enim magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te , sed perfecisti sperantibus in te.

12 O quam bona absconsio, quæ efficitur perfectio : non enim hæc absconsio æstimatur perditio , sed magis conseruatio quæ fit perfectio. O gloriose rex, quam vera sunt tua iudicia iustificata in semetipsa, verè desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum utique , & dulciora super mel & fauum. O vita mea, Deus meus, rogo te per nomen redemptoris mei dilecti Filij tui , largire propitius, ut custodiā ea. Cognoui namque quia in custodiendis illis retributio multa. Gloria mea, Deus

Deus meus, abscondis thesaurum tuum, vt in-
cites cupidum, recondis margaritam, vt au-
geas querentis amorem, differs dare, vt do-
ceas petere, dissimulas audire petentem, vt fa-
cias perseverantem. Postremò incipientibus
querere promittis, vt non nisi vere perseuer-
rantibus salutem tribuas, quod planè indicat
illa flebilis, quæ tuum in sepulchro natum
Christum inter mortuos querebat viuum,
durantibus adhuc tenebris, quam accenderas,
vt quereret, sed querenti dispares, vt per-
seueraret: perseverauit sperans: sperauit
perseuerans: & quia in spe perseverauit, vi-
dere te meruit. Beata visio, & plena exulta-
tio.

O summum gaudium, & consummatum
desiderium, desiderabilis vultus, iocundus
aspectus! O spes & felix perseverantia! nisi
enim speraret, non perseveraret; & nisi per-
seueraret, spei fructum non perciperet. Sic
enim Deus meus, misericordia mea, abscon-
deris timentibus te, vt inueniaris sperantibus
in te; sic elongaris querentibus, vt appropin-
ques perseverantibus: *Qui elongant se à te,*
peribunt; qui autem expectant te non confun-
dentur. Qui timent te, sperent in te, quantum pro-
tector & adiutor eorum es. Per timorem veni-
tur ad amorem. Timendus es vt Dominus,
amandus vt pater. *Timor tuus sanctus permanet:*
quia sanctos permanere facit, quos possidet.
Nihil deest timentibus te: quia oculi tui super
eos, & aures tue in preces eorum. Misericordia
mea,

mea, & refugium meum; susceptor meus, & liberator meus, sic timorem adhibe mihi, vt amo rem subinferas; sic irroga metum, vt tui au geas desiderium: sicutque me fac participem timentium te, vt custodientium mandata tua facias, vt per timoris seruitutem ad amoris per tingere merear gratiam, per quam tandem perueniam ad tuam gloriam. Amen.

III. Ad Deum Patrem per merita Filiij incarnati.

I **N**uoco te Deus meus, inuoco te, quia prope es omnibus inuocantibus te: sed in uocantibus in veritate. Tu enim veritas es, doce me, quæso, clementiam tuam sancta veritas inuocare: quia quomodo hoc fieri oporteat, nescio: sed doceri à te beata veritas humiliter imploro. Abs te sapere despere est, te verò nosse perfectum est scire. Erudi me à diuina sapientia, & doce me legem tuam. Credo sane, quia quem tu erudieris beatus est, & de lege tua docueris eum. Desidero inuocare te, quod quero ut fiat in veritate. Quid est inuocare in veritate veritatem, nisi in Filio Patrem? Ergo sancte, sermo tuus veritas est, principium verborum tuorum veritas. Hoc quippe est verborum tuorum principium, quod in principio erat Verbum. In ipso principio te summum adoro principium: in ipso veritatis verbo te perfecta inuoco veritas: quod in ipsa tandem dirigas me, & doceas in veritate.

Quid

256 *Meditatio S. Anselmi,*
Quid enim dulcius quam Genitorem in no-
mine Vnigeniti exorare, Patrem recordatione
Filij ad pietatem flectere, Regem charissimæ
prolis denotatione mitigare?

2 Sic rei solent carceribus eripi, sic man-
cipati vinculis liberari, sic tristem capitum ex-
cipientes sententiam, non solum vitam, sed
insuper nancisci insolitam gratiam, dummodò
iratis patribus dilectæ prolis intimauerint
charitatem. Sic delinquentes seruuli euadunt
supplicia dominorum, dum pro eis interuenit
dulcedo filiorum. Sic te Pater omnipotens,
per omnipotentis Filij tui postulo charitatē:
educ de carcere animam meam ad confitendum
nomini tuo, libera me à vinculis peccatorum,
per coeternum tibi unicum flagito natum,
mēque, cui propria merita letabili minan-
tur sententiam, pretiosæ ad dexteram tuam
confidentis prolis interpellatione restaura
placatus ad vitam. Quem alium enim diri-
gam intercessorem pro metibi nescio: nisi
hunc, qui est peccatis nostris propitiatio, qui
sedet ad dexteram tuam, qui etiam communis
sibi gloria pietatem tuam interpellat pro
nobis.

5 Ecce aduocatus meus apud te Deum &
Patrem, ecce Pontifex summus, qui non eget
alieno expiari sanguine: quia proprio fulget
profusus crux. Ecce hostia sancta, benepla-
cens, & perfecta, in odorem suavitatis, & oblata
& accepta. Ecce Agnus sine macula, qui *coram*
se tondentibus obmutuit, qui plagis cæsus, sputis
illitus,

illitus, probris affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & languores nostros suo liuore sanauit. Aspice pie Pater piissimum Filium tuum pro me tam impiο passum. Respice Pater clementissime cum, qui patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est ille innocens mi Domine, quem ut seruum redimieras, Filium, tradidisti? Nunquid non auctor vitae hic est, qui ut *ouis ad occisionem ductus*, tibiq; obediens usque ad mortem factus, atrocis non timuit necis subire genus? Recole totius salutis dispositor: quia hic ipse est, quem etsi ex tua virtute genuisti, mea tamen infirmitatis participantem fieri voluisti.

4 Verè hæc est tua deitas, quæ meam induit naturam crucis ascendit patibulum, qui assumptaque carne triste tulit supplicium. Reduc Deus meus, oculos maiestatis super opus ineffabilis pietatis, intuere dilectum natum toto corpore extensem, cerne manus innocuas pio manantes sanguine, & remitte placatus sceleræ quæ patrauerunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli fossum cuspidi, & renoua me sacro sancto fonte illo, quem inde fluxisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum: sed semper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clavis, & perfice gressus meos in semitis tuis: fac me odio habere omnem viam iniquitatis, viam iniquitatis misericors amoue à me: facque me propitius viam veritatis eligere. Oro te rex sæculorum

culorum per hunc Redemptorem meum : fac
me currere viam mandatorum tuorum, ut ei va-
leam spiritu vniuersi, qui non horruit mea carne
vestiri. Nunquid non attendis, pie Pater, ado-
lescentis Filij charissimum caput nivea cer-
nive deflexa, pretiosa resolutum in morte ?
Aspice mitissime Conditor dilecta sobolis
humanitatem, & miserere super infirmi plas-
matis debilitatem. Candet nudatum pectus,
rubet cruentum latus, tensa arent viscera, de-
cora languent lumina, regia pallent ora, pro-
cera rigent brachia, pendent crura marmorea,
rigat terebratos pedes sancti sanguinis vnda.
Specula gloriose genitor gratissimæ proiis la-
cerata membra, & memorare benignus quæ
mea est substantia. Confspice Dei hominis
poenam, & releua conditi hominis miseriam.
Vide Redemptoris supplicium, & remitte re-
dempti delictum. Hic est Domine mi, quem
propter peccata populi tui percussisti, licet
ipse sit dilectus, in quo tibi bene complacuisti.
Hic est ille innocens, in quo dolus iuuenitus non
est, & tamen cum iniquus deputatus est.

3 Quid commisisti dulcissime puer, ut sic
iudicareris ? Quid commisisti amantissime
iuuenis, ut sic tractareris ? Quod scelus tuum,
quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio
tuæ damnationis ? Ego enim sum tui plaga
doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ liuor
passionis, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis
meritum, tuæ vindictæ flagitium. O mirabili-
censuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispo-
sitio !

sitio ! peccat iniquus , & punitur iustus : deliquit reus, & vapulat innocens; offendit impius , & damnatur pius : qnod meretur malus , patitur bonus ; quod perpetrat seruus, exoluit dominus : quod committit homo, sustinet Deus. Quò nate Dei, quo tua descendit humilitas ? quo tua deflagravit charitas ? quo processit pietas ? quo excrevit benignitas ? quo tuus attigit amor ? quo peruenit compassio ? Ego enim iniquè egi , tu pœna multarum. Ego facinus admisi , tu vltione pleceris : ego crimen edidi , tu torturæ subiiceris: ego superbiui, tu humiliaris : ego tumui , tu atteruaris: ego inobediens extiti, tu obediens Patris scelus inobedientiæ luis : ego gulæ parui, tu inedia afficeris : me ad illicitum rapuit concupiscentia ardorem, te perfecta charitas ducit ad crucem : ego præsumpsi vetum, tu subiisti aculeum : ego delector cibo, tu laboras in patibulo : ego fruor deliciis , tu laniaris clavis : ego pomi dulcedinem, tu felis gustas amaritudinem : mihi reo ridens congaudet Eva : tibi pie plorans compatitur Maria.

9 Ecce rex gloriose, ecce impietas mea, & claret pietas tua ; en mea iniustitia, & tua liquet iustitia. Quid Deus meus & rex meus ? Quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribusisti mihi? Non enim inueniri potest in corde hominis quod condigne talibus referatur præmiis. Nunquid potest sagacitas machinari humana , cui comparetur miseratione diuina ?

Nec

Nec est creaturæ moliri officium, quo iuste Creatoris recompenset præsidium. Est autem natus Dei in hac tua admirabili dispositione, cui mea fragilitas in aliquo suppeditet, si tua visitatione compuncta mens, carnem suam crucifigat *cum vitiis & concupiscentiis*. Et si hoc à te conceditur, quasi iam tibi incipit compati vel viuere: quia & tu pro peccatoribus dignatus es mori: sicque per interiorem victoriā te duce armabitur ad exteriorem palmarum: qua denicta persecutione spirituali non vereatur pro amore tuo subiici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis si tuæ complaceat pietati, magnitudini valebit pro viribus respondere Conditoris. Et hoc coelestis medicinæ bone Iesu, hoc tui antidotum amoris.

7 Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde meis visceribus, vt reiecta vipereæ cogitationis labe, reintegret me in cunctis pristinæ, quo gustato nectare tuæ suavitatis, faciat me illecebrosa mundi prospera toto affectu despicere, & nulla eius aduersa pro te formidare, memóriæ perpetuæ nobilitatis semper fastidiam ventos huius transitorii timoris. Nihil quæso sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nihil pretiosum, nihil præter te arrideat speciosum: vilescant obsecro abs te mihi omnia, fordescant vniuersa, quod tibi aduersum est, & mihi molestum sit, & beneplacitum indeficiens desiderium: tædeat me gaudere sine te, & delectet me tristari pro te.

te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, & memoria tua mea consolatio, fiant mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, tuas inuestigando iustificationes, sit bonum mihi lex oris tui super militia auri & argenti, sit obedire tibi amabile, resistere execrable. Rogo te spes mea, per omnes pietates tuas, vt propitieris omnibus iniquitatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, & ne declines, flagito per nomen sanctum tuum, in verba malitiæ cor meum ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, non veniat mihi pes superbie, & manus peccatoris non moueat me.

8 Ecce omnipotens Deus Pater Domini mei, dispone benignus quo mihi miserearis: quomodo quicquid pretiosus inueni, deuotè tibi obtuli: quicquid carius reperi, suppliciter præsentaui, mihi nihil reliqui quin tuæ exposuerim maiestati, nihil iam superest quod adiiciam: quia totam tibi delegavi spem meā. Direxi tibi aduocatum meum, tuum dilectum Filium, misi gloriosam progeniem inter me & te mediatorem. Misisti, inquam, intercessorem, per quem confido veniam, misi verbis: quia pro meis dixi missum factis; enumeraui sanctissimæ tibi sobolis mortem, quam pro me fuisse credo perpeßam. Credo à te misericordiam deitatem, nostram suscepisse humanitatem, in qua dignum duxit vincula, alapas, spuma, irrisioneſque perferre, necnon crucem clavosque suscipere. Hanc olim infantiæ vagiti-

bus demolitam, pueritiae pannis astrictam, sudoribus vexatam, ieuniis maceratam, vigiliis afflictam, itineribus fessam, post affectam flagris, laceratam suppliciis, deputatam cum mortuis: ditatam vero gloria resurrectionis, cœlorum gaudiis induxit, & in dextra tua celsitudinis collocauit.

9 Tu placatio mea, & propitiatio mea, hic intende pins quomodo genueris Filium, & quem redemeris seruum, hic aspice factorem, & ne despicias facturam: amplectere serenus pastorem, & recipe misericors allatam propriis humeris ouem. Hic ipse est fidelissimus pastor ille, qui dudum errabundam ouem per abrupta montium, præcipitia valium multis quaesierat, variisque laboribus, qui iam morienti, iam per longa exilia deficienti, tandem inuentæ gaudens se supponit, & miro sibi adnisu charitatis innixam de confusionis abyssō leuauit: piisque coastrictam complexis ad nonaginta nouem vnam, quæ perierat, deportauit ouem.

10 Ecce Domine mi Rex omnipotens Deus, ecce pastor bonus, refert tibi ouem, quam commisisti ei. Suscepit te disponente ad salvandum hominem, quem tibi restituit omni labore immunem: ecce tibi tuum charissimum plasma Filius reconciliat, quod à te procul deuiauerat. Engregi tuo mitis pastor reformat, quod prædo violentus abegerat: reddit tuis conspectibus seruum, quem sua propria fecerat conscientia fugitiuum, ut qui per se poenam

pœnam meruit, per factorem mundi mereatur veniam, quippe pro culpis suis sperabat gehennam, tanto duce iam confidat reuocari ad patriam. Potui per me te sancte Pater offendere: sed non potui per me te mihi placare: factus est adiutor meus tuus dilectus Filius, meam participans humanitatem, ut curaret infirmitatem: quatenus unde culpam emiserat offensionis, inde tibi immolaret sacrificium laudis, meque per hoc tuæ redderet pietati placabilem: quo sedens ad dexteram tuam semper me substantiæ ostenderet esse confortem.

11 Ecce spes mea, ecce tota fiducia. Si me pro mea, ut dignum est, despicias iniquitate, respice saltem misertus in me pro dilecta sobolis charitate: in Filio attende quid propitieris in seruo. Vide carnis sacramentum, & carnis remitte reatum: recole quod bonus perpessus est Filius, & obliuiscere quod malus operatus est seruus. Quotiens beatæ prolis tibi saucia patent vulnera, delitescant obsecro vulnera mea: quotiens rubet pretiosus sanguis pio de latere, deleatur supplico tabes meæ pollutionis. Et quia te caro lacerriuit ad iram, caro te inflectat precor ad misericordiam, ut sicut me caro seduxit ad culpam, caro deducat ad veniam.

22 Multum quidem est quod mea meretur impietas, longè autem maius est quod Redemptoris mei poscit pietas: magna enim est mea iniustitia, multo verò maior est Redemptoris mei

mei iustitia. Quanto enim superior est Deus homine, tam mea malitia est inferior bonitate eius, ut qualitate, ita etiam quantitate. Quid enim delinquere posset homo, quod non Dei Filius redimeret factus homo? Quæ tantum superbia tumeret, quam non tanta humilitas sternet? Quodnam esset mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirum Deus meus, si æqua lance iniquitas peccantis hominis, & redimentis gratia liberentur authoris, non tantum oriens distat ab occidente, seu inferior separatur infernus à summo cœli cardine, quantum pietas Redemptoris superat malitiam peccatoris.

13 Iam lucis optime Creator, iam culpis ignosce meis pro dilecti Filii tui laboribus immensis. Iam quæso eius pietati mea impietas, eius modestiæ mea peruersitas, & mansuetudini donetur ferocitas. Iam sua humilitas meam superbiam, patientia eius meam impatientiam, benignitas duritiam, obedientia inobedientiam, tranquillitas inquietudinem, dulcedo amaritudinem, suauitas iram, charitas lucrifaciat crudelitatem. Qui tecum, &c.

IV. *Ad Christum, cùm peccator reminisci-
tur quæ Christus pro nobis in carne
gessit.*

1 A D te dulcissime & benignissime Domine Iesu Christe, qui fons pietatis & misericordiae, potissimum me conuerto, quia & per potentiam diuinitatis tuæ, qua cum Patre & Spiritu sancto unus Deus omnia ex nihilo fecisti, me creatum esse fateor, & per incarnationem tuam, quam in proprietate personæ tuæ, cooperante tamen Patre & Spiritu sancto suscepisti, me refectum & renouatum esse scio.

2 Oro itaque dulcissimam misericordiam tuam, piissime & suauissime Domine Iesu, per sanctam annuntiationem tuam, miserere infelicitatis animæ meæ. Dulcissime Domine Iesu Christe, per sanctam incarnationem & nativitatem tuam, miserere mei. Dulcissime Domine Iesu Christe, per circumcisionem tuam miserere mei. Dulcissime Domine Iesu, per sanctam infantiam tuam miserere mei. Dulcissime Domine Iesu, per iuuentutem tuam miserere mei. Dulcissime Domine Iesu, per baptismum tuum miserere mei. Dulcissime Domine Iesu, per iejunium tuum, famem & fatigationem, miserere mei. Dulcissime Domine Iesu, per miracula tua, per quæ etsi homo verus eras, verus Deus agnoscebaris, miserere mei.

3 Dulcissime Domine Iesu , per flagella,
sputa,& alapas quas pro nobis suscepisti, mi-
serere mei. Dulcissime & misericordissime
Domine Iesu, per spineam coronam quam in
capite tuo portasti, ut spinas peccatorum no-
strorum auferres, miserere mei. Miserere mei
dulcissime Domine Iesu, per crucem tuam &
mortem, quam in eadem cruce passus es , ut
nos à morte redimeres. Miserere mei Domi-
ne Iesu, per sepulchrum tuum , in quo secun-
dum carnem iacuisti , & per benignissimam
descensionem tuam ad inferos,in quibus fide-
les & amicos tuos qui te ibi suum dulcissi-
mum Redemptorem diu expectauerant, visita-
sti: visitans à dæmonica dominatione, gloriose
triumphans misericorditer eripuisti; inferna-
libus furis sumum principem valenter incu-
santibus, quod te in quo de suo nihil inuenie-
rat, iniuste interfecerit, pro qua iniusta inter-
fectione instè tunc perdebat quos tam diu
captiuos,& suis infœliciter vinculis alligatos
tenuerant.

4 Miserere mei Domine dulcissime & be-
nignissime Iesu, per gloriosam resurrectionem
tuam,qua tertia die postquam pro peccatori-
bus occisus es, discipulis & amicis tuis de tua
morte dolentibus & nimis affictis , viuus &
immortalis apparuisti , & per dulcissima col-
loquia tua, quæ cum eis per dies quadraginta
post resurrectionem tuam habuisti; in quibus
in multis argumentis apparens eis, & loquens
de regno Dei, eosque confortans & refouens,
& cum

& cum eis sæpius conuescens , præmissis euidentissimis signis & veritate tuæ carnis, in qua mortem passus es , auferens ab eorum cordibus omnem dubitationem , ad fidem & crudelitatem tuæ resurrectionis solidasti. Miserere mei dulcissime Domine Iesu, per admirabilem ascensionem tuam , qua discipulis tuis & matre tua Virgine aspicientibus, cœlos pertens, humanam naturam quam misericorditer pro peccatoribus susceperas , & in qua mortem passus mortem destruxeras, ad dexteram Patris collocasti. Miserere mei dulcissime Domine Iesu , per aduentum sancti Spiritus, quem sicut promiseras discipulis tuis die Pentecostes misisti : quo impleti & vehementissimè confortati, omni timore postposito, veritatè tuæ resurrectionis cunctis gentibus annuntiarent, eosque docerent quod si in te crederent, & tuis præceptis obedirent, omni dubitatione posthabita , regnum cœlorum post mortem carnis ascenderent, & in æterna gloria tecum fœliciter regnarent. Miserere mei dulcissime Domine Iesu , per redditum tuum ad iudicandos viuos & mortuos , quo iudicio malos à bonis separans, æterna perditio ne damnabis; bonos verò tecum ad cœlos ducens, in æterna fœlicitate colloabis.

¶ His dulcissimis recordationibus & piis memoriis animatus dulcissime Domine Iesu, & hæc tanta beneficia infirmis & peccatori bus à te misericorditer collata, dum in secreto

pectoris mei dulciter & cum magna admiratione voluo & reuoluo, infirmas memorias & recordationes peccati, quæ ad damnationis perditionem trahunt, tua opitulante bonitate aliquando respuo, & ea quæ diuina sapiunt, & infirmam animam & peccatricem subleuare solent, respicio, veneror & amplector.

6 Sed heu infœlici animæ meæ, dulcissime & benignissime Domine, heu tantæ perditioni infœlicem animam tam grauiter vexanti, & nisi misericordissima pietate tua sustineatur, in puncto ad infernum descendenti. Ecce enim cordis mei secretum diligenter inspicio, ipsam infœlicem animam meam quam ante diuinam maiestatem tuam, mundam & immaculatam stare putaueram, veneno malitia & iniquitatis non parum infectam inuenio. Saepius verò dum etiam causa alicuius utilitatis cum aliquo loqui incipio, statim vel post paruam moram in detractionem incurro, vel pro aliqua re imprudenter murmuro; vel virtus curiositatis ineptæ succumbo, vel malorum cogitationum turpitudines motusque impudicos in ipsis interioribus meis sustineo. Iterum atque iterum heu tantæ infœlicitati, tantæque perditioni.

7 Fateor dulcissime Iesu, & expando coram te iniquitates meas, quas intus patitur misera anima mea. Dum enim ea quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ ante sunt me extende-re volo, atque in his dulcissimis recordationibus

nibus quas superiùs commemoratus sum,
diutius si possem delectari cupio , atque om-
nes cogitationes meas quasi in fasciculum
colligens , omni perturbatione animi remota
adhærere Deo perseveranti continuatione
desidero, subitò nescio qua miseria, me relabi
ad inania & noxia conspicio : & tanquam
mors subitò interficiens , vel quemadmodum
canis rabidus, qui nec percussione repulsus à
laceratione hominis se temperat,carnalis de-
lectatio omnem tranquillitatem animi ; om-
nemque rectitudinem iustitiae quam me cre-
debam habere , perturbat ac destruit. Et qui
putabam me stare in arce virtutum pro suavi
odore earum, sentio intolerabilem ac teterri-
mum fœtorem vitiorum.

8 Quid ergo faciam dulcissime Domine
Iesu, amator hominum & creator, reformator
& redemptor peccatorum ? Quò me con-
uertam tantis circumdatus malis, tantis inuo-
lutes pessimarum delectationum tenebris ?
Infoelix ego homo, quis me liberabit de tor-
pore mortis huius ? Quis autem nisi gratia
Domini mei Iesu Christi ? Miserere ergo dul-
cissime Domine Iesu , miserere creature tuæ,
miserere peccatricis animæ meæ. Intende
dulcissime Domine Iesu, intende miseriæ eius,
& libera eam , propter iniimicos eius eripe
eam. Illumina oculos eius , ne vnquam obe-
dormiat in morte , ne quando dicat iniuricus
eius, præualui aduersus eam. Apprehende ar-
ma & scutum , & exurge in adiutorium eius,

Credo dulcissime Domine Iesu; credo quoniam si arma tua ad defensionem eius arripias, & scuto bona voluntatis tuæ animam quam creasti defendas, quia nullus hostis, nullius iacula inimici, et si foris expugnent, vel etiam intus fœnire tentauerint, animam quam defendis ullo modo poterunt superare.

9 Dulcissime & misericordissime Domine Iesu, sana eam multis malis obrutam, multis iniquitatibus superatam, multis facinoribus maculatam. Adiutor pauperum, defensor pupillorum, sana & adiuua eam à te creatam, à te redemptam, per te mundatam. Sustine conatum eius, conforta desiderium eius, & concede ei hoc spatum vitæ, in quo in hoc mundo conuersanda est, sic percurrere, & cunctas iniquitates suas per ineffabilem misericordiam tuam sic emendare, & per veram pœnitentiam & confessionem purgare, corriger, mundare, & abstergere: ut tua largiente indulgentissima pietate, ab omni labe vitiorum purgata, mundata, correcta, & abstersa, post mortem carnis, ad te dulcissimum creatorem suum, piissimum Dominum suum peruenire valeat, tuamque inenarrabilem gloriam cum omnibus sanctis tuis in æterna felicitate possidere per æterna saecula. Amen.

V. *Contra tres inimicos qui peccatorem grā-
uius multoties infestant, & nisi miseri-
cordia Dei om̄m tueatur, s̄p̄ius
ad mortem vulnerant scilicet
inanis gloria, inuidia,
superbia.*

I **D**omine Deus meus in te speravi, Tali-
um me fac ex omnibus persequenti-
bus me, & libera me. In te Domine speravi,
non confundar in æternum, in tua iustitia li-
bera me, & eripe me. Domine Deus meus,
creator meus, & gubernator meus, sicut dixi
& semper dicam, in te speravi, & in te spero,
nec quandiu fuerit halitus in naribus meis à
misericordia tua desperabo. A meipso vero, si
diligenter omnes actiones meas inspicio, sem-
per despero, quia semper in malis operibus
conuertor: sed respiciens ad dulcissimum
creatorem meum, ad patientissimum Domi-
num meum, qui male me vivere conspicit, &
adhuc expectat correctionem meam, expectans
& tolerans auscultat si in aliqua re curere men-
dere vitam meam, respiro, & misericordiam
creatoris mei, qui tam dulciter me tolerat,
inuoco. Ex omni enim parte inuadunt me
inimici mei, & iam ferè ex omni parte perfo-
rant, & irrumpunt interiora cordis mei: &
nisi ille piissimus Dominus meus qui me crea-
uit mihi subueniat, subueniens, & terrens

M 4+ inimicos,

272 *Meditatio S. Anselmi*,
inimicos, qui sic me tribulant repellat, illorum
vinculis infœliciter ligata, iam citò ducetur
captiuua anima mea,

2 Ergo libera me Domine ex omnibus
persequentibus me, & si non propter me, sal-
tem propter te. Propter me, fateor dulcissi-
me Domine Deus meus, non est tibi ratio li-
berandi me: quia ferè semper delectat me
malum facere, & in malis operibus perseue-
rare. Sed proptet te libera me, quia verecun-
dia tua est, inimicos tuos facturam tuam sic
deludere, sic delusam & eorum sordidissimis
vitiis foedatam male tractare, quam tam ho-
nestam creasti, tanto honore rationis exorna-
sti, quam ad imaginem & similitudinem tuam
plasmati.

3 Ecce dulcissime Deus meus, ecce infœlix
spiritus meus, malis operibus vndique corro-
sus, de dentibus inimicorum suorum quibus
infœliciter dilaniabatur, vix erutus, tuum
auxilium implorat, tuæ gratiæ visitationem
suspirat, quia nisi citò subuenias eorum inse-
cutione grauiter fatigatus, iam etiam ad te
nec anhelare valebit. Multi sunt inimici mei,
sicut vides piissime creator meus, quorum sœ-
uitia grauiter ferio, percussus & illatus non
modicos dolores sustineo.

4 Sed unus inter cæteros semper grauius
me appetit, & semper sine vlla miseratione,
vsque ad interitam prosternere contendit.
Sæpius enim cum alij inimici mei ab inse-
cutione mea quasi fatigati quiescunt, unus auda-
cior

cior cæteris, fortius telum vibrat, scilicet inanis gloria, quæ non solum miserum hominem malis operibus aperte maculat, sed etiam de ipsis bonis operibus quæ agere videtur, si se cautè non custodit, ingalat. Hæc pestis progenita est ab illa superbia quæ primum hominem prostravit, prostratum & vulneratum, ab illa fœlicitate quam possidebat, expulit. Et ut miserum quem inuidit fortius prosternat, inuidiam per quam mors intravit in orbem terrarum, secum ad adiuuandum se aduocat. Inuidia igitur miserum quem arripit, vrit, vrendo tristem & quasi languore possessum incedens facit. Inanis verò gloria, quasi recreando de ipsis bonis operibus quæ se facere fingit, extollit. Sed ut miserum que nsemel inanis gloria intercepit, infœlicius captiuum ducat, nec ei villam spei euadendi relinquat, ad matrem superbiam recurrit, & eius animata mortifero consilio virtutem diligendi Deum & proximum, ei primum abscondit. Dum enim infœlix quem inanis gloria inficit, superior cæteris videri cupit; si quem considerat in bonis operibus meliorem se esse, restiùsque incedere negare non possit, illum si valet & omnia quæ agit, opprimit: si non vallet, quia aperte recta sunt, saltem ut non ex toto recte acta credenda sint, quocunque modo obnubilare satagit. Sicque miser animus hac captiuitate possessus, nec rectum agit si quid rectum agere videatur; quia nec proximum diligit, quem sicut se amare præci-

pitur; nec Deum amat, quem hoc modo agendo non amare conuincitur. Qui enim proximum suum non amat, nec eum in quantum valet, ut in bono proficere possit adiuuat, nec Deus illum amat, nec ad eius opera respicit, etiamsi coram hominibus videantur esse bona.

5 Quid verò, quid miserius potest esse homine, qui se de bono opere extollit? Qui dum sese putat extollere, de supernis ad imaruit, superbia enim semper naturaliter in profundum inferni iacet, humilitas autem semper in cœlis habitat, & in cœlo manet. Et quem inanis gloria de summis deiicit, superbia mater eius, in brachiis æternæ perditionis excipit: sic est contritio, cuius humilis conuersatio est in terris. Deus qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit, eum de imaconuersatione eleuat in cœlos.

6 Fateor mitissime Deus, fateor me tribus his malis, imò his tribus furiis infernalibus grauiter esse prostratum, & ferè usque ad interitum in anima vulneratum, & nisi indulgentissima misericordia tua citò subueniat, grauius esse damnandum. Heu miser, heu miser semper & ubique, heu miser, quanta captiuitas est miseri hominis? Si male viuit, est aperta damnatio, si rectè quidem viuere videtur, sed incautè se custodiens inde gloriantur, iterum est misero certa mors, & æterna damnatio.

7. O Deus nostrum refugium, ô creator noster,

noster , & virtus nostra aduersus eos qui nos persequuntur , & si te nos viderint propter peccata nostra dimittere , semper insidian-
tur : adiuua nos misericors tua misericordia semper indigentes ; tuæ miserationis auxi-
lium plusquam nobis expediret tepidè postu-
lantes . Et si nos despicias , ideo quia multis ini-
quitatibus nos innoluimus , saltem redue
ad nos misericordes oculos tuos , quia creatu-
ra tua sumus . Et sicut verissimum est te no-
strum semper esse creatorem , sic semper &
vbique sentiamus te nostrum esse defenso-
rem , & aduersus inimicos nostros indefi-
cientem protectorem , ut in præsenti vita semi-
per à te defensi & adiuti , finito temporali
cursu , ad te creatorem nostrum & Dominum
perueniamus , ab omnibus peccatis mundati
& absoluti . Amen .

*VI. Cum peccator de iniqtitatibus suis mul-
tum est anxius , easque coram Deo , omni
postposita verecundia ienudat
& expandit .*

s. **A**ltissime , & mitissime amator homi-
num Deus , creator & gubernator om-
nium creaturarum , immenſe bonitati tuæ
confiteor omnia peccata mea , quæcunque
quocunque modo feci , ex ea hora ex qua pec-
care potui usque ad hanc horam , in qua ad-
huc per misericordiam tuam me viuere pate-
ris . Omnia verò non possum esse memor ,

quia multa sunt, & facile enumerari non possunt. Sed tu piissime, & misericordissime Deus, cui nota sunt omnia antequam fiant, qui verus inspectores cogitationum, & iustissimus scrutator es cordis & rerum: tu nosti omnia peccata mea, quæcunque egi, vel adhuc ago, vel intus in anima mea per occultas cogitationes, vel foris per apertas operationes. Et propterea quia veraciter hæc omnia tibi esse nota scio, de iis omnibus quæ me fecisse contra voluntatem tuam intelligo, coram maiestate tua, & coram omnibus Sanctis tuis, me reum & culpabilem esse confiteor, & nisi indulgentissima misericordia tua priùs subueniat, post mortem carnis æterna morte esse damnandum, æternisque tormentis æternaliter esse torquendum.

2 Scio dulcissime Deus, scio quia me creasti, & creature misericorditer dilexisti: & quia ad hoc me creasti, ut & ego quoque te creatorem meum, sicut dignum esset diligrem, tuisque præceptis per omnia obediens essem. Et hoc totum ad bonum meum fecisti, non ut tu per me vel melior es, vel in aliquo ditior existeres. Tu enim nullo bono eges, quia in essentialiter es ipsum bonum, & à te est omnis bonus, quicunque bonus est. Et ideo non potes esse melior, vel ditior, & non per falsam impotentiam, sed per veram potentiam non potes. Qui enim malum potest & facit, malo suo hoc potest & facit,
quia

quia per hanc potentiam non sursum ad excelsa dirigitur fœliciter, sed deorsum ad ima attrahitur infoelicit. Hac potentia, vel potius impotentia miserabiliter seductus, & quasi vesica turgens inaniter inflatus, extra rationem positus, & quasi iumento insipienti similis factus, telo superbie miserrimè percussus & prostratus, te creatorem meum & misericordissimum Dominum in tuis præceptis contempsi, quæ mihi ad bonum meum si obseruassem dedisti, contemnens & veluti mente perditus, dum hoc illucque quasi superbè feror, vera soliditate perdita, vias perditionis & mortis incurro, ac vanitatem, vanæque elationis ventum, stultè & insipienter sequor.

3 Fateor clementissime Deus, fateor coram omnipotentia tua me nimis esse superbum, vanum, & omni genere elationis plenum. Et puto si in hoc seculo aliquam haberem potentiam, nullus posset sufferre meam superbiam. Sed & ista superbia qua coram hominibus tam grauiter vexor, quamvis sit execrabilis, & nimis periculosa, est tamen alia superbia, qua, cum diligenter secretum mentis meæ non mihi blandiens inquiero, non parum vexatur & dissipatur infoelix anima mea. Aliquando verò si contingat (quod tamen raro accidit) aliquid me facere, quod secundum æstimationem hominum videatur aliqua similitudo boni, non parum de hoc

hoc ipso superbio. Et si nemo inde loquitur, vel aliquo modo me laudare non curat , cum quasi stultum & nihil scientem despicio , vel etiam si quasi non curans , laudationem hominum vanam & inutilem fugio, non parum in ipsis interioribus meis, vbi solus Deus videt, inde gloriōr , & mirum in modum dum laudationem vito, eò amplius laudationem & vanam gloriam appeto.

4 Ecce Deus meus & creator meus , ecce vides me ita facere, ita viuere, & totum quod viuo perdere, & ecce vides, & execraris, & pro tali vita non nisi pœnas , & tormenta promittis. Subueni ergo creator meus , subueni adiutor in opportunitatibus , subueni, & adiuua animam meam, & per ineffabilem misericordiam tuam, destrue & confunde superbiam meam. Ecce Deus meus & Dominus meus, ecce confiteor immensæ bonitati tuae, veneno huius malitiæ me totum esse infectum, corruptum & destructum , & iam ferè nisi misericordia tua subueniat, ad nihil redactum. Sed coram maiestate tua culpam meam recognosco, reus & culpabilis veniam & indulgentiam de hoc, & de omnibus peccatis meis à te misericors creator peto , qui non vis mortem peccatoris , nec lætaris in perditione morientium. Sunt & alia multa quæ de radice huius pestis exoriuntur , quæ me habere, & eorum molestiis non parum inquietari, & særissimè atteri similiter confitetur. Et similiter de his omnibus veniam & indul-

indulgentiam requiro. Sunt autem hæc , ira, impatientia, inimica Deo & omnibus Sanctis. odiosa, discordia, indignatio , rancor animi, tædium mentis, voracitas gulæ , murmuratio, auaritia , rapacitas , & multa his similia, quibus vexari , & affici , lacerari , & disperpi infœliciter animam meam conspi-
cio.

5 Est & præter hæc vnum malum malum, super omnia mala malum, quo tanto grauius & miserabilius laceratum & afflictum animum meum sentio , quanto & ab ipsis cunabulis semper mecum fuit, mecum crevit ; in infantia , in adolescentia ; in iuuentute mihi semper adhæsit , nec adhuc iam præ senectute membris deficientibus me deserit. Est autem hoc malum, desiderium voluptatis, delectatio carnalis , tempestas libidinis, quæ multis & variis modis infœlicem animam meam macerauit , dissoluit , & omni virtute destitutam inanem & debilem reddidit. Fatoeor dulcissime & mitissime Deus , fateor coram omnipotentia tua , me huius operis nefarij immundis recordationibus sœpe esse pollutum, incensum , ardores non modicos & dishonestos passum , non solum meas delectationum malas memorias & stultas recordationes mihi nocere , sed etiam aliorum malefacta mihi narrata , & per recordationes sordidas ad memoriam reducta , cor meum non paruo nœvo iniquitatis maculare.

6 Ecce Deus meus piissime, & misericordissime Dominus meus, quamuis non paruam verecundiam passus, expandi coram te iniqüitates meas: ostendi vulnera & peccata mea, ostendi animam meam malis operibus maculatam, malorum operum delectationibus infectam, malarum delectationum recordationibus foedatam. Deus meus, misericordia meam, respice ad poenitentiam meam, respice ad pietatem meam, & suscipe confessionem meam, & fac in eum secundum misericordiam tuam. Si iniqüitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? vel etiam quis iustitia sua, sine misericordia tua poterit liberari? Propitius esto mihi Domine, propitius esto mihi peccatori: parce peccatis & iniqüitatibus meis, ut per tuam misericordiam ab omnibus vitiis mundatus ac purgatus, & ab omnibus peccatis clementer absolutus, finita temporali vita & conuersatione, perducatur merear ad regna cœlorum, ubi cum sanctis omnibus te laudare, & benedicere, & glorificare valeam in sæcula sæculorum. Amen.

VII. *Ne peccator pro ullo peccato desipare debeat, quia pius est & misericors Dominus; nec peccatoris mortem, sed vitam desiderat.*

I **M**iserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multi

*multitudinem miserationum tuarum dele ini-
tatem meam.* Credimus quod hanc orationem
Spiritus sanctus dictauerit, cuius inspiratio-
ne compunetus homo peccator, sed & fide-
lis, & sibi postulat ab eo misereri, suæque
iniquitates secundum multitudinem misera-
tionum eius deleri, quem & omnipotentissi-
mum Deum & misericordissimum Dominum
esse credit. Est autem hoc opus Spiritus san-
cti, quod peccatori sua facinora displicant,
& ea agere fatagit, quæ creatori suo pla-
cent. Sed & hoc suis viribus non valet,
nisi eiusdem Spiritus sancti gratia illumina-
tus, cuius cor cum per suam gratiam visi-
tat, protinus ab omni labe vitiorum emun-
dat.

2 Dulcis est verò Dominus & pius erga
creaturam suam, quam creauit ad imaginem
suam & similitudinem, & quam tanto dita-
uit honore, nullo modo nisi eius magna ini-
quitate patitur perire. Est autem, est omnino
uniuersitatis creator, suavis & mitis, & multæ
misericordiæ omnibus inuocantibus se, om-
nibus qui inuocant eum in veritate, & vo-
luntatem timentium se facit, & deprecatio-
nem eorum exaudit, & per suam magnam mi-
sericordiam saluos ad sempiternam gloriam
ducit. Miseretur enim omnium, & nihil odit
eorum quæ fecit, dissimulans peccata homi-
num propter pœnitentiam, & parcens illis,
quia pius est Dominus.

3 Est autem misericors Dominus pecca-
toribus

toribus à suis nequitiiis cessantibus; & per veram pœnitentiam, veræque pœnitentiæ bona opera, suas malitias mundantibus; & per veram confessionem, veræque confessionis sacrificium, se maſtantibus. Est autem vera pœnitentia veræque confessio, & perpetrata mala plangere, & plangenda amplius non admittere. Quomodo verò miseretur pater filiorum, & multò magis quam pater carualis filiorum, miseretur pius & misericors Dominus omnium se timentium. Ipse enim nō uit figmentum nostrum; cognovit etiam unde fecit limum nostrum. Recordatur enim quod puluis sumus & cinis, sed tamen ad eius imaginem facti. Intuentes autem veræque confitentes totam misericordiæ creatoris nostri erga creaturam suam, non de remissione culparum desperemus. Quoniam si ex toto corde pœnitamus, nostrasque iniurias dignis fletibus insequamur, eius indulgentissimam pietatem proculdubio consequemur.

4 Sed fortassis aliquis mente perditus, & iam ipsis voraginibus æternæ damnationis immersus, considerans enormitatem scelerum suorum, desperans de misericordia Dei, dicere apud se præsumit. Quod consilium recuperandæ salutis iam amplius inuenire potero, aut quam consolationem, aliquam veniam scelerum promittentem sperabo? Ex quo peccare potui, nunquam à peccatis & malis operiis cessavi. Peccatis peccata sem-

per

per accumulaui : & peccata quæ aliquando operibus implere non potui, malis voluntatibus ac malis desideriis perficere nunquam cessauit. Tantis ergo malis & voluntatibus inuolutus , tantis criminibus & peccatis circundatus , quid iam expectare possum nisi æternam perditionem , æternæque perditionis æternam damnationem ? Aliquando vero si aliqua misericordia Dei peccatorum confessionem feci, & peccatorum pœnitentiam à Sacerdote accipiens, aliquam emendationem malorum promisi , statim vel post paruam moram, eadem mala vel peiora peccata feci, & quasi canis reuersus ad vomitum suum, quod quasi per confessionem euomeram ore, corde sordidus resumpsi. Iuraui etiam sæpius me deinceps cessare à peccatis, viam iniquitatis omnino dimittere, viamque iustitiae sequi. Sed neque timor ipsius periurij me à peccatis retinere potuit, neque timor Dei , cuncta ab alio conspicientis.

5 Ecce vides dulcissime amator hominum Deus, ecce vides de Sanctuario tuo, & respicis de excelso cœlorum habitaculo, miserum hominem ad te dorsum ponentem, tēque in tuis præceptis spernentem, & propter sua magna peccata de tua magna misericordia desperantem: & quamuis nimis miserum & peccatorem, respicis tamen & vides à te creatum, & dum in hac vita existit, tuis beneficiis sustentatum. Immitte bone Deus in animam eius timorem tuum, & aufer de corde eius timorem

morem noxiū. Respice & illumina cor eius obsecratum, ut videat & intelligat quām magna sit, & quām amabilis multitudo dulcedi-
nis tuæ Domine, quām abscondisti desperanti-
bus de te, perfecisti autem sperantibus in te.
Non eum demergat dulcissime Deus, non
eum demergat tempestas aquæ, nec absor-
beat profundum, neque vrgeat super eum
puteus os suum : scilicet abyssus iniquita-
tum suarum, & desperatio miserationum
tuarum.

6 Credimus clementissime creator homi-
num Deus, te esse omnipotentem, & omnia
quæcunque vis facientem. De te Propheta
dicit : *Omnia quæcunque veluit Dominus fecit,
in cœlo, & in terra, & in omnibus abyssis.* Sci-
mus autem quia non vis peccatores perdere,
sed à peccatis cessare & viuere. Si ergo om-
nipotens es, sicut verè es, quia quicquid vis,
facere potes, & non vis peccatores perdere,
sed à malis resipiscere & viuere, de multitudi-
ne miserationum tuarum non debemus de-
sperare; sed securi de spe veniæ, misericor-
diam expectare. Verum est omnino, quia
multa sunt & magna peccata nostra, sed certi-
sumus quia multa est & magna misericordia
tua.

7 Scimus omnipotens & misericors Deus,
scimus quia tu es summus spiritus, incommu-
tabilis, & aeternus, viuens vita tua, quæ tu ipse
es, & aeternitate tua, & nos creatura tua à te
creati bonitate & miseratione tua. Nos autem

cum

cum peccamus; id est, cum ea quæ iubes, non facimus, & quæ prohibes, facimus, propter peccatum nostrum morimur, licet in aliqua vita nobis etiam mortuis, tua miseratione concessa, existamus. Si verò iterum tibi obedientes existimus, & à malis operibus, tua gratia adiuti nos retineamus, tibique qui viuus spiritus es, & creator noster, per bona opera iungimur, iterum reuiuscimus: post mortem in æterna gloria tecum victuri, si deinceps quandiu vixerimus in rectis operibus perseverabiles existamus. Heliceus Propheta cum mortuus esset & sepultus; & quidam qui erat mortuus, eius ossibus tangetur, surrexit viuus; & iterum est meritis Prophetæ & tactu corporis, viuere permisus. Si ergo tactu Prophetæ mortui, surrexit qui erat mortuus, multò magis nos reuiisci mus, si tibi nostro creatori per bona opera iungimur, qui es viuus & immortalis spiritus. Miserere ergo nostri creator noster, miserere nostri secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum déle iniquitatem nostram, & resuscita nos in hac præsenti vita à morte ad vitam, id est, à morte peccati ad iustitię vitam, & in fine sæculi per tuam misericordiam iustificatos, resuscita ad æternam gloriam. Quam ipse nobis præstare digneris, qui viuis & reguas per æterna sæcula. Amen.

VIII. *Eiusdem cum ardenti desiderio solum Christum amandi, & eius desiderio fruendi.*

I Esu nostra redemptio , amor & desiderium, Deus de Deo , adesto mihi famulo tuo. Te inuoco, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Te inuoco in animam meam, intra in eam, & coapta eam tibi, ut possideas eam sine ruga, & sine macula. Mundissimo namque Domino munda debetur habitatione. Sanctifica ergo me vas tuum quod fecisti, de malitia euacula, imple de gratia, & plenum conserua, ita ut dignum habitationis tue efficiar templum hic , & in perpetuum. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, potentissime, desideratissime, pretiosissime, amabilissime, pulcherrime , tu melle dulcior, lacte & niue candidior, nectare suauior, gemmis & auro pretiosior , cunctisque terrarum diuinitatis & honoribus mihi charior. Quid dico Deus meus, vna spes mea tam grandis misericordia tua ? Quid dico dulcedo felix & secura ? Quid dico dum talia dico ? Dico quod valeo, sed non dico quod debeo. Utinam possem talia dicere , qualia illi hymnidici Angelorum chori. O quam libenter me tuis laudibus totum effunderem ! O quam deuotissime illa cœlestis melodiæ cantica ad laudem & gloriam nominis tui in medio Ecclesiæ infatigabilis perorarem !

2 Sed quia talia non possum , nunquid tacebo ? Vx tacentibus de te , qui ora mutorum resoluis , & linguas infantium facis disertas . Vx tacentibus de te , quoniam ipsi loquaces muti sunt , quum non tuas laudes dicunt . Quis dignè te laudare potest , ð ineffabilis virtus & sapientia Patris ? Et quoniam nulla inuenio verba , quibus te sufficienter valeam explicare cunctipotens & omniscium verbum , dicam interim quod valeo , donec iub eas me venite ad te , vbi possim dicere quod te decet , & me oportet . Et ideo suppliciter rogo , vt non respicias tantùm ad id quod modò dico , sed ad id quod dicere opto . Cupio enim desiderio magno de te eloqui quod oportet & decet , quia te decet laus , te decet hymnus , tibique debetur omnis honor .

3 Scis ergo occultorum cognitor Deus , quoniam cœlo , terra , & omnibus quæ in ea sunt , tu mihi acceptior , tu mihi amabilior es : diligo enim te super cœlum & terram , & cætera omnia quæ in eis sunt , imò amore nominis tui quæ transitoria sunt , proculdubio amanda non sunt . Amo te Deus meus amore magno , magisque te amare cupio . Da mihi vt amem te semper quantum volo , quantum debo , vt tu solus sis tota intentio mæa , & omnis meditatio mea . Te mediter per dies sine cef satione , te sentiam per soporem in nocte , te alloquatur spiritus meus , tecum fabuletur mens mea . Lumine sanctæ visionis tuæ illu-

stretur cor meum , vt te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam te Deum deorum in Sion , nunc quidem per speculum in ænigmate , tunc autem facie ad faciem , vbi cognoscam te sicut & cognitus sum. Beati mundo corde , quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

4 Rogo itaque te Domine, per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus: mollifica cor meum durum & lapideum, saxeum & ferreum, tua sacratissima & potenti vnctione , & fac me per ignem compunctionis coram te omni hora hostiam viuam fieri. Fac in me tuo conspecta cor contritum & humiliatum semper habere cum lacrymarum abundantia. Fac me ex toto desiderio huic mundo funditus extingui, & trans euntium rerum obliuisci præ magnitudine timoris & amoris tui , vsque adeò vt de temporalibus nec lugeam, nec gaudeam, nec metuam aliquid temporale , nec diligam , nec blandis corrumpar , nec aduersis concutiar. Et quia tui valida est vt mors dilectio, absorbeat quæso mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt , ignita & melliflua vis amoris tui, vt tibi soli inhæream, solaque tuæ suauitatis memoria pascar. Descendat Domine , descendat precor, descendat in cor meum odor tui suauissimus , ingrediatur amor tui mellifluus. Veniat mihi tui saporis mira & inenarrabilis

tabilis fragrantia, quæ sempiternas in me suscitet concupiscentias, & ex corde meo producat venas salientis aquæ in vitam æternam.

5 Immensus es Domine, & idè fine mensura debes amari & laudari ab iis quos tuò pretioso sanguine redemisti. Amator hominum benignissime, clementissime Domine, & æquissime iudex, cui omne iudicium dedit Pater, sapientissimo tuæ æquitatis iudicio discernis hoc rectum & iustum esse, vt filij huius seculi, noctis & tenebrarum, præstantiori desiderio, virtute atque studio diligent, & quærant perituras diuitias, & fugitiuos honores: quam nos serui tui diligamus te Deum nostrum, per quem facti & redempti sumus. Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, vt alter alterum vix patiatur abesse: si sponsa sponso tanto conglutinatur mentis ardore, vt præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mœrore ferens: qua ergo dilectione, quo studio, quo feroce anima quam despontasti tibi fide & miserationibus, debet diligere te verum Deum, & pulcherrimum sponsum, qui nos sic amasti & saluasti, qui pro nobis tot, tanta & talia fecisti?

6 Quanquam hæc infirma habeant suas delectationes, suosque amores: non tam in tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur iustus, quia amor tui suavis est & quietus. Nam pectora, quæ possi-

290 *Meditatio S. Anselmi,*
des, dulcedine, & suauitate, & tranquillitate
replies. Et contrà, amor sæculi & carnis, an-
xius est & perturbatus : animas certè quas
ingreditur, quietas non patitur. Semper enim
suspicionibus & perturbationibus, variisque
timoribus solicitat eas. Tu itaque es dele-
etatio rectorum, & meritò. Quies enim vali-
da est apud te, & imperturbabilis vita. Qui
intrat in te bone Domine, intrat in gaudium
Domini sui, & non timebit amplius : sed ha-
bebit se optimè in optimo loco, dicens: Hæc
requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo,
quoniam elegi eam. Et illad: Dominus re-
git me, & nihil mihi deerit : in loco pascuæ
ibi me collocauit.

7 Dulcis Christe, bone Iesu, reple semper
quæso cor meum inextinguibili dilectione
tui, continua recordatione tui, adeò ut sicut
flamma vrens totus ardeam in tui amoris dul-
cedine: quem & aquæ multæ in me nun-
quam possint extinguere. Fac me dulcissime
Domine, amare te, & desiderio tui deponere
pondus omnium carnalium desideriorum, &
terrenarum concupiscentiarum grauissimam
farcinam, quæ impugnant & aggrauant mi-
seram animam meam: ut post te expeditus
in odore vnguentorum tuorum currens, us-
que ad rux pulchritudinis visionem efficaciter
fatiandus, quanto cyus te quoque duce merear
peruenire. Duo enim amores, alter bonus,
alter malus, alter dulcis, alter amarus, non se
simul in uno capiunt pectore. Et ideo si quis
præter

præter te aliud diligit, non est charitas tua
Deus in eo: amor dulcedinis, & dulcedo
amoris: amor non crucians, sed delectans:
amor sincere, caste, permanens in sæculum
sæculi: amor qui semper ardes, & nunquam
extingueris.

8 Dulcis Christe, bone Iesu, charitas, Deus
meus, accende me totum igne tuo, amore tui,
suavitate & dulcedine tua, iucunditate & ex-
ultatione tua, voluptate & concupiscentia
tua, quæ sancta est & bona, casta & munda,
tranquilla est & secura, vt totus dulcedine
amoris tui plenus, totus flamma charitatis
tuæ succensus, diligam te Deum ex toto cor-
de meo, totisque medullis præcordiorum
meorum, habens te in corde, & in ore, & præ
oculis meis semper & ubique: ita vt nullus
pateat in me locus adulterinis amoribus.
Audi Deus meus, audi lumen oculorum meo-
rum, audi quæ peto, & da quæ petam, vt au-
dias me. Pie & misericordissime Domine, ne
efficiaris mihi inexorabilis propter peccata
mea: sed propter bonitatem tuam fuscipe
preces serui tui, & da mihi effectum petitio-
nis meæ, & desiderij mei: intercedente &
orante, & impetrante gloria Virgine geni-
trice tua Maria, Domina mea, cum omnibus
Sanctis tuis. Amen.

LX. *Ad Iesum Christum pro gratia lacrymarum obtainenda ex peccatorum recordatione.*

Christe Domine, Verbum patris, qui venuisti in hunc mundum peccatores salvos facere: xogo te per indulgentissima misericordia tua viscera, emenda vitam meam, meliora actus, compone mores, tolle de me quod mihi nocet, & tibi displicet, & da quod nosti tibi placere, & mihi prodefesse. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu solus? Tu es Deus omnipotens, infinita pietatis, qui iustificas impios, & viuificas mortuos propter peccatum, qui mutas peccatores, & non sunt. Tolle ergo de me quicquid tibi displicet in me. Imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte queso manum pietatis tuae in me: & tolle de me quicquid offendit oculos pietatis tuae in me. Coram te Domine est sanitas & infirmitas mea. Nam precor serua, istam sana. Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: tu qui infirma sanas, & sanata conservas, tu qui solo nutu tuo restauras diuta & collapsa. Si enim dignaris in agro tuo corde meo ferere bonum semen, necesse est ut manu pietatis tuae spinas prius euellas vitiorum meorum.

z Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime,

cherrime, infunde obsecro multitudinem dulcedinis tuæ, & charitatis tuæ pectori meo, ut nihil terrenum, nihil carnale desiderem vel cogitem, sed te solum amem, te solum habeam in corde & ore meo. Scribe digito tuo in pectoro meo dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla vñquam obliuione delendam. Scribe in tabulis cordis mei voluntatē tuam, & iustificationes tuas, ut te immensæ dulcedinis Dominum, & præcepta tua semper & ubique habeam præ oculis meis. Succende mentem meam igne illo tuo, quem misisti in terram, & voluisti vehementer accendi, ut sacrificium spiritus contribulati, & cordis contriti, obortis lacrymis quotidie offeram tibi.

3 Dulcis Christe, bone Iesu, sicut desidero, sicut tota mente mea peto: da mihi amorem tui sanctum & castum, qui me repleat, teneat, totumque possideat. Et da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem iugiter emanantem: ut ipsæ quoque lacrymæ tui in me testentur amorem, ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se à lacrymis continere. Reminiscor pie Domine, illius bona mulieris Anna, quæ ad tabernaculum rogatura pro filio venit, de qua Scriptura refert, quod vultus eius post lacrymas & preces non sunt amplius in diuersa mutati, sed memor tantæ virtutis, tantæque constantiæ, dolore torqueor, & ve-

294 *Meditatio S. Anselmi,*
recundia confundor: quia me miserum nimis deorsum iacere intueror. Si enim ita fleuit, & in fletu perseverauit mulier, quæ quærebat filium, quomodo plangere, & in planctu persistere debet anima mea, quæ querit & amat Deum, & ad eum peruenire desiderat? Quomodo gemere ac flere debet talis anima, quæ querit Deum die ac nocte? quæ præter **C H R I S T V M** nil vult amare? Mirum quippe est, si iam non factæ sunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte.

4 Respice ergo & miserere mei: quia dolores cordis mei multiplicati sunt. Da mihi consolationem tuam cœlestem, & noli spernere peccatricem animam pro qua mortuus es. Da mihi quofo lacrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum possint soluere vincula, & cœlesti iucunditate semper repleant animam meam. Ut non cum veris & perfectis monachis, quorum vestigia nequeo imitari: saltem cum deuotis mulieribus quantulamcunque portionem in regno tuo merear adipisci.

5 Venit quoque mihi in mentem alterius mulieris deuotio mira, quæ te in sepulchro iacentem pio amore quærebat: quæ recentibus discipulis, de sepulchro non recedebat, quæ sedebat ibi tristis & moerens, & diu multumque flebat: & resurgens, multis lacrymis, iterum iterumque antra deserti sepulchri vigilantibus oculis explorabat, si forte alicubi te videre posset, quem feruenti desiderio

siderio quærebat. Iam certè & semel & iterum ingressa sepulchrum viderat : sed nimium amanti non satis erat; virtus enim boni operis perseverantia est. Et quia præ cæteris dilexit, & diligendo fleuit, & flendo quæsivit, & quærendo perseverauit : ideo prima omnium te inuenire, te videre, te alloqui meruit. Et non solùm hæc, sed etiam ipsis discipulis gloriosæ resurrectionis tuæ prænuntia extitit, te præcipiente, & clementer monente : Vade, dic fratribus meis ut vadant in Galilæam, ibi me videbunt. Si ergo ita fleuit, & in fletu perseverauit mulier, quæ viuentem cum mortuis quærebat, quæ te manu fidei tangebat: quomodo plangere, & in planctu persistere debet anima, quæ te redemptorem suum iam cœlo præsidentem, & ubique regnante corde credit, ore confitetur? Quomodo ergo gemere & flere debet talis anima, quæ te toto corde diligit, tæque toto desiderio videre concupiscit?

6 Solum configium, & vñica spes misericordiæ supplicatur: presta mihi hanc gratiam propter te, & propter nomen sanctum tuum, ut quotiens de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero, quotiens tui réminiscor, tibi assisto, laudes, precos & sacrificium offero: totiens obortis lacrimis in conspectu tuo copiosè & dulciter fleam: ita ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Tu quidem rex gloriæ,

Meditatio S. Anselmi,
 & omnium virtutum magister, docuisti nos
 verbo, & exemplo gemere & flere, dicens:
 Beati qui lugeant, quoniam ipsi consolabun-
 tur. Tu flevisti defunctum amicum, & lacry-
 matus es valde super perituram ciuita-
 tem.

7 Rogo te bone Iesu per illas pretiosissi-
 mas lacrymas tuas, quibus mirabiliter nobis
 perditis subuenire dignatus es, da mihi gra-
 tiam lacrymarum, quam multum desiderat &
 appetit anima mea: quia sine dono tuo non
 possum habere eam: sed per Spiritum san-
 ctum tuum, qui dura corda peccatorum mol-
 lit, & ad fletum compungit. Da mihi gratiam
 lacrymarum, sicut dedisti patribus nostris,
 quorum vestigia debeo imitari, ut plangam
 me in omni vita mea, sicut ipsi se planixerunt
 nocte ac die. Propter merita & orationes eo-
 rum qui tibi placuerunt, & deuotissime ser-
 uierunt, miserere mei miserrimi & indigni
 serui tui, & da mihi gratiam lacrymarum. Da
 mihi irriguum superius, & irriguum inferius:
 ut sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte,
 efficiarque in conspectu tuo Deus meus per
 ignem compunctionis, holocaustum piague
 & medullatum, macter totus in ara cordis
 mei, & tanquam pinguissimum holocaustum
 assumar tibi in odorem suavitatis. Da mihi
 dulcissime fontem irriguum, fontemque per-
 spicuum, in quo lauetur assidue istud inqui-
 natum holocaustum. Licet enim mè totum
 tibi obtulerim opitulante gratia tua, in multis
 tamen

ramen quotidie offendō propter nimiam fragilitatem meam.

8 Da ergo mihi gratiam lacrymarum benedictę & amabilis Deus, præcipuè ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione misericordiarum tuarum, præpara hanc mensam famulo tuo in conspectu tuo, & da mihi potestatem, ut quoties volo satier ex ea: tribue pro pietate & bonitate tua, ut iste calix tuus inebrians, & præclarus satiet fitim meam, ut inhiet tibi spiritus meus, & ardeat mens mea in amore tui, oblitus vanitatis & misericordiæ. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorum, audi quæ peto, & da ut petam quod audiās. Pie & exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, & da mihi effectum petitionis meæ, & desiderij mei, precibus & meritis gloriose Virginis Mariæ dominæ meæ, & omnium Sanctorum. Agnien.

X. *Vt tempus indultum gratia, utiliter peragere queas, & ad veram pacem peruenias.*

I^{esu} Domine, Iesu pie, qui mori dignatus es propter peccata nostra, & resurrexisti propter iustificationem nostram: rogo te per gloriosam resurrectionem tuam, resuscita me de sepulchro vitiorum & peccatorum meorum omnium, & da mihi quotidie partem in

N^{ost}ri refur

298 *Meditatio S. Anselmi,*
resurrectione prima, vt in resurrectione tua
merear veraciter percipere portionem. Dul-
cissime, benignissime, amantissime, charissime,
preciosissime, desideratissime, amabilissime,
pulcherrime, ascendisti in cœlum cum trium-
pho gloriæ tuæ, & sedes ad dexteram Patris
rex potentissime: trahe me sursum ad te, vt
curram post te in odorem vnguentorum tuo-
rum, curram & non deficiam te trahente, te
ducente me currentem, trahe os sitientis te
animæ in superna fluenta æternæ satietatis;
imò trahe me ad fontem viuum, & inde pro-
captu meo bibam vnde semper viuam, Deus
meus, vita mea. Tu enim dixisti ore tuo san-
cto & benedicto: Si quis sit, veniat ad me,
& bibat. Fons vite, da sitienti animæ semper
bibere ex te: vt secundum sanctam & veri-
dicam promissionem tuam, de ventre meo
fluant aquæ viuae. Fons vite reple mentem
meam torrente voluptatis tuæ: inebria cor
meum sobria ebrietate amoris tui, vt ob-
liuiscar quæ vana sunt & terrena, & te so-
lam iugiter habeam in memoria mea, sicut
scriptum est: Memor fui Dei, & delectatus
sum.

2. Da mihi spiritum sanctum tuum, quem
significabant illæ aquæ, quas sitientibus da-
tum te promiseras. Da queso toto deside-
rio, & omni studio tendere quod te ascendisse:
post resurrectionem die quadragesimo credi-
mus, vt in præsenti quidem miseria solo te-
near corpore: tecum autem sim cogitatione:
semper:

semper & auditate, ut ibi sit cor meū, vbi tu es thesaurus meus desiderabilis & incomparabilis, multumque amabilis. In hac enim magno huius vitæ diluio, vbi circumstantibus agitamur procellis, & non inueritur fiducia, statio, & locus eminentior, vbi pes columbae valeat aliquatenus requiescere: nusquam tuta pax, nusquam secura quies, vbiique bella & lites, vbiique hostes, foris pugnæ, intus timores. Et quia altera pars sumus cœli, altera terræ, corpus quod corruptitur, aggrauat animam. Idcirco animus meus, socius & amicus meus, fatigatus de via veniens languet & iacet, discissus atque laceratus ab iis, quas pertransierat, vanitatibus: esurit & fitit valde, & non habeo quod ponam ante illum, quia pauper sum & mendicus. Tu Domine Deus meus, diues omnium bonorum, & dapum supernæ satietatis opulentissime largitor, da lazzo cibum, collige dispersum, reintegra scissum. Enstat ad ostium & pulsat: obsecro per viscera misericordiæ tue, quibus visitasti nos oriens ex alto: aperi pulsanti misero manum pietatis tue, & iube propitiabili dignatione, ut ingrediatur ad te, requiescat in te, reficiatur de te viuo cœlestique pane: quo satiatus, resumptisque viribus ad superiora concendat, & de hac valle lacrymarum penna sancti desiderij raptus, ad cœlestia regna voliter.

3 Assumptus Domine, assumat rogo spiritus meus pennas ut aquilæ, & volitet,

& non deficiat: volet & perueniat vsque ad decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: vt ibi super mensam refectionis ciuium supernorum pascatur de occultis tuis in loco pascuæ tuæ, iuxta fluenta plenissima: requiescat in te Deus meus cor meum, cor mare magnum, tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna, veni & gradere super fluctus cordis mei, vt tranquilla & serena fiant omnia mea, quatenus vnum bonum meum amplectar te, & dulce lumen oculorum meorum contempler te, sine tumultuantium cogitationum cæca caligine; Confugiat Domine mens mea sub umbra alarum tuarum ab æstibus cogitationum huius seculi, vt in tui refrigerij temperamento absconsa, latet abunda cantet & dicat: In pace in idipsum dormiam & requiescam.

4. Dormiat obsecro Deus meus, dormiat memoria mea ab omnibus quæ sub cœlo sunt, vigilans in te, sicut scriptum est; *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sit tuta, sit semper secura sub pennis protectionis tuæ anima mea, Deus meus. Maneat in te, & foueatur semper à te. Contempletur te in mentis excessu, & cantet laudes tuas in iubilatione, & hæc dulcia bona tua, sint inter hos turbines consolatio mea, interim donec veniam ad te pacem veram, ubi non est arcus, scutum, gladius, & bellum, sed est summa & recta securitas, & secura tranquillitas, tranquilla iucunditas,

tas, & incunda fœlicitas, & fœlix æternitas, &
æterna beatitudo, & beata tui visio, & lauda-
tio in secula sæculorum. Amen.

XI. *Quando dissolui cupis & esse cum Chri-
sto secundum dictum Apostoli.*

I. **C**HRISTE DOMINE, virtus & sapientia Pa-
tris, qui ponis nubem ascensum tuum,
qui ambulas super pennas ventorum, qui fa-
cis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos
ignem vrentem, obsecro & humiliter rogo, da
præpetes pennas fidei, da celeres alas virtu-
tū, quibus euectus æterna & cœlestia valeam
contemplari. Adhuc quæso anima mea post
te, & suscipiat me dextera tua. Sustollat me
super altitudinem terræ, & cibet me illa cœ-
lesti hæreditate, cui suspirat peregrinatio
mea die ac nocte. Et quia moribunda mem-
bra vigorem animæ hebetant,

*Distice terrenas nebulas & pondera molis,
Siste vagam mentem, per deuia multa ruentem,
Et da cœlestem, mentem concendere sedem :
ut supremo lumine irradiata, terram despi-
ciat, cœlum aspiciat, peccata oderit, iustitiam
diligat. Quid enim pulchrius, quidve dul-
cius, quam inter tenebras huius vitæ, multas-
que amaritudines, diuinæ dulcedini inhiare,
& æternæ beatitudini suspirare, illic teneri
mente, ubi vera haberi gaudia certissimum
est?*

*3. Dulcissime, amantissime, benignissime,
cha*

302 *Meditatio S. Anselmi*,
charissime, pretiosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, quando te videbo? Quando apparebo ante faciem tuam? Quando satiabor de pulchritudine tua? Quando educes me de hoc carcere tenebroso, ut confitear nomini tuo, ita ut deinceps non compungar? Quando transibo in illam admirabilem & pulcherrimam domum tuam, ubi personat vox lætitiae & exultationis in tabernaculis iustorum? Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beati & verè beati, quos elegisti, & assumpisti in illam cœlestem hæreditatem.

3 Ecce Sancti tui Domine florent ante te sicut lilium. Replentur enim ab ubertate domus tue, & torrente voluptatis tue potas eos: quoniam tu es fons vitae, & in lumine tuo vident lumen, usque adeò ut ipsi videlicet lumen illuminatum per te Deum illuminantem, sicut Sol effulgeant in conspectu tuo. O quam mira, quam pulchra, quam acceptabilia sunt domus tue habitacula, Domine virtutum! concupiscit intrare in ea hæc peccatrix anima mea. Domine dilexi decorum domus tue, & locum habitationis glorie tue. Vnam petij à Domino, & hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meæ. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Quando videbo

videbo Deum meum quem fitit anima mea?
Quando videbo eum in terra viuentium? In
ista enim terra morientium, videri non potest
mortalibus oculis.

4 Quid faciam miser ego, grauedine com-
pedis mortalitatis meæ constrictus? Quid
faciam? Dum sumus in corpore, peregrina-
mur à Domino: non habemus hic manente m-
ciuitatem, sed futuram inquirimus. Noster
autem municipatus in cœlis est. Heu mihi,
quia incolatus meus prolongatus est: habita-
ui cum habitantibus Cœdar, multū incola fuit
anima mea. Quis dabit mihi pennas sicut
columbæ, & volabo, & requiescam? Nihil
mihi tam dulce, quam cum Domino meo
esse. Mihi autem adhærere Deo, bonum est.
Da mihi Domine, donec his fragilibus adfistis
membbris, tibi adhærere, sicut scriptum est:
Qui adhæret Domino, unus spiritus est
cum eo.

5 Præbe mihi rogo contemplationis pen-
nas, quibus indutus ad te volitem sursum. Et
quia omne sinistrum deorsum iacet, tene men-
tem meam, ne ad ima tenebrosæ vallis cor-
rrat: ne interueniente umbra terræ à te vero
iustitiae Sole separetur, & adducta tenebra-
rum nebula, prohibeat alia respicere.
Idcirco sursum tendo ad pacis gaudia, lucis
que delectabilem & serenissimum statum.
Tene cor meum manu tua, quia sine te ad al-
tiora non rapitur. Illuc festino, ubi summa
Pax regnat, & ingis tranquillitas rutilat.

Tene

Tene & rege spiritum meum, & assume illum
tu secundum voluntatem tuam: vt te duce
ascendat in illam regionem libertatis, vbi pa-
scis Israël in æternum pabulo veritatis: vt
ibi vel rapida cogitatione attingat te sum-
mam sapientiam, super omnia manentem,
cuncta transeuntem, & omnia gubernantem.
Sed volitanti ad te animæ multa sunt quæ
obstrepunt. Iussu tuo Domine conticescant
mihi omnia. Ipsa sibi anima mea fileat, om-
nia pertranseat, omnia quæ creata sunt trans-
cendat à se, & perueniat ad te, atque in te solo
creatore omnium oculos fidei figat, tibi in-
hiet, tibi intendat, te meditetur, te contem-
pletur, te sibi ante oculos ponat, te sub corde
voluat verum & summum bonum, gaudium
fine fine mansurum.

6 Multæ denique sunt contemplationes,
quibus anima deuota tibi mirabiliter pasci-
tur, sed in nulla earum ita delectatur & re-
quiescit anima mea, sicut in te, & quando te
solum cogitat & contemplatur. Quàm ma-
gna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam
mirabiliter inspiras cordibus amatorum tuo-
rum! quàm mira suauitas amoris tui, quo
perfruuntur illi qui nihil præter te diligunt,
nihil querunt, nihil etiam cogitare concu-
piscunt! Felices illi, quibus tu solus spes es,
& omne opus eorum oratio. Beatus qui se-
det solitarius & tacet, & stat super custo-
diam suam iugiter die ac nocte: vt ad-
huc in hoc fragili corpusculo positus,

prælibare valeat aliquatenus dulcedinem tuam.

7 Rogo te per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es in cruce pro salute nostra: è quibus emanauit ille pretiosus sanguis, quo sumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo & potentissimo telo tuæ nimiae charitatis. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio anticipi. Tu sagitta electa, & gladius acutissimus; qui durum scutum humani cordis penetrare tua potentia vales, confige cor meum iaculo tui amoris: ut dicat tibi anima mea, charitare tua vulnerata sum: ita ut ex ipso vulnera amoris tui: uberrime fluant lacrymæ die ac nocte. Percute Domine, percute obsecro hanc durissimam mentem meam, pia & valida cuspide dilectionis tuæ, & altius ad intimam penetra potenti virtute, & sic de capite meo educ aquam immensam, & de oculis meis verum fontem lacrymarum iugiter manantem, ex nimio affectu, & desiderio visionis pulchritudinis tuæ: ut lugeam die ac nocte, nullam in præsenti vita recipiens consolationem, donec te in cœlesti thalamo merear videre dilectum, & pulcherrimum sponsum meum, Deum & Dominum meum, ut ibi videns gloriosam, admirabilem, & pulcherrimam faciem tuam omni dulcedine plenam, cum iis quos elegisti, maiestatem tuam supplex adorem, & illic tandem cœlesti & ineffabili

effabili repletus iubilo æternæ exultationis,
exclamem cum diligentibus te, dicens : Ecce
quod concipiui, iam video, quod speravi,
iam teneo, quod desideravi, iam habeo. Illi
namque in coelis iunetus sum, quem in terris
positus tota virtute dilexi, tota charitate am-
plexus sum, cui toto amore inhæsi; ipsum
laudo, benedico atque adoro. Qui viuit &
regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

X I I. *Gratiarum actiones Prælati pro benu-
ficijs diuinae misericordia, & petitio di-
uini adiutorij ad officium Præ-
lationis strenue exe-
quenda.*

1 *Spes mea Christe Deus, boniū tu dulcis amator,
Lux mea, vita, salus, pax, & decus omne tuorum,
Omnia pro quorum voluisti ferre salutem,
Carnem, vincla, crucem, vulnus, mortemque, se-
pulchrum.*

*Post tres inde dies deuicta morte resurgens,
Discipulis visus, nutantia corda reformans,
Inde quaterdena cælorum summa petiſſi,
Vivis in æternum, nunc & per secula regnas.*

2 **T**' es Deus meus viuis, Christus meus
sanctus, Dominus meus pius, Rex meus
magnus, Pastor meus bonus, magister meus
verax, adiutor meus opportunus, dilectus
meus pulcherrimus, panis meus viuis, Sa-
cerdos meus in æternum, dux meus ad
patriam,

patriam , lux mea vera , dulcedo mea sancta , vita mea recta , sapientia mea præclara , simplicitas mea pura , concordia mea pacifica , custodia mea tuta , portio mea bona , salus mea sempiterna , misericordia mea magna ; patientia mea robustissima , victimæ mea immaculata , redemptio mea sancta , spes mea firma , charitas mea perfecta , resurrectio mea sancta , vita mea æterna , exultatio , & vita mea beatissima sine fine mansura .

3 Te deprecor , supplico , & oro , ut perficias in me opus cœptum misericordiæ tuæ , ego enim ultimus seruorum tuorum , non immemor beneficiorum miserationis tuæ , quæ mihi peccatori collata sunt , gratias tibi ago , quia me indignum , pro tua sola clementia , ex Christianis parentibus nasci fecisti , & per aquam sancti Baptismatis , & renouationem sancti Spiritus ab originalibus vinculis expedisti , & in tuos adoptionis filios aggregasti ; quoniam mihi rectam fidem donasti , eamque in corde meo semper augere , & confirmare dignatus es per illuminationem gratiæ tuæ , & per documenta sanctæ Matris Ecclesiæ : obsecro que te Domine , & suppli citer rogo , adauge semper in me hanc fidem , fidem veram , & fidem sanctam , Catholica m , & orthodoxam , fidem prudentissimam , & inuidissimam , bonis omnibus , cunctisque virtutibus adornatam , quæ per dilectionem operetur in me , quod tibi placet ; quæ nequeat

nequeat vinci inter verba altercationis in tempore persecutionis, vel in die necessitatis & mortis.

4 Cunctarum fons, & origo, largitor, & conseruator virtutum Deus, auge quæso in me fidem rectam, spem inconcussum, charitatem perfectam, humilitatem profundam, patientiam inuictissimam, corporis, & animæ castitatem perpetuam. Da mihi prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam, discretionem in omnibus, & sensum peruigilera, ut possim inter bona, & mala, inter dexteram, & sinistram, prudenter discernere. Fac me ergo diuitem sacrarum virtutum tuarum, ex quibus tibi seruiam, per quas tibi in veritate placeam; amator enim factus sum pulchritudinis earum per gratiam tuam. Da mihi eas propter honorem, & gloriam nominis tui; coniunge illas fidei meæ, vt sint ei individuæ comites per omne tempus vitæ meæ, vnde rogo fac me per gratiam tuam, semper & in fide stabilem, & in omni opere efficacem: vt fidem tuam, quam lingua mea loquitur, & manu mea scripta testantur, probabilis vita bonis moribus fateatur.

5 Gratias tibi ago Domine, quia me vas vacuum, & inutilem idiotam replesti scientia, & intelligentia, & dedisti semper humilem scientiam, quæ ædificet. Da mihi, & mitissimam, & sapientem eloquentiam, quæ nesciat inflari, & de tuis bonis super fratres extolli. Pone quæso in ore meo verbum consolationis & ædifi-

& ædificationis, & exhortationis per Spiritū
sanctum tuum, ut & bonos valeam ad melio-
ra exhortari, & eos, qui aduersè gradiuntur,
ad tuę rectitudinis lineam rauocare verbo, &
exemplo. Sint verba, quæ dederis seruo tuo,
tanquam acutissima iacula, & ardentes sa-
gittæ, quæ penetrant, & incendant men-
tes audientium ad timorem, & amorem
tuum.

6 Tu pastor, & rector omnium Christe
Deus, qui nullis meis meritis, sed sola digna-
tione misericordiæ tuaæ, vocasti paruitatem
meam ad hoc pastorale officium, propter te,
& nomen tuum fac me idoneum ad hoc mi-
nisterium, ut sapienter domum tuum regam,
& in omnibus secundùm voluntatem tuam
gregem tuum pascere valeam. Tribue pro-
pietate, & bonitate tua, ut efficiar in domo
tua lucerna ardens, & lucens; concede pro-
pter honorem, & gloriam nominis tui, ut
cum multo bono fructu fraternæ societatis,
mercar peruenire ad gloriam tuam: non est
tibi enim quicquam difficile, non aliquid im-
possibile. Velle tuum facere, voluntas tua
opus est. Et ideo corde credo, & ore confi-
teor, quod tu potes & vis opus illud magni-
ficè adimplere per me tantillum: scio, &
certus sum, quod tu vales fructus bonos, &
magnos facere de grege tuo per me exiguum,
& infirmum. Parvulus quippe sum, & nul-
lius virtutis homuncio, nihil habens in me
quod expediat, vel quod dignum sit tanti
officij:

310 *Meditatio S. Anselmi,*
officij : idcirco desperans omnimodis de
paruitate mea, non respiro nisi in sola miseri-
cordia tua.

7 Sed licet sis magnus in magnis, glorio-
sius tamen operaris magna in minimis. Erit
certè tua laus dulcior, & copiosior in ore ho-
minum, cùm per me tantillum operari digna-
tus fueris magna de grege tuo. Mitte ergo
in auxilium meum sanctum Angelum tuum
de cœlis, qui me adiuuans in omnibus, pro-
sperari istud opus faciat in manu mea : ita ut
glorificetur nomen tuum benedictum in me
misero peccatore. Diues in misericordia, lar-
gus in muneribus, qui omnibus omnia tri-
buis, & nihil perdis, da mihi cœlestia &
terrena subsidia ad omnem sufficientiam ; ut
habeam vnde gregem tuum possim pascere,
& sustentare, tam spiritualiter, quam corpo-
raliter, atque venientes in tuo nomine susci-
pere absque vlla hæsitatione, simûlque loca
comissa ordinare, & præparare ad quietem,
& salutem fratrum, sicut decet, & oportet.
Omnia à te hæc postulo Domine Deus no-
ster, quia cuncta bona nostra, dona tua sunt.
Non enim aliunde possumus tibi seruire, ne-
que placere, nisi de tuo munere.

8 At si non fortè est in consilio æternæ
voluntatis tux, vt facias per me de ouibus
tuis fructum bonum, & magnum, obsecro, &
suppliciter rogo, dissolue me à nexu tanti of-
ficij, modis quibus tibi videtur, ordine quo ti-
bi placet. Scis enim omnia, & potes omnia.

Quid

Quid hic facio? Quid moror in his tumultibus, si facturus non sum per gratiam tuam aliquid boni de fratribus salute? Duo à te peto: vnum horum pro tua clementia ne deneges mihi. Rogo te per omnes miserationes tuas, da mihi consolationem tuam cœlestem in multis tribulationibus meis. Pondus enim istud grauissimum, quod impositum est super ceruices meas, ferre non valeo; deponere timeo: angustiæ mihi sunt vndeque, & quid eligam ignoro. Adiutor omnium in te sperantium Deus, ne me deserat pietas tua, ne me derelinquit gratia tua. In te sperantem Deus, & in tua misericordia solummodo confidentem, adiuua me, quia sine te tibi placere non valeo. Quis vñquam sperauit in te; & derelictus est? Non est auditum à seculo. Deus tu es optimus infinitæ pietatis, & immensæ bonitatis; qui in te sperantes nunquam confueristi relinquere. Ostende quæso misericordiam tuâ in me, quia ad te configi, ut videant, qui me oderunt, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

9 Gratias tibi ago Domine, quia me & à vano huius mundi consortio separasti, & ad tuum sanctum officium perduxisti, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordia tua. Benedico te Domine Deus noster, qui mihi das indigno seruorum tuorum societate, & charitate perfaci. Da mihi quietem, & salutem corporis, & animæ, similique opportunam ad te vacationem. Libera me à

me à vanissimis huius mundi implicationibus ad profectum animæ meæ, propter honorem, & gloriam nominis tui; & quia scriprum est, *nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis*, & ab omnibus curarum tumultibus separas animas seruientium tibi, ut tibi soli Dominus vacent die ac nocte: da fructuosum, & spirituale ore abrenuntiantibus mundo; ut ipso cordis palato gustent, & sapient, quoniam dulcis, & suavis es Domine, sicut tua scriptura admonet, dicens, *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* Et alibi, *Sapientiam discite in tempore ory, & qui minoratur aetate ipse percipies eam.* Sed & sacratissima sententia tua ore tuo pio prolata, pleniūs informat nos, & à mundanis curis prorsus prohibet, dicens, *non potestis Deo servire, & Mammonæ.* Etrursum, *nemo mittens manum suam ad aratum, & aspiciens retro, aptus est regno cælorum;* & alibi nos euidenti exemplo retrahere dignaris, dicens: *Mementote uxoris Loth.*

10 Gratias tibi ago misericordissime Domine, qui me miserum multumq; negligentem peccatorem à principio, & à cunabulis per vniuersa penè vitia, & peccata decurrentem, benignè, & patienter adhuc ad poenitentiam expectas, nolens me perdere cum peccatis, vitiis, culpis, & negligentiis meis. Si enim mihi Domine secundum peccata mea facere voluisses, olim me terra viuum absorbere debuisset. Sed rogo pie Domine, ne tua in me expectatio sit vacua, sit, quod absit, infructuosa.

Et uesa. Tu qui non vis mortem peccatoris,
da mihi de præteritis malis meis indulgen-
tiam, de presentibus concede emendationem,
futuris verò largire iugiter custodiam, atque
cautelam. Da locum & spatium ad dignos
pœnitentiæ fructus. Aperi oculos cordis mei
per Spiritum sanctum tuum, ut videam, &
plangam omnia peccata mea. Domine tem-
pus est acceptabile, & dies sunt salutis. Mi-
serere mei Domine, & ne perdas me cum
peccatis meis, ne reserues mala mea punienda
in illa futura vita; in illis infernalibus sup-
pliciis; in illo tremendo examine tuo. Pro-
pter magnam clementiam tuam solue om-
nium peccatorum meorum vincula, prius-
quam ab hac vita egrediar. Da mihi cor con-
tritum, & humiliatum, da mihi grariam lacry-
marum. Da lumen in corde; da vires in cor-
pore; ut quæ agenda sunt videam, & ad ea im-
plenda, quæ videro, fortiter conualescam cun-
ctis diebus vitæ meæ. Miserere mei Domine,
miserere mei. Non permittas hanc animam
peccatricem, pro qua & nasci de Virgine, &
mori in cruce dignatus es; non iubeas quæcunque
separari eam ab hoc mortali corpore, prius-
quam me facias plenè, & perfectè pœnitere,
& plangere omnia peccata mea quæcunque
egi post Baptismum, ab ipsis cunabulis meis,
siue scienter, siue nescienter; siue superbè,
vel negligenter: ita ut in die exitus mei,
emundatis delictis omnibus, & benè correctis
moribus, securus, & gaudens videam dulcissi-
mam,

314 *Meditatio S. Anselmi,*
mam , & pulcherrimam faciem tuam , cum
laetitia , & exultatione propter tuam nimiam
misericordiam,& bonitatem.

11 Gratias tibi ago iterum,iterumque om-
nipotens , & misericors Christe , qui imme-
ritam exiguitatem meam propter te , & nomen
sanctum tuum, de multis angustiis, tribulatio-
nibus, calamitatibus , & infirmitatibus , de
multis foueis, laqueis, scandalo , & peccatis;
de multis insidiis visibilium , & inuisibilium
inimicorum ; de multis malis, & grauissimis
periculis , hactenus liberare dignatus es ; di-
rigens mirabiliter & misericorditer vitam
meam, inter aduersa , & prospera , ita ut nec
aduersa me deiicerent, nec prospera extolle-
rent. Posuisti enim frenum tuum in maxillis
meis , & non dereliquisti me penitus in
manu arbitrij mei , habens curam mei
paterna pietate , & non permitrens am-
plius tentari supra id quod potero sustinere.
Vbi locus fuit peccandi , quandoque non
fuit voluntas , vel quando voluntas, non fuit
locus.

12 Sit itaque tibi laus , sit benedictio , sit
gratiarum actio, Domine Deus meus, pro vni-
uersis tuis donis, & datis, & pro omnibus be-
neficiis tuis, quæ animæ , & corpori meo lar-
giris, & semper largitus es ab ipsis cunabulis,
pro pietate tua , & bonitate, nullis meis
meritis exigentibus, immò peccatis meis grauif-
simis non obstantibus. Sed rogo Domine, ro-
go , ne sis me ingratum esse tantis benefi-
ciis

cūs, & indignum tam multis miserationibus. Non mihi, non diabolo, non mundo, non aliqui rerum, non cuilibet hominum liceat in me tua dona subuertere: quia totum est fragile, quicquid tibi nititur obuiare. Pone quæso magis, magisque frænum tuum in maxillis meis, & trahe me post te tanquam mansuetum animal, in nullo tuis iussionibus recalcitrantem; sed plano moderatōque incessu, te Dominum meum portantem, & voluntati tue in omnibus obtemperantem. Excita Domine torporem meum tuis stimulis, & fac me toto corde, totaque virtute querere faciem tuam cunctis diebus vitæ meæ. Attrahe me ad te, virtus salutis nostræ Deus, fræno potentis gratiæ tue, & non finas me propria voluntate, in arbitrio proprio euagari. Imaginem tuam non finas obscurari, quæ si te præstante defendatur, semper egregia, nobilis, & perspicua est.

13 Miserere Domine mei miserrimi, & indigni serui tui, quia non sum sicut innumeris & multiplices famuli tui, qui tibi ab ipsis cunabulis deuotissime seruierunt. Non sicut illi, qui post publica flagitia pœnitendo, tibi meruerunt esse deuoti. Non sum sicut nonnullæ Christianæ foeminæ viris coniunctæ, quæ tibi seruiunt in actibus misericordie cum summa deuotione. Non sum sicut & multi illorum, qui in oculis hominum tanquam iniqui, & peruersi esse videntur; sed multò aliter habent in conspectu tuo: *Tu enim solus nos*

corda filiorum hominum. Si quid tamen Domine boni facio, aut fecero, tua gratia largiente, quo fine hoc faciam, quaque distinctione a te pensetur, ignoro. Vnde Deus terribilis in consiliis super filios hominum, tuam sanctam, & immensam supplex, & multum tremens deprecor clementiam, ut qui neminem vis perdere, sed omnes saluos facere, non me derelinquas in manu consilij mei, neque in iudicio arbitrij mei, neque in potestate aut tentatione dæmonum, neque in errante iudicio, aut noxio consilio hominum; sed pro bonitate, ac pietate tua, iuxta tuam benignissimam, quæ in sui dispositione falli non potest, prouidentiam, dispone hic, & ubique, nunc & semper, dies vitæ meæ in beneplacito tuo, & dirige per Spiritum sanctum tuum cor, linguam, actusque meos secundum voluntatem tuam in tua misericordia; ut te rectore, te duce illa semper studeam cogitare, loqui, & agere, quæ tibi placent, per gratiam tuam in veritate, & me tandem ad vitam perducant æternam, te miserante, & donante, qui es largitor omnium bonorum, & qui es Deus benedictus cum Patre, & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

XIII. *Ad Iesum Christum, cùm meditatio-*
ne passionis eiusdem, & resurrectionis,
ac ascensionis.

1 **D**omine Iesu Christe, redemptio mea,
misericordia mea, salus mea, te laudo,
tibi gratias ago, quamuis valde impares tuis
beneficiis, quamuis multum expertes devo-
tionis, quamuis macras à desiderata pingue-
dine dulcissimi tui affectus, tamen qualescum-
que gratias, non quales scio me debere, sed
sicut potest conari, tibi persoluit anima mea.
Spes cordis mei, virtus animæ meæ compleat
tua potentissima dignitas, quod conatur mea
tepidissima imbecillitas, tu vita mea, tu finis
intentionis meæ. Et si non merui tantum,
quantum debitor sum amare, utique saltem
desidero te amare, quantum debeo. Illumi-
natio mea, tu vides conscientiam meam, quia
Domine ante te omne desiderium meum,
& tu donas, si quid bene vult conscientia
mea.

2 Si bonum est Domine, quod inspiras,
imò quia bonum est ut te velim amare, da
quod me facis velle. Da ut quantum iubes,
tantum te merear amare, laudes & gratias of-
fero, ne sit mihi donum tuum infructuosum,
quod tua spontanea dedisti voluntate: perfice
quod incepisti, & dona quod me benignè
præueniendo immeritum desiderare fecisti.
Conuerte benignissime meum torporem in

feruentissimum tui amorem. Ad hoc enim clementissime tendit hæc oratio mea, hæc memoria & meditatio beneficiorum tuorum, vt tui accendas in me amorem. Tua me Domine bonitas creauit, tua misericordia creatum ab originali peccato mundauit, tua patientia post emundationem baptismi in aliis peccatorum sordibus inuolutum hæc tenus tolerauit, nutrita, & expectauit. Expeetas tu bone Domine correctionem, expectat anima mea ad pœnitendum, ad bene vivendum, tuæ gratiæ inspirationem.

3 Deus meus, creator meus, tolerator & nutritor meus, te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro & concupisco: & sicut pupillus benignissimi patris orbatus p̄presentia, flens & ciuilans incessanter eius dilectam faciem toto corde amplectitur: sic ego non quantum debedo, sed quantum queo, memor passionis tuæ, memor alaparum tuarum, memor flagellorum, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occisus es, qualiter conditus, qualiter sepultus, simul memor tuæ gloriose resurrectionis & admirabilis ascensionis. Hæc indubitate fide teneo, exilij mei ærumnas degeo, spero tui aduentus solam consolacionem, ardenter desidero tui vultus gloriosam contemplationem. Heu mihi, quia videre non potui Dominum Angelorum, humiliatum ad conuersationem hominum, vt homines exaltaret ad conuersationem Angelorum, cum Deus offensus moriebatur, vt peccator

cator viueret.

4 Heu quòd tam admirabili, tam inæstimabili pietati præsens obstupescere non merui. Cur ô anima mea, te præsertim non transfigit gladius doloris acutissimi, cùm ferre non posses vulnerari lancea latus tui Saluatoris, cùm videre nequires violari clavis pedes & manus tui plasmatoris cùm horreres se effundi sanguinem tui redemptoris? Cur non es inebriata lacrymarum amaritudine, cùm ille potaretur amaritudine fellis? Cur nō es compassa castissimæ Virgini dignissimæ matri eius, dignissimæ Dominæ tuæ?

5 Domina mea misericordissima, quos fontes dicam erupisse de tuis pudicissimis oculis, quum attenderes unicum filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari, & mactari? Quos fletus credam perfudisse piissimum tuum vultum, cum suspiceres eundem filium tuum Deum, & Dominum tuum in cruce fine culpa extendi, & carnem de carne tua ab impiis crudeliter dissecari? Quibus singuljbus æstimabo purissimum pectus tuum vexatum esse, cùm tu audires: Mulier, ecce filius tuus. Et discipulus: Ecce mater tua. Quum acciperes discipulum pro magistro, seruum pro Domino? Vtinam cum felice Joseph Dominum meum de cruce deposuisse, aromatibus condidisse, in sepulchro collocasse, vt saltēm prosecutus, vel consecutus essem, vt tanto funeri non defuisset aliquid mei obsequij. Vtinam cum beatis mu-

lieribus corusca visione Angelorum esse
territus, & audissem nuntium Dominicæ re-
surrectionis, nuntium meæ consolationis,
nuntium tam expectatum, nuntium tam desi-
deratum. Utinam, inquam, audissem ex ore
Angeli: Nolite timere, vos Iesum quæritis
crucifixum, surrexit, non est hic.

6 Benignissime, suauissime, serenissime,
quando restaurabis mihi, qui non vidi illam
beatæ tuæ carnis incorruptionem? Quia
non fui deosculatus loca vulnerum, fixuram
clavorum? Quia non respersi lacrymis gau-
dij cicatrices corporis veri? Admirabilis,
inæstimabilis, quando consolaberis & com-
pesces me à dolore meo? Non enim cadit à
me dolor meus, quamdiu peregrinus sum à
Domino meo. Heu mihi Domine, heu animæ
meæ. Recessisti consolator animæ meæ, nec
valedixisti. Ingrediens vias tuas benedixisti
tuis, nec affui. Eleuatis manibus à nube sus-
ceptus es in cœlum, nec vidi. Angeli promi-
serunt te redditum, nec audiui. Quid di-
cam? quid faciam? quò vadam? vbi eum
quærar, vel quando inueniam? Quem ro-
gabo? quis nuntiabit dilecto, quia amore
langueo? Defecit gaudium cordis mei, ver-
sus est in iuctum risus meus. Defecit caro
mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars
mea Deus in æternum. Renuit consolari ani-
ma mea, nisi de te, dulcedo mea. Quid enim
mihi est in cœlo, & à te quid volui super ter-
ram? Te volo, te spero, te quero, tibi dixit

cor

cor meum : Quæsiuī vultum tuum, Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me.

7 Amator hominum benignissime , tibi derelictus est pauper , orphano tu eris adiutor. Mi aduocate tutissime, miserere mei orphani derelicti , pupillus faetus sum absque patre , anima mea quasi vidua. Respice orbitatis & viuitatis meæ lacrymas , quas tibi offero donec redeas. Eia iam Domine, eia appare mihi , & consolatus ero. Exhibe præsentiam tuam , & consecutus ero desiderium meum. Reuela gloriam tuam , & erit perfectum gaudium meum. Sitiuit in te anima mea , quam multipliciter tibi caro mea. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? Quando venies consolator meus, quem expectabo ? O si quando videbo gaudium meum, quod desidero. O si satiabor quum apparuerit gloria mea quam esurio. O si ineberiabor ab vbertate domus tuæ, ad quam suspiro ; si potabis me torrente voluptatis tuæ quem sitio. Sint mihi Domine interim lacrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi, ecce Deus tuus : donec audiat anima mea , ecce sponsus tuus. Pasce interim me singultibus meis , refocilla me doloribus meis. Veniet fortasse redemptor meus, quia bonus est : nee tardabit, quia pius est, ipsi gloria in sœcula sœculorum. Amen.

XIV. *Ad Deum, cum collatione malorum
& bonorum quæ ab eo recipimus.*

Deus piissime, Deus clemens, & misericors, propitiare peccatis nostris, & præsta ut peccata quæ vel auctore mortis instigati, vel propria voluntate commisimus, non ad iudicium tuum discutienda referues, sed concessa gratia, de sola tantum venia gratuemur... Quia si ante oculos tuos Domine, culpas quas fecimus, & plagas quas excipimus, conferamus, minus est quod patimur, maius est quod meremur. Peccati poenam sentimus, & peccati pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis fragilitas nostra frangitur, & iniquitas nostra non mutatur. Mens ægra torquetur, ceruix dura non flectitur, vita in dolore suspirat, & in opere non emenda. Si expectas, non corrigimur, si vindicas, non duramus. Confitemur in corruptione quod fecimus, obliuiscimur in visitatione quod flewimus. Si impresseris manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non facimus. Si ferias, clamamus ut parcas, si parcis, iterum pronocamus ut ferias. Si angustia veniat tempus petimus poenitendi, si misericordia nos respexit, abutimur patientia quæ perpercit. Adhuc illata plaga vix pateriit; & iam non recolit mens ingrata quod pertulit. Si citius non exaudias, ex misericordia insolescimus; si tardius, ex impa-

impatientia murmuramus. Te volumus seruare quod promiseris, & nos non timemus non obseruare quod iusserris.

2 Habes ergo Domine confitentes reos, parce quia pius es. Nonimus quia nisi remittas, recte nos punias. Sed apud te est multa miseratio, & propitiatio superabundans. Præsta ergo sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui rogarent. Clamantium ad te Domine nostri miserere, moueat pietatem tuam vox fidelis atque flebilis; atque illa de qua totum speramus misericordia, non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus. Et cum grandis sit miseria, esse nos reos, maior sit tibi clementia, esse nos miseros. Tuo supplices auxilio, ante te & criminis nostri mala ponimus, & dolores; & à te, precando, misericordiam quam peccando repulimus, expectamus. Da igitur Pater piissime, ut ea quæ commisimus defleamus, ac per totius diei vel noctis spatia, ab omnibus malorum incursibus liberos tuæ pietati seruire concedas. Præstetur nobis de indulgentia tua, quod rogaris accipere, quos ignoscis, de nostra iustitia fiduciam non habere. Erige nos Domine Deus noster, & alleluia in misericordia tua, ut communione salutis & gaudio charitatis, dum ipsi saluari ex munere cupimus, etiam fide & pace cunctarum gentium gaudeamus.

XV. *Lauds Christi cum gratiarum actione deuota.*

1. **T**ibi ago laudes & gratias Deus meus, misericordia mea, qui me ad tuam cogitationem perducere, & per sacri baptismatis ablutionem inter adoptionis filios aggredire dignatus es. Tibi ago laudes & gratias, qui me ab ipsis rudimentis infantiae, usque ad hanc horam per multa defluentem peccata, immensae bonitatis tuae patientia ad emendationem expectas. Te laudo & glorifico, qui me brachio virtutis tuae, de multis angustiis, calamitatibus, & miseriis, frequenter liberaisti; qui me haec tenus de aternis suppliciis & de corporis huius cruciatibus eruisti. Te laudo & glorifico, qui mihi sospitatem membrorum, tranquillitatem temporum, amorem, affectum & charitatem seruorum tuorum in me, quae sunt dona tuae pietatis, conferre dignatus es.

2. Sancte sanctorum qui sanctificas omnia, benedico te, glorifico te, adoro te, gratias tibi ago. Benedicant te omnes creaturae tuae, benedicant te omnes Angeli & Sancti tui. Sic benedicam te in vita mea. Adoret te, & glorificet, & benedicat omnis interior & exterior compago mea. Salus mea, lux mea, illuminatio mea, benedicant te oculi mei, quos fecisti & preparasti ad contemplandam speciem serenitatis tuae. Dulcedo mea, deliciatio

Etatio mea, benedicant te aures meæ, quas fecisti & præparasti ad audiendam vocem iucunditatis tuæ. Suauitas mea, recreatio mea, benedicant te nares meæ, quas fecisti ut vivant, & delectentur in odore vnguentorum tuorum. Laus mea, canticum meum nouum, exultatio mea, benedicat te & magnificet lingua mea, quam fecisti & præparasti, ut enarrarem mirabilia tua. Sapientia mea, meditatio mea, consilium meum, adoret te semper & benedicat cor meum, quod præparasti & dedisti mihi ad dignoscendas inestimabiles miserationes tuas. Vita mea, beatitudo mea, benedicat te licet peccatrix anima mea, quam fecisti & præparasti ad perfruendum bonis tuis.

3 Adorande, tremende, coleande, pater metuende, benedico te, quem amavi, quem quaesiui, quem semper optavi. Deus meus, amator meus, te sitio, te esurio, te desidero, te supplico, te totis visceribus, totisque gemitibus concupisco. Et sicut mater vni filij sui orbata præsentia sedet ad locum monumenti eius, plorans semper & eiulans, sic & ego non quantum debeo, sed quantum valeo, memor passionis tuæ, memor alaparum, memor flagellorum, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occisus es, qualiter conditus es, qualiter sepultus, & ubi, sedeo cum Maria plorans ad monumentum mentis meæ. Vbi te fides sepeliuit, spes querit ut inueniat, charitas ut perungat. Benignissime, serenissime,

sua

suauissime, quis mihi det ut inueniam te foris
& deosculer, & respergam lacrymis loca vul-
nerum, fixuras clauorum? Filiæ Ierusalem
auntiate dilector, quia amore laugueo. Appa-
reat mihi, ostendat se mihi. Vocet me nomine
meo, compescat me à dolore meo.

4 Non enim capit in me dolor meus,
quandiu peregrinus sum à te Deus meus. Age
iam Domine, reuela faciem tuam, ostende sup-
plicibus misericordiam tuam. Scimus pera-
ctam resurrectionem, declara in oculis nostris
beatam incorruptionem. Admirabilis, inæsti-
mabilis, incomparabilis, te volebam, te spera-
bam, te quærebam. En ipse venis purpuratus,
rubrum est indumentum tuum. Lauisti in vi-
no stolam tuam, & in sanguine vuæ pallium
tuum. Percussisti caput de domo impij, eges-
sus in salutem populi tui.

5 Mane nobiscum Domine, mane vel vñ
que mane. Fruamur interim præsentia tua.
Letemur atq; delectemur in resurrectione tua.
Ingruunt tenebræ, vrget diem vesper. Illumi-
net vultum suum super nos Sol noster, lumen
nostrum, Christe Deus noster. Sed quid agis,
heu mi Domine; heu animæ meæ? Quid di-
cam, vel quid faciam, aut quò vadam? Iam
iam eleuas manus tuas. En ipse ingredieris
vias tuas. Occurrunt cœli, sternuntur poli,
paratur nubes ascensuro; ego tibi solas orbi-
tatis meæ lacrymas offeram recessuro. Erunt
lacrymæ meæ panes mihi die ac nocte. Pa-
scar fletibus meis, potabo animam meam
doloribus.

doloribus meis. Deficiet in dolore vita mea,
& anni mei in gemitibus. Quid enim mihi
est in cœlo, & à te quid volui super terram?
Anima mea desiderabit te in nocte, sed & spi-
ritus meus in p̄t̄cordiis meis de mane vigi-
labit ad te. Venies ad nos interim Domine,
quoniam bonus es, nec tardabis, quia
pius es. Tibi gloria in sæcula sæculorum.
Amen.

XVI. *Petitio charitatis, & vota pro
amicis.*

Dulcis & benigne Domine Iesu Christe, qui exhibuisti charitatem, qua maiorem nemo habet, & cui parem nemo habere potest; qui nihil debebas morti, & tamen plam animam tuam pro seruis & peccatori-
bus posuisti, & pro ipsis interfectoribus tuis orasti, ut eos fratres tuos & iustos faceres, & reconciliares misericordi patri tuo, & tibi. Tu Domine qui tantam charitatem præcepisti amicis tuis. Bone Domine quo affectu recogitabo inæstimabilem charitatem tuam? Quid retribuam immenso beneficio tuo? Transcendit enim omnem affectum dulcedo tuæ benignitatis. Vincit omnem retributio-
nem magnitudo tui beneficij. Quid ergo re-
tribuam creatori & redemptori meo? Domine,
Deus meus es tu, honorum meorum non eges. Tuus
est enim orbis terra, & plenitudo eius. Quid ergo ego mendicus & pauper, ego vermis
& cinis,

3:8. *Meditatio S. Anselmi,*
& cinis, quid retribuam Deo meo nisi ut
ex corde obediam præcepto eius? Est
autem præceptum tuum ut diligamus in-
uicem.

2 Bone homo, bone Deus, bone Do-
mine auice, bonum totum quicquid es,
huic præcepto tuo desiderat obedire humilis
& contemptibilis seruus tuus. Tu scis Do-
mine, quia dilectionem quam iubes amo,
amorem diligo, charitatem concupisco. Hanc
peto, hanc quæro, propter hanc pulsat & cla-
mat hic pauper & mendicus tuus ad ianuam
misericordiae tuæ. Et in quantum iam acce-
pi dulcem eleemosynam gratuitæ largitatis
tuæ, diligens omnem hominem in te & pro-
pter te, quamvis non quantum debeo, nec
quantum desidero, omnibus exoro clemen-
tiam tuam. Sunt tamen plures quorum dilec-
tionem sicut specialiter & familiariùs cordi
meo impressit amor tuus, ita ardentius bene
desidero illis, & deuotius opto orare pro
illis. Vult, vult pie Domine, vult seruus tuus
orare te pro amicis suis, sed reuocatur reus
tuus à delictis suis. Qui enim mihi veniam
exorare non sufficio, qua fronte gratiam tuam
aliis rogare præsumo? Et qui anxius inter-
cessores quæro, qua fiducia pro aliis interce-
do? Quid faciam Domine Deus, quid fa-
ciam? Tu iubes me orare pro illis, & dilec-
tio concupiscit; sed reclamante mihi con-
scientia, ut pro meis peccatis sollicitus sim,
pro alienis loqui contremisco. Dimittam
ergo

ergo quod iubes , quia feci quod prohibes ?
Imò quia præsumpsi prohibita, amplectar im-
perata, si fortè obedientia sanet præsumptio-
nem , si fortè charitas operiat multitudinem
peccatorum meorum.

3 Oro ergo te pie & bone Dens , pro iis
qui me diligunt propter te , & quos ego dili-
go in te , & pro illis deuotiùs , quorum erga
me dilectionem , & erga quos meam tu nosti-
fynceritatem. Non hoc ago Domine mi, quasi
iustus , securus de peccatis meis , sed qualis-
cumque charitate sollicitus pro alienis. Dili-
ge ergo eos tu fons dilectionis , qui præcipis ,
& das mihi ut diligam eos. Et si oratio mea
non meretur prodeesse illis , quia tibi offertur
à peccatore , valeat illis , quia fit te iubente
auctore. Propter te ergo tu auctor & dator
charitatis , propter te ergo , non propter me
dilige eos , & fac ut ipsi te toto corde , tota-
mente,tota anima diligent , vt sola quæ tibi
placent,& illis expediunt,velint,loquantur &
faciant. Nimis tepida Domine mi , nimis te-
pida est oratio mea , quia parum feruida est
charitas mea. Sed ne metiaris eis, tu diues in
misericordia , beneficium tuum secundùm
torporem meæ deuotionis, sed sicut tua benig-
nitas superat omnem humanam charitatem,
ita tua exauditio transcendat affectum meæ
supplicationis. Fac illis & de illis Domine ,
quod ipsis expedit secundùm tuam volunta-
tem , vt sic à te regantur & protegantur sem-
per & ubique , quatenus ad gloriosam & ad
æternam

XVII. *Facula ad Deum pro ini-
miciis.*

1 **O** Mnipotens & pie Domine Iesu Christe, quem opto propitiam amicis meis, coram te est quid exoptet cor meum inimicis meis. Tu enim scrutans corda & renes Deus, tu penetras secreta mentis meæ. Tibi enim paret si quid in anima serui tui seminasti, quod tibi sit offerendum; nec latere te potest, si quid & ego & inimicus homo seminauimus ibi, quod igne sit comburendum. Ne despicias benignissime Deus quod tu seminasti, sed fove, & auge, & perfice, & conserua. Quia sicut nihil boni potui incipere sine te, ita nec possum consummare, vel custodire absque te. Ne me iudices misericors Deus, propter id quod tibi displicet in me, sed aufer quod non posuisti, & salua animam quam creasti. Non enim ego corrigere me possum sine te, quia cum boni sumus, tu ipse facis nos, & non ipsi nos. Nec tolerare poterit anima mea, si secundum suam nequitiam iudicaueris eam.

2 Tu ergo Domine, qui solus es potens, tu qui solus misericors, quicquid ipse facis me desiderare inimicis meis, & illis tribue, & mihi retribue. Et si quid aliquando exopto illis extra regulam charitatis, aut ignorantia,

aut

aut infirmitate, aut malitia; bone Domine, hoc ne illis tribuas, nec mihi retribuas. Qui es lux vera, illumina cæcitatem illorum. Qui es summa veritas, corrige errorem eorum. Qui es vita vera, vivifica animas eorum. Tu enim dixisti per dilectum discipulum tuum, *quia qui non diligit, manet in morte.* Ora ergo Domine, ut quantum iubes haberi, dones eis tui & proximi charitatem; nec habeant coram te super fratre suo peccatum.

3 Absit ô pie Domine, absit ne sim fratribus meis occasio mortis, ne sim illis petra scandalii & lapis offensionis. Satis enim & plusquam satis est, mi Domine, quod mihi ipsi sum scandalum; sufficit mihi meum peccatum. Obscurat te seruus tuus pro conseruis suis, ne offendant benignantem tam magni, tam boni Domini propter me, sed reconcilientur tibi, & concordent mihi secundum voluntatem tuam propter te. Hæc est vindicta, quam vult exigere secretum cordis mei, de conseruis & inimicis & compediatoribus meis. Hæc est poena, quam orat anima mea de conseruis & inimicis meis, ut te, & inuicem, sicut tu vis & nobis expedit, diligamus: ut bono Domine, sicut pro nobis ipsis, ita & pro inuicem satisfaciamus ut communii Domino; & commune bonum magistra charitate concorditer consequamur. Hanc vltionem poscit preparari omnibus maleuolis & malefactoribus suis hic peccator tuus. Hanc etiam prepara tu Domine

Clemen

clementissime peccatori tuo. Age ergo bone creator & misericors iudex meus, age per inestimabilem misericordiam tuam, dimitte mihi omnia debita mea, si & ego coram te dimitto omnibus debitoribus meis. Et si nondum, imò quia nondum id perfectè ad tuum examen facit, sed facere vult, & vim sibi faciendo, pro te, quod potest, efficit spiritus meus, & hoc ipsum tibi offero, vt & tu velis perficere dimittere mihi peccata mea, & sicut potes indulgeas animæ meæ.

4 Exaudi me, exaudi magne Domine, & bone Domine, cuius amoris affectu se pacere desiderat, sed satiare se de te non potest famelica anima mea: ad quem inuocandum non inuenit os meum nomen, quod sufficiat cordi meo. Nullum enim verbum hoc mihi sapit, quod te donante affectus meus de te capit. Oraui Domine, vt potui, sed plus volui quam potui. Exaudi, exaudi tu sicut potes, qui quiduis potes. Oraui vt infirmus & peccator, exaudi, exaudi tu sicut potens & miserator: & non solùm amicis & inimicis meis quæ precatus suum tribuas, sed sicut scis vnicuique expedire, & voluntati tuæ non disconuenire, omnibus viuis & defunctis misericordiæ tuæ remedia distribuas, & me non sicut vult cor meum, nec sicut petit os meum, sed sicut scis & vis me debere velle & petere, semper exaudias, Saluator mundi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XVIII. *Propatre, & matre, & paren-*
tibus, & amicis.

I Domine Deus, qui mirabiliter cuncta condidisti, & tua dispositio ne creasti omnia, qui missisti conditionem propagandæ sobolis ex viro & foemina esse, & præcepisti dilectionem circa patrem & matrem exhibendam, exaudi me miserere oris Deus clamantem ad te pro salute genitoris mei & genetricis meæ, quos & tua prouidentia mihi humillimo præparare dignatus es, seu pro fratribus meis ac sororibus, omnibusque qui mihi peccatori ex carnali consanguinitate, vel familiaritate, vel promissione vel commissione coniuncti sunt, tam viuis quam defunctis, quorum nomina & merita tibi Domino Deo vniuersorum cognita sunt; ut defunctis vitam æternam concedere digneris, & viuentes ab omni malo defendas, & in viam salutis eos disponas, quatenus per veram confessio nem; veramque emendationem suorum omnium delictorum peccata dimittas, ut carne exuti, coelesti participatione effiantur hæredes.

2 Exaudi me miserum, clementissime Deus, supplicantem ad te pro animabus famulorum familiariumque tuarum, qui mihi bene volunt, & faciunt, & seruiunt, & qui mihi suas elemosynas largiti sunt, & de quibus elemosynas recepi, quorum nomina tibi Domino Deo

Deo vniuersorum cognita sunt, & qui se meis
orationibus commendauerunt : vt eis tuæ
misericordiæ beneficia impendas, & in loco
tibi placentium collocare digneris, Saluator
mundi, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto
viuis, & regnas, &c.

XIX. *Ad Spiritum sanctum.*

O Diuini amor numinis, Patris omni-
potentis, prolisque beatissimæ sanctæ
communicatio, omnipotens paraclete Spir-
itus, mœrentium consolator clementissime,
iam cordis mei penetralibus potenti illa-
bere virtute, & tenebrosa quæque laris
neglecti latibula corusci luminis fulgore
habitato, lætifica, tuique roris abundan-
tia longo ariditatis marcentia squallore vi-
stanto fœcunda. Saucia interioris homi-
nis arcana tui amoris iaculo, & torpen-
tis medullas iecoris flammis salutaribus pe-
netrando succende, sanctique ferooris igne
illustrando, intima mentis, & corporis
vniuersa depasce. Pota me torrente volu-
ptatis tuæ, vt nil iam mundanorum de-
gustare libeat venenatæ dulcedinis. Iudica
me, Domine, & discerne causam meam de
gente non sancta, doce me facere volunta-
tem tuam, quia Deus meus es tu. Credo
ergo, quod quemcumque inhabitaueris, Pa-
tris, ac pariter Filij domicilium condis.
Beatus, qui te merebitur hospitem : qui per

per te Pater & Filius apud eum facient mansionem.

2 Veni iam , veni benignissime dolentis animæ consolator , protegens in opportunitatibus , in tribulatione adiutor . Veni mundator scelerum , curator vulnerum . Veni fortitudo fragilium , releuator labentium , veni humilium doctor , superborum destructor . Veni orphanorum pius Pater , viduarum dulcis Iudex . Veni spes pauperum , refocillator deficientium . Veni nautigantium sydus , naufragij portus . Veni omnium viuentium singulare decus , morientium vnica salus . Veni sanctissime Spiritus , veni , & miserere mei , apta me tibi : & concede propitius mihi , ut mea tuæ magnitudini exiguitas , roborigue tuo mea imbecillitas , secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum , per Iesum Christum Salvatorem meum , qui cum Patre in tua uitate viuit , & regnat in secula seculorum . Amen .

X X . *Ad totam sanctam Trinitatem .*

1 **A** Desto sancta Trinitas , Deus unus omnipotens , Pater , & Filius & Spiritus sanctus , qui non mortem , sed pœnitentiam desideras peccatorum , me miserum , & peccatorem fragilem , & indignum à tua non repellas pietate . Non aspicias ad scelerâ mea , & immundicias , turpèisque cogitationes ,

tationes, quibus flebiliter à tua disiungor voluntate ; sed effunde super me largam benignitatis tuæ clementiam. Nec finas de interitu meo inimicos meos gratulari in inferno , vbi nemo confitebitur tibi, sed miserare pondere facinorum oppressum , cunctarumque nequitarum labe pollutum. Concede mihi, quæso, misero gratiam tuam , & libera me ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris, à subitanæ, & perpetua morte, ab omni pestilentiæ, & clade, ab omni scandalo , & periculo, à desiderio maligno, ab opere peruerso, & ab omni peccato. Dele omnia crimina mea, iniquitates, offensiones, & negligentias meas. Propitiare mihi in omnibus angustiis , & tribulationibus , in necessitatibus , & tentationibus , in omnibus periculis , & infirmitatibus meis.

2 Sancta & indiuidua Trinitas, indeficiens bonitas, adesto supplicationibus meis, vt sicut me tuis Sacramentis fecisti participem, nullis meis meritis, sed tua sola benignitate gratuita; ita vsque in horam illam , qua hinc exiturus sum, in fide, spe, & charitate me perseuerare facias, ab omni malo protegas, & defendas, omnia mihi profutura concedas, ab æternæ supplicio liberes , atque ad sempiterna gaudia introducas , & illam mortiferam , ac diabolicam temptationem , qua pro peccatis meis super me pertimesco præualere, tua miseratione, clementissime, amodò facias cessare. Trine Deus & vne , humili seruuli tui

preces

preces nunc suscipe. Dona mihi, Domine,
diligentiam, quæ te querat; sapientiam, quæ
te inueniat; animam, quæ te agnoscat; oculos,
qui te videant; conuersationem, quæ tibi
placeat; perseverantiam usque in finem, fi-
nem perfectum, retributionem æternam.

3 Exaudi me orantem, sicut exaudisti Io-
nam de ventre ceti: libera me, qui liberasti
Susannam de falso crimine. Exaudi me, sicut
exaudisti Petrum in mari, Paulum in vinculis.
Auxiliare mihi, queso Domine, & ab omni
malo indesinenter libera me, à faucibus dæ-
monum eripe, à morte perpetua subtrahe,
gratiæ tuæ abundantia reple: pectus meum
tua virtute muni, mentem purifica, vitam san-
ctifica, mores emenda, cor cœlesti sapientia
illustra, æstum carnalem tempera, iram extin-
gue, linguam à vaniloquio compesce, verba
veritatis, & misericordiæ, benignitatis, & con-
cordiæ, procedant ex ore. In vniuersa morum
honestate ad plenum nœ dirige, & ne arguar
in furore: confirma me, clementissime, in
omni bono opere.

4 Tibi, Domine, pando cordis mei secre-
ta; tibi confiteor omnia peccata mea. Tibi
denudo foeditatem cordis mei, tibi detego
fordes turpitudinis meæ. Durius namque
peccaui, quam Sodoma; grauius deliqui, quam
Gomorrha. Tibi debitor sum non tantum
decem millium talentorum criminum meo-
rum, sed totius vitæ meæ rationem tibi de-
beo; præuaricator enim legis tux factus sum

præ omnibus, negligens, inobediens, trans-
gressor omnium mandatorum tuorum in om-
ni vita mea. Vnde nunc præuenio faciem
tuam in confessione, exorans nimia cordis
anxietate, fletuum, & lacrymarum contritio-
ne, vt in hoc tempore accepto exaudias me,
& in iis diebus salutis adiuues me. Omnes
actus meos in beneplacito tuo compone, vt
proficiam de die in diem, & eam de virtute
in virtutem. Tibi, Domine, supplices preces,
tibi fletum cordis effundo. Tu parce con-
tent, vt sic in hac mortalitate (te adiuuante)
peccata mea defleam, vt in die iudicij sen-
tentiam damnationis euadam. Tu lumen
æternum, ab omni cæcitate humana ocu-
los meos adaperi, propositum, & habi-
tum religionis in me custodi. Ab omni im-
pedimento mundi, vel sæculari desiderio
cor meum defende, & sicut habitum gero
innocentia, sic mihi virtutum incrementa
tribue, vt veterem cum suis actibus homi-
nem exuere, & nouum cum iustitia, & san-
ctitate merear induere, vt in omnibus protec-
tionis tuæ munitus auxilio, in tua semper di-
lectione permaneam, cœlestem benedictio-
nem accipiam, & præsentis vitæ præsidiis (te
donante) gaudeam, & æternæ. Amen.

3 Immensam misericordiam tuam, miseri-
cors Deus, & miserator, iterum exoro; re-
mitte mihi omnes lubricæ temeritatis offen-
sas, vt anima mea benignitatis tuæ dulcedine
repleatur, & concessa venia plenæ indulgen-
tiæ,

tiæ, quidquid pro proprio reatu deliqui, totum per ineffabilem pietatem dele, & absterge. Nec sit à me clementiæ tuæ longinqua miseratio; sed quidquid tuæ voluntati contrarium, fallente diabolo, & propria iniquitate, atque fragilitate contraxi, tu pius, & misericors ablue indulgendo. Sana vulnera, cunctaque remitte peccata, vt nullis à te iniquitatibus separatus, sed semper hic, & ubique defensionis tuæ auxilio munitus, tibi Domino semper valeam adhærere, & perpetuæ gloriæ quandoque portionem percipere, quam oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit, quæ preparasti diligentibus te. Amen.

6 O lux beata Trinitas, & principalis unitas, auge in nobis fidem, auge spem, auge charitatem, libera nos, salua nos, iustifica nos. O beata Trinitas, solue crima, dimitte peccata, miseras pelle, angustias amoue, tribulaciones inspice, aduersitates pelle, effectumq; petitionis nostræ largiens, clementer nos exaudi: vt exuti ab omnibus, quæ patimur, malis, in tuis semper delectemur exultare iudiciis. Adueni quæso, pie Domine, & in medium nostri consiste, vt te inuenire in cordibus nostris sentiamus. Oris nostri confessionem libenter suscipe, & fructum nos viriditatis habere concede, quatenus tuis imbris irrigati, mereamur tibi suauium fructuum vberitate placere, vt in tui amoris accendantur illustratione, & veræ charitatis illu-

minensur igne. Et sicut Moysem famulum tuum mirabili illuminasti splendore, ita corda, & sensus nostros illuminare digneris, ut peccatorum labe expiati ad te, qui æterna vita es, peruenire mereamur. Da gaudiorum præmia, da gratiarum munera, dissolute litis vincula, astringe pacis fœdera. Illumina cor hominum, absterge fôrdes mentium, resolute culpæ vinculum, cuerte moles criminum.

7 Peccauimus tibi, Domine, patientiam habe in nobis, & erue nos à malis, quæ quotidie accrescunt super nos. Iniquitates nostræ, Domine, multiplicatæ sunt super capita nostra, delicta nostra creuerunt usque ad cœlos. Parce, Domine, & inclina super nos misericordiam tuam. Domine, imminuti sumus propter peccata nostra hodie, sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur, & fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam, quia non est confusio confidentibus in te, Domine. Non est aliud præter te, Domine, & tibi de omnibus cura est, eo quod Dominus omnium es. Parce populo tuo, qui das precantibus largitatem, ut conuertatur malitia in bonitatem. Exaudi, Domine, deprecationem seruorum tuorum, & miserere populo tuo, ut sciant omnes gentes, quia tu es Deus sæculorum. Miserere ciuitati sanctificationis tux, Domine Deus noster. Miserere plebi tux, Domine, super quam inuocatum est nomen tuum sanctum, ut sciant omnes, qui habitant

bifant terram, quia tu es Deus protector
populorum tuorum. Dimitte, Domine, pec-
cata populi tui, secundum multitudinem
misericordiae tuae. Sicut propitiatus fuisti pa-
tribus nostris, propitiatus esto & nobis, ut im-
pleatur gloria tua in vniuersa terra.

5 Exaudi, Deus, deprecationem nostram,
& propitiatus esto populo tuo, & conuerte tri-
bulationem nostram in gaudium, ut viuentes
benedicamus te, Domine. Deprecamur te,
Domine, in omni misericordia tua, ut aufera-
tur furor tuus, & ira tua à ciuitate ista, & à
domo sancta tua, quoniam peccauimus. In-
clina, Domine, aurem tuam, & audi; respice
de cœlo, & vide afflictionem populi tui.
Exaudi, Domine; propitiare, Domine, intende,
ne tardaueris, quia nomen sanctum tuum in-
uocatur super nos. Multa sunt, Domine, pec-
cata nostra; tibi peccauimus; patientia Israël;
libera nos, Domine, in tempore angustie no-
stræ. Peccauimus, Domine, & tu iratus es no-
bis, & non est qui effugiet manum tuam; sed
supplicamus, ut veniat super nos misericordia
tua. Qui Ninius pepercisti, miserere nobis.
Reminiscere miserationum tuarum, Domine,
& quos hic usque toleras, ad pœnitentiam
compunge. Propitiare, Domine, omnibus
Christianis viuis, & defunctis. Auxiliare op-
timis, ut in bonitate semper consistant.
Miserere bonis, & mediocribus, ut melio-
res fiant. Succurre prauè agentibus, & de-
linquentibus, ut citò se corrigant. Propitiare

etiam, Domine, hæreticis, & schismatis-
cis, Iudeis, & Paganis, ut reuertantur à
viis suis malis, & cognoscant te Deum
viuum, & verum, qui fecisti cœlum,
& terram, mare, & omnia quæ in eis
funt. Miserere omnibus fidelibus defun-
ctis, dans eis vitam beatam propter pietatem
tuam.

9 Memento nostri, Domine, in graui-
sto corpore, conuertat ut benignitas, quos
longa sustinuit pietas. Miserere nostri, Deus
omnium, & respice nos, & ostende nobis
lucem miserationum tuarum. Nos miseri,
nos sumus opera tua, quæ dedisti Filio tuo
in hæreditatem sibi. Noli claudere aurem
tuam ad preces nostras, sed subleua clemens
afflictionem populi tui, illud reuoluens,
quod pollicitus es dicens: *Conuertimini ad
me, & ego reuertar ad vos.* Memento no-
stri, Domine, memento nostri, ut effi-
ciamur hæredes regni tui, & videntes
gloriam tuam, adoremus bonitatem tuam,
& dicamus pariter, cùm videbimus in-
estimabilem pulchritudinem tuam: Gloria Pa-
tri, qui fecit nos; gloria Filio, qui salua-
uit nos; gloria Spiritui sancto, qui reno-
vauit nos, per infinita sæcula sæculorum.
Amen.

XXI. *Ad beatam Dei genitricem Mariam,
cum recordatione meritorum eiusdem,
& malorum nostrorum.*

O Beatissima, & sanctissima semper Virgo Maria, ecce adsto mōerens antē faciem pietatis tuæ, & confundor nimis pro abominationibus peccatorum meorum, quibus deformis factus sum, & horribilis coram Deo, & te, & Angelis eius, & Sanctis omnibus. Expauesco vehementer iudicium extremum damnationis, quando vnicuique diuinitus reddetur, prout gessit, siue bonum, siue malum. Et quia propter hoc timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ malorum actuum meorum, & intueor me leprosum, & immundum, id cīcō me dignum scio separari à societate fidelium, quos à me discernit candor, & puritas castitatis: propterea flens, & ciulans deprecor, Domina, quatenus à me quadrigua mortuo, intolerabili foetore iam pleno, faciem tuam non auertas, sed potius aspicias quam graui ulcere percussus sum, & consideres qualiter me cœlesti medicamine cures, atque Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, cuius tu mater es, & qui de te natus est, me emundatum restituas.

2 Tu enim nosti, misericordissima Regina, quod ad hoc nata es, ut per te nasceretur idē

Dominus noster Iesu Christus, verus Deus, & verus homo, in quem veracissimè credo, & de cuius pietate non despero, ut & ipse, qui erat, Conditor hominum, fieret & Saluator; tēque talem haberet matrem, quæ pro peccatoribus interueniens, perfectam obtineres eis salutem. Tu autem Domina mater eius, es Virgo in partu, Virgo ante partum, & Virgo post partum. In te manet intacta castitas, pudor integer, & firma constantia. Quæ lætaris, quod Virgo concepisti, & quod cœli Domiuum castis visceribus portasti, & quod Virgo partum edidisti, & quod es ab Angelo salutata, à Spiritu sancto obumbrata. Et quod Angelica nuncianit puritas, ineffabilis perfecit Deitas, atque Deum illum gignere meruisti, qui cuncta nasci suo nutu concessit.

3 Tu Domina mirabar is & corporis tui integratatem, & conceptus fœcunditatem, & gaudebas tuum paritura parentem, Dominum nostrum Iesum Christum: duobus enim gauisa es muneribus. Miraris, quod Virgo peperisti; & lætaris, quod Redemptorem mundi edidisti, Iesum Christum Filium Dei. Quapropter ineffabilis misericordiæ Regina, credo quod non es vacua à visceribus pietatis, quæ genuisti ipsum fontem totius bonitatis. Et quæ lactasti magni consilij Aogelum, potes & mihi esse magni consilij Angelus, si pro me depreceris Dei Filium; qui per te mundo in carne apparuit, ut quem latenter

tem apud Patrem incognitum habebat mundus, apparentem per carnem agnosceret, & agnatum crederet, & credendo in eum saluaretur per fidem. Qui suo inenarrabili munere præstítit, vt natura humana ad similitudinem sui condita Creatoris, dissimilis per peccatum, & mortem effecta, nequaquam in æterna damnatione periret, sed illam per te sua immensa pietate repararet, & vt tu noua, & intemerata Virgo, facinus antiquæ viraginis expiaret.

4 O admirandam diuinæ dispensationis operationem! Tu benedicta inter omnes mulieres, virum non cognouisti, & mater es, & post Filiū natum Virgo permansisti. Hanc fidem sanctam postquam suscepi, Domina, non semper recto tramite tenui, quoniam præceptis eius non obediui. Quidquid si parere studuisse, me ad te clamantem facilè audires, quem placere filio tuo scires. At quia seduxit me hostis antiquus, & sagittis suis vulnerauit me, & vestibus candidis exuit, atque nigris & lacrymosis ac semiustis igne peccatorum meorum induit, idcirco deformibus vestibus indutus apparebo tibi. Propterea clementissima Regina & Domina ne contemnas me, sed memor fragilitatis humanae, annue ne desperans fugiam, sed expectem consolationem tuam, quam tunc euenire probabo, si ea quæ sunt in me incendia criminum & iniquitatum, & præcipue illarum quibus infatigabiliter voror, paulatim in me deficere

5 O mi Domina, quid dicam, vel quid fa-
ciam? In tenebris sum, & lumen cœli non
video. Quò ibo, aut quò à facie filij tui iudi-
cantis fugiam? Non ad orientem, aut meri-
diem, vel ad occasum, aut ad aquilonem, vel
in profundo abyssi, habeo effugium, vbique
filius tuus, vbique totus, vbique præsens, vbi-
que discernens & omnia iudicans, & super-
cœlestia habitans. Qui si me pro meis aeti-
bus iustè iudicauerit, expedisset mihi magis,
ut conceptus non essem, aut natus statim in-
teriissem. Nec hoc mihi proficere potuisset,
quia in peccatis tunc conceptus & natus, &
fine baptismo mortuus absque dubio periis-
sem. Ego namque de peccatoribus conceptus
& natus peccator, baptizatus & saluatus, ite-
rum peccator factus sum. Et non talis ut an-
teà, sed sordidior & immanior; quoniam talis
sum qualem peiorem non habet mundus.
Ideò talem adiutorem requiro, qualem post
Filium tuum potiorem & meliorem inuenire
non potest mundus. Habet orbis Apostolos,
Patriarchas, Prophetas, Martyres, Confessores,
Virgines, bonos & optimos adiutores, quos
ego supplex orare concupisco. Tu verò Do-
mina omnibus iis adiutoribus melior & ex-
celsior es, quia istis & aliis Sanctis omnibus,
etiam Angelicis spiritibus, necnon regibus &
potestatibus mundi, diuitibus, pauperibus, do-
minis,

minis, seruis, maioribus & minoribus Domina es, & quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus. Quare hoc potes? Quia mater es Salvatoris nostri, sponsa Dei, Regina cœli, & terræ, & omnium clementorum. Te ergo requiro, ad te confugio, & ut me per omnia adiuues suppliciter peto. Te tacente nullus orabit, nullus iuuabit. Te orante omnes orabunt, omnes iuuabunt.

6 Millies centena millia hominum (Regina piissima) ad te clamant, & omnes saluantur: Et ego clamabo ad te & non auxiliabor, forsitan non; quia illis omnibus sum peior & pessimus. Quid inde? Propterea non tacebo. Clamans igitur vociferor ad te. Egregia Virgo, & piissima Domina, parce mihi & exaudi me. Exaudi miserum & solare mœretem, recollige errantem, refoue desperantem. Sana in me quæ conspicis vulnera, per tua sancta medicamina, tollensque à me sordida induimenta, viridia & splendida porrige vestimenta, quibus me renouatum repræsentes Filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Esto mihi contra diabolum turris fortitudinis, murus inexpugnabilis, brachium defensionis. Ille contra me sœuientem suscipe, & ne me viribus imbecillem astutia sua confodiat, tu inuincibiliter repugna. Ille callidus est & fraudulentus, & non metuit pugnare contra fortes, sed maiores vires infert tentationis contra validos, quam contra infirmos; Tu tamen cœlestis auxiliatrix, quæ nosti

dolositates eius, sic comminue robur eius, ut
me nulla ipsius callida suggestio decipiatur ten-
tando, sed cum nimirum decipere, ipse confusus,
ex tua virtute, superatus discedat, & ego mi-
sellus tua defensione protectus, a tua, filiique
tui laude, nunquam quiescam.

7 Fac o felix Domina, & omni laude di-
gnissima, ut ego famulus tuus, qui in tota lon-
gæuitate dierum meorum miserabiliter per
abrupta peccatorum corrui, nunc in extre-
mis positus diebus, agam poenitentiam pro
peccatis meis quæcunque gessi, in cogitatio-
ne, voluntate, operatione, & negligentia. Et
quamuis diutissimè, hoc est, ab exordio vitæ
meæ, usque in hanc horam, perseverauerim
in ipsis quæ cœpi peccatis, tu tamen cœlo-
rum Regina, obtine apud clementissimum
Filium tuum, ut ultra non regnet iniquitas
in me, sed virtus diuinitatis. Virtutum &
orationum copia me iustificet, mundet & mu-
niet, & per semitas iustitiae deducendo ad bo-
num perseverantia perducat & prouehat.
In extremis quoque vitæ positum nulla me
oblivio hebet, linguae officium, nullius pas-
sionis vitium impediat. Expletisque dieum
meorum numero, atque perfecto in me Eccle-
siae sancto ministerio, merear suscipi ab Ange-
lo mortis, ac perferri ante tribunal piissimi
Iudicis, ubi per te Domina percipiam quietem
pacis vita æterna. Amen.

*X X I I . Ad Beatam Virginem
Mariam.*

1 **B**eatissima Dei genetrix & Virgo perpetua Maria, sacrarium omnium virtutum, dignando Dominum virtutum, & regem gloriarum Christum, per eundem Deum & Dominum nostrum Iesum Christum quem meruisti generare, tibi ad æternam gloriam, & nobis ad æternam salutem, precor per tuam clementiam, suffragare mihi omni misericordia indigno apud diuinam maiestatem, exorabilèmque te precibus tanti peccatoris præbere, Domina ne differas, ex qua & beatitudinis felicitas, & redemptio nobis venit. Siquidem omnino Deifera sanctissima Maria, indignus sum te adire precatum, sed fiduciam spei meæ attribuit recordatio multorum Christum teneque negantium, qui tandem conuersi pristinam meruerunt per tua suffragia suæ mentis integritatem, licet sim amplius peccator, quam possit lingua mea confiteri: proh dolor, plura sunt peccata mea, quam vix numero possint comprehendendi. Et quamuis professionem Christianitatis, minus rectè obseruauerim post baptismum, tamen nunquam in negationis foueam corde vel ore incidi. Omnipotenti Deo gratias, qui me tenuit tuis sanctis orationibus. Ad hoc te Deus fecit ut speramus sui matrem, ut mater fieri deberes omnium in eum credentium, quo

se

2 Quid yngnam potest dignius æstimari,
quam ut sis mater quorum Christus dignatur
esse pater & frater. Ipse namque propter
suam insolitam bonitatem, omnibus paternos
præbebit profectus, si te Domina lenserit ma-
ternos non denegare affectus. Quo namque
modo mihi non miserearis mater misericor-
dæ? Vbi est nisi in Deo, & in te, spes mea?
Ergo sine te nihil pietatis est, nihilque boni-
tatis, quia mater virtutis & virtutum es om-
nium. Quapropter adiuua me Domina, quæ-
so, quia nihil sum & ad nihilum me ventu-
rum scio, nisi digneris me adiuuare. Aduua
me ergo, nec vni deneges beneficium, quod
omnibus confers etiam non rogata. Non
habeo quò pergam solatium vitæ quærens,
nisi ad quam omnes rei configiunt. Ad te
configio, quia te filius tuus Dominus noster
Iesus Christus prouidit nobis refugium post
te. Suscipe me, oraque eum, quatenus me ta-
lem efficiat quallem me iubet fieri, nec diu-
tius sinat decipi suggestionibus dæmonum,
sed faciat sua pietate, tuaque intercessione,
me sic frui temporali vita, quò possim æter-
nam consequi, ipso auxiliante, qui cum Patre
& Spiritu sancto viuit & regnat per omnia
secula seculorum. Amen.

X X I I . *Ad Beatam Mariam
Virginem.*

Sancta & gloriofa Dei genitrix, semp̄-
que virgo Maria, quæ mundo meruisti
generare Saluatorem, exaudi me & miserere
mei, nunc & semper propter honorem sanctæ
& excellentissimæ virginitatis tuæ. Te de-
precor humiliter, esto mihi saluatrix & adiu-
trix apud Deum omnipotentem, ut ipse me
pius pastor & princeps pacis, à peccatorum
meorum maculis emundet, & ab inferni te-
nebris eripiat, & ad vitam perducat æternam.
Et qui per te castissima virgo venit in hunc
mundum, & humanum genus suo sanguine
saluauit, & inferni claustra destruxit, & cœ-
lestis regni ianuas aperuit; ille me per mis-
ericordiam suam saluare & conseruare digne-
tur, & post finem huius vitæ labentis, a-
liquam partem æternæ beatitudinis preci-
bus tuis in sanctorum Societate concedat.
Amen.

*Eamus Beatissima Genitricis Virginis Mariae,
Matris Domini nostri Iesu
Christi.*

O Sancta, o benedicta, in necessitatibus
nostris adesse digneris nostrum consi-
lium, & auxilium, quæ omnibus es prom-
ptior, potentior, efficacior, amabilior, gra-
tiosior,

352 *Meditatio S. Anselmi,*
tiosior, & dulcior. Dulcis es in ore te laudantium, in corde te diligentium, in memoria te deprecantium. Magnifica es in omni sexu, in omni ætate, in omni conditione, in tribibus, populis, & linguis. Tu es Luna in medio firmamenti. Candelabrum in medio mundi. Lignum vitæ in medio Paradisi. Tu es myrrha electa. Piscina in Esebon. Virgula fumi ex aromatibus. Fasiculus myrræ, & thuris inter vbera sponsi. Terebinthus extendens ramos gratiæ, & salutis; inter benedictas superbenedicta es, superlecta es, superspeciosa, supergratiosa, supergloriosa, Mater illius, qui gratiam & gloriam, & honorem, & æternitatem præstat.

3 Surge beatissima Virgo, misericorditer ora pro nobis; surge, & amplectere misericordiam Redemptoris, & da preces iugiter pro nobis, quos cernis tam grauiter offensos ante oculos conditoris. Per te Domina gloria ad Iesum filium tuum mereamur ascendere, qui per te ad nos dignatus es descendere. Per te Beata Virgo venire valeamus in ipsius gloriam, qui per te in nostram venit miseriam. Per te accessum habeamus ad filium tuum, qui per te redemit mundum. O benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis. Per te suscipiat nos qui per te datus est nobis. Excuset piissima Domina Virgo Maria apud piissimum filium tuum. integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas tua Deo grata nostræ veniam impetrat.

petret vanitatis. Copiosa charitas tua gloriosam fœcunditatem nobis conferat meritorum. Generaliter omnes te gloria Virgo Maria inuocantes exaudi, omnibus adesto, omnibus subueni, omnes in angustiis, & necessitatibus te sentiant adiutricem, quicumq; te credunt esse Dei genitricem.

4 Specialiter verò illos tua quotidiana, & assidua defendat oratio, quorum frequens tibi famulatur deuotio ; & quicumque sunt memores tui in terris, memor sis illorum ante piissimum filium tuum Dominum nostrum in cœlis. Domina nostra, mediatrix nostra, tuo filio nos commenda, reconcilia nos filio tuo ; tuo filio nos repræsenta. Fac ô benedicta per gratiam, quam inuenisti, per prærogatiuam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, vt qui te mediante fieri dignatus est particeps miseriæ, & infirmitatis nostræ, te quoque intercedente participes nos faciat suæ gloriæ, atque beatitudinis æternæ.

De eadem.

5 **O** Alma virgo Maria, tantò omnibus Angelorum spiritibus, omnibúsque electorum animabus, in cuncta filij tui Christi Domini nostri hæreditate es glorioſior, quantò ab ipſo fieri meruisti beatior. Obſer-cramus ergo te lacrymosis ſuppiriis, vt nunc ad gemitum nostri mœroris aures inclines magnificæ

magnifica pietatis. Nos siquidem peccatores proni innumerabilibus delictis, infernale supplicium meruimus, ubi nullatenus poenitentiae datur locus, quoniam fidem aliquando Deo promisimus, sed male vivendo haec tenus mentiti sumus. O sancta Dei genitrix, omnium creaturarum dignissima, atque purissima, ex corum cordium oculos terge, atque semitas iustitiae nobis ostende. Orando a nobis vitia subtrahe, atque sacrarum virtutum plantaria insere. Impetra æterni tripudij cursum, quem assidue sequitur supernum brauium.

Sic quæso, piissima Domina, pro nobis ora in cœlis, ut deleas quicquid delinquimus in terris. Non est enim aliquid tam prauum in nobis, quod oratio, si tibi placet, delere non possit. O sanctissima Virgo Maria, nos, qui credimus, quod Virgo, & mater Dei sis, credendo sentiamus, quod pro nobis depreceris. Et qui confitemur te peperisse Deum, & hominem, gaudeamus per te nobis aduenire salutem. Et qui fatemur te omnibus hominibus meliorem, gaudeamus per te percipere felicitatem. Et quotiescumque processerit ad nos diuina miseratio, tua, ne inflemur, adficitio. Et si venerit tribulatio, vel tentatio, ne labamur, præsens sit tua sancta oratio. Sic quæso Domina clemens, pro salute nostra preces funde in cœlis, ut Paradisi, post obitum, fui mereamur gaudiis.

6 O Beata Dei genitrix Virgo Maria, templum-

plum Dei viui, Aula Regis æterni, sacrarium
Spiritus sancti. Tu virga de radice Iesse; tu
cedrus de Libano, tu rosa purpurea in Ieri-
cho, tu cypresius in monte Sion, quæ singulari
privilegio sicut nescis in omnibus compara-
tionem, ita nihilominus & Angelicam supe-
ras dignitatem; cui nouo, & inaudito mira-
culo datum est, ut Verbum, quod ante sæ-
cula Deus genuit, fieret filius tuus, Deus, &
homo. Tu enim in fine sæculi genuisti, ut ve-
rus, atque perfectus esset Dei filius gemina
quidem natura, sed una persona Deus, &
homo, unus Emanuel. O gloria puerpera,
in qua sola reperitur fœcunda virginitas, quæ
sic intemeratis visceribus filium Dei protu-
listi, ut illibata pudicitia cresceret integritas;
non libido, virginalis integratatis sigillum
violaret.

7 Tibi dum conciperes Spiritus sanctus
obumbrauit, non (quod absit,) ut ipse in tuo
sanctissimo vtero fieret pro semine sobolis,
sed potius virtute, ac potentia creatoris. De-
te summus Pontifex noster sui corporis ho-
stiam sumpfit, quam in ara Crucis pro totius
mundi salute sacrificiū obtulit. Tu lux oriens
Nazareth. Tu lætitia Israël. Tu decus mun-
di. Tu nobilitas populi Christiani. O Re-
gina, & Domina mundi, scala cœli, thronus Dei,
ianua Paradisi, audi preces pauperum, ne de-
spicias gemitus miserorum: Inferantur per te
vota nostra, atque suspiria in conspectu Re-
demptoris; ut qui nostris excludimur meritis,

per

per te locum obtineant ad aures tuæ pietatis,
Dele peccata, relaxa facinora, erige lapsos, solue
compeditos. Per te succidantur vepres,
& germina vitiorum, prodeant flores, & orna-
menta virtutum. Placa precibus iudicem,
quem singulari puerperio genuisti Saluato-
rem, ut qui per te particeps factus est huma-
nitatis nostræ, per te quoque nos consortes
efficiat diuinitatis suæ. Qui cum Patre, &
Spiritu sancto viuit, & regnat Deus per om-
nia sæcula sæculorum. Amen.

In Natiuitate Dominae.

Signare me laudare te Virgo sacra-
ta, da mihi virtutem contra ho-
stes tuos, & contra hostem totius humani ge-
neris. Da mihi virtutem te humiliter depre-
candi. Da mihi virtutem te cum precibus
obnoxè laudandi. Per merita tuæ sacratissimæ
Natiuitatis, quæ nata es in mundum, vniuersæ
Christianitati gaudium, spes vitæ, & solatum.
Quando nata es Virgo sanctissima, tunc illu-
minatus est mundus. Stirps beata, radix san-
cta, & benedictus fructus tuus, quæ sola me-
ruisti Spiritu sancto plena, Virgo Deum con-
cipere, Virgo Deum portare, Virgo parere,
Virgo post partum permanere. Miserere igit-
tur mihi peccatori, & adiuua me Domina, ut
sicut Natiuitatis tua gloria ex semine Abra-
hæ, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid,
gaudium annuntiauit vniuerso mundo; ita
me

me gaudio vero repleat, & emundet ab omni peccato. Ora pro me Virgo prouidentissima, vt lætissima gaudia tuæ saluberrimæ Natiuitatis, velamen indulgentiæ conferant cunctis meis peccatis. Sancta Dei genitrix, florens vt lilyum, ora tuum dulcem natum pro me misere peccatore. Amen.

In Annunciatione Dominae nostræ.

¶ Recor te Virgo dulcissima per merita tuæ saluberrimæ Annunciationis, & per illud Angelicum Aue quod accepisti à sancto Gabriele nuntio salutis tuæ, nuntio Incarnationis Verbi Diuini, nuntio vitæ æternæ, nuntio salutis nostræ per te, vt accipias preces nostras. Misericordissima Domina, magna sunt peccata mea, sed maior est gratia tua; quia tu es gratia plena, & Dominus tecum est; benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Mater totius gratiæ ora pro me. Ut sicut Annunciatio tua, finis approximans extitit veteri culpæ, spes autem promissæ gratiæ, & omnibus expectantibus eam in veritate, origo, & via fuit gratiæ futuræ; ita à me in honorem tui gaudij corde recogitata, ore pronunciata eiusdem Annunciationis tuæ recordatio, fiat in me finis, & abolitio totius culpæ meæ veteris, ac nouæ, & gratia salutaris iugis castimoniaæ. Adiuua me Domina mea, spes viuentium, & consolatio mœstrorum, subuentrix inopum, miseratrix omnium, vt qui

ut qui culpam meam per ipsa flagella mœroris, & tristitiae, & infirmitatis agnosco; per gaudia tuæ sanctissimæ Annunciationis de infirmitate remedium, & de mœrore gaudium, tua misericordia consequi merear; ut in utili mœrore, in castimonia cordis, & corporis, in humilitate mentis, in fidei integritate, & omni bonitate studcam de cætero placere Deo, & exultet spiritus meus in Deo salutari meo omni tempore vitæ meæ. Sancta Dei genitrix succurre, & intercede apud dulcem natum tuum pro me peccatore. Amen.

Ad Partum Virginis.

Ad **P**artum **V**irginis.

Virgo sanctissima, da mihi virtutem per merita cui sanctissimi virginei Partus, contra hostes tuos. Benedicta es enim Maria, quæ Dominum omnium portasti creatorem sacerdorum. Genuisti qui te fecit, & in æternum permanes Virgo. Beata viscera quæ portauerunt æterni Patris filium. Beata ubera tua, quæ lactauerunt Christum Dominum. Beata, & venerabilis es Virgo Maria, omnium bonorum beatitudine plena. Beata mater, quæ sola sine dolore genuisti; quia tu sola peperisti Virgo. Beata, & benedicta inter mulieres; quia natus ex te Virgine Christus Deus noster, sua sanctissima nativitate primi parentis, & primæ mulieris in dolore pœnaliter parturientis, soluendo maledictionem,

nem , dedit per se sine dolore parturientem , dimissa veteri culpa , nouæ gratiæ , & salutis æternæ mellifluam benedictionem . Per gaudia tui sanctissimi virginis Partus miserere mei Domina mea , & exaudi orationem meam . *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum , & in peccatis concepit me mater mea.*

ii In peccatis sum natus , & in peccatis conuersatus sum per omne tempus vitæ meæ . Tu autem Domina mea sine tactu pudoris inuenta es mater Salvatoris . Miserere mihi immundo , qui in peccatis conceptus , & nutritus sum , & adiuua me tuis sanctis precibus , Virgo serenissima : ut sicut Nativitas filij tui Domini nostri Iesu Christi ruina fuit horribilis tristitiae , natiuitas vniuersis fidelibus nouæ exultationis ; ita & mihi hæc eadem gaudia Dominicæ natiuitatis , sint initium vitæ religiosæ , & salutaris continentiae , & ruina totius iniusti moeroris , & iniquæ tristitiae , & natiuitas spiritualis gaudij , & exultationis , & amor , & desiderium cœlestis patriæ , & supernæ lætitiae . Sancta Dei genitrix succurre , & intercede apud dulcem tuum natum pro me peccatore . Amen .

De Purificatione Dominae.

ii **O** Virgo serenissima , per merita tuæ pliissimæ Purificationis , da mihi virtutem

360 *Meditatio S. Anselmi,*
tem contra hostes tuos. Virgo sanctissima,
corpore castissima, moribus omnium pul-
cherrima. Virgo virginum; nec corde un-
quam polluta, nec ore; sed tota pulchra, tota
sine macula. Intemerata Virgo corpore, in-
temerata Virgo mente, nihil debens legibus,
quia nullis tacta excessibus, ut humilitatis in-
te ostenderes exemplum, imples purificatio-
nis officium pollutis matribus statutum. Ad
templum detulisti tecum mundandum, qui
tibi integritatis decus homo genitus ad auxit.
Intacta genitrix ad templum detulisti tecum
mundandum, qui delicta nostra intelligens,
quia illi omnia nuda sunt, & aperta, ab oc-
cultis nostris quotidie per confessionem, &
poenitentiam mundat, & ab alienis per spiri-
tum continentiae parcit seruis suis. Ad tem-
plum detulisti tecum mundandum, cuius san-
gnis in Cruce passionis suæ ab originali nos-
lauans contagio, quotidie etiam in ara Crucis
per sacrosancta mysteria, & nos poenitentes,
& confessos emundat à nostris criminibus.
Ad templum detulisti tecum mundandum,
qui pro nobis Pontifex factus secundum or-
dinem Melchisedech, quotidie compatitur
infirmitatibus nostris, & est misericors nobis,
& Pontifex fidelis ad Deum repropitiando
peccata populi, quotidie nos Deo Patri re-
conciliat, & per id quod Deo Patri offert Deus
de Deo quotidie, si conuersi fuerimus, & pec-
cata nostra confessi, fidelis, & iustus, & patiens
Deus ignoscet nobis, & absoluat nos.

13 In nomine eius Virgo integerrima confugio ad te. In eius ergo nomine dulcissimo, & amore, suscipe me Domina mea clementissima confugientem ad te, & adiuua me per merita tuæ castissimæ purificationis: ut sentiam, & gaudeam me à sordibus conscientiæ ita perenniter purificari, ut nunquam doleam de cætero me aliqua contagione, aut perpetratione sceleris coinquinari. Sancta Dei genitrix suscipe, & intercede pro me peccatore apud tuum dulcem natum Iesum Christum benedictum fructum ventris tui, & miserere mei. Amen.

De Assumptione Domine.

14 **V**irgo serenissima Dei genitrix sancta Maria, per merita tuæ gloriose Assumptionis, & per amorem tui dulcissimi filij, à quo assumpta es in cœlum, da mihi virtutem contra hostes tuos, & in regnum æternum ingredi. Fœlix namque es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol iustitiae Christus Deus noster. *Sicut cedrus exaltata in Libano, & sicut cypressus in monte Sion, quasi myrra electa dans suavitatem odo ris.* Exaltata super choros Angelorum, gaudens, & gloria in perpetuum Regina cœlorum, ubi adiuuas omnes, qui te Dominam glorificant, & sanctum nomen tuum cum humili prece frequentant.

15 Beata ergo, & venerabilis virgo Maria,



quæ

quæ benigna es omnibus ad te pio corde clamantibus ; pia, & exorabilis esto mihi peccatori te humiliter inuocanti ; sub tuam protectionem confugio, vbi infirmus accepi virtutem. Illam animi, & corporis virtutem cum tuo præsidio fac me accipere, vt per te liber à peccatis, & desideriis peccatorum, sine timore de manu inimicorum visibilium, & inuisibilium liberatus filius tuus Dominum nostrum Iesum Christum possim omni tempore benedicere, & semper laudem eius in ore meo habere. O Virgo gloria, quæ mortem subisti, sed mortis nexibus deprimi non potuisti, quia tu sola Virgo genuisti eum, qui erat mors mortis, & morsus inferni.

16 Adiuua me per tuam mortem, & per gaudia tuæ Assumptionis in cœlum, vt residuum vitæ meæ possim cum sincera fide tuo adiutorio ducere, & finem vitæ meæ feliciter terminare in cinere, & cilicio, in terra prostratus cum lacrymis, in confessione, & poenitentia peccatorum meorum : insuper, quod maius est, in confessione nominis Christi, & in perceptione corporis, & sanguinis eius, & in commendatione spiritus mei in manibus misericordiæ suæ. Ora pro me sancta Dei genitrix, vt qui conscius peccatorum multorum tribunal filij tui tremebundus perhorresco, per tuam venerabilem intercessionem gaudeam emundari ab omnibus criminibus meis, cordis compunctione irrigante, &

rora

rōre piissimæ confessionis à te exhibitō. Nulla de cætero macula peccati anima mea inquinetur, sed mundo corde, & casto corpore per merita tuæ saluberrimæ nativitatis, annunciationis, & sanctissimi virginei Partus tui, & castissimæ purificationis, & gloriosissimæ assumptionis in excelso cœlorum palatio possim præsentari, in quo gloria exultas, & regnas Regina Angelorum, & hominum, Mater Domini nostri Iesu Christi. Succurre meis criminibus, Mater misericordiæ, tuis virgineis precibus veniam mihi obtainendo apud tuum dulcem natum Iesum Christum Dominum nostrum. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat benedictus, &c.

XXIV. *Adeandem Dei matrem.*

Secundum quosdam est Beati Maurelij Rothomagensis.

I **S**ingularis meriti, sola sine exemplo, master & Virgo Maria, quam Deus ita mente & corpore custodiuit, ut digna existeres, ex qua sibi nostræ redemptionis pretium, Dei filius corpus aptaret, obsecro te misericordissima, per quam totus saluatus est mundus, intercede pro me miserrimo & cunctis iniuritatibus fœdissimo, omni pondere peccatorum prægrauato, ut vel iam donet Dominus infelici animæ meæ amorem puritatis,

affectionem munditiae, tenorem castitatis. Ego enim, ego infelix, ego, totius innocentiae, totius sanctimoniae gratiam perdidii, ego tempulum Dei sanctum, multiplicitate violauit.

2 Sed quid ago, obscenitates meas refessens auribus illibatis? Horresco Domina; horresco, & arguente me conscientia, male nudus, coram te erubesco. Cui vero moribundus offeram vulnus meum? Ad quem ibo, & apud quem deplorabo dolorem meum, aut quando aliunde sperem beneficia sanitatis, si mihi clauditur illud unicum reclinatorium aeternae pietatis? Audi ergo domina, audi propitia, audi & exaudi ciuem perditum de forte hereditatis suae, post longa exilia, post sexua ludibria, post multa flagitia, reuertentem ad ubera consolationis tuae.

3 Memini, & meminisse delectabile est, qualiter ad commendandum nobis misericordium patrocinium tuum, cuidam tuo servulo agenti in extremis, reuelasti memorabile nomen tuum. Apparens enim ei, cum esset in augustiis, & requirens num te agnosceret, cum ille, minime domina, tremens responderet, tu ei pro benignitate tua quam blande, quam familiariter tu domina dixisti. *Ego sum misericordiae mater.* Apud quem ergo miseri, apud quem desolati rectius ingemiscimus deplorantes mala totius calamitatis & misericordiae nostrae, quam apud te veram & indubitatem matrem misericordiae? Mater sancta, mater immaculata, mater incorrupta, mater miseri

misericordia, mater pietatis & indulgentiae,
aperi sinum pietatis & suscipe mortuum in
peccatis.

4 Ecce Domina filius prodigus, nudis &
attritis pedibus, de loco horroris, de nebula
immunditiae & foetoris, suspirat, clamat, &
appellat matrem, non immemor quoties eum
foueris, texeris, excusaueris apud patrem. Et
quam ille piissimus atque benignissimus pa-
ter, tu tam dulcis & suavis mater. Agnosce
benedicta, filios tuos, quos vnicè dilectus vni-
genitus tuus non erubescit nominare fratres
suos. Et si pro illo innocentie filio tuo cruci-
fixo pertransiuit gladius animam tuam, quo-
modo super mortuis in peccato, pupillis
tuis te continere, quomodo maternis fletibus
& lachrymis, ô domina, poteris temperare?
Abstrahimur, diripimur, captiuamur, non est
qui eruat, non est qui redimat, qui confurgat
diluculo & spondeat pro nobis. Surge pia,
surge propitia, intra sacrarium exauditionis,
& expande manus immaculatas ante altare
illud aureum humanæ reconciliationis. Erit
per te impetrabile quod per te ingerimus,
erit per te excusabile quod timemus. Nec
diu poterit te sustinere pro nobis supplican-
tem, quem tu sœpissimè consolata es dulcis
mater, infantem vagientem. Quæ ergo po-
tentior meritis ad placandam iram iudicis
quam tu, quæ meruisti mater esse eiusdem
redemptoris & iudicis? Nec dubites Do-
mina mea; ipse enim est os meum & caro.

5 Decus virginum, domina gentium, regina Angelorum , fons hortorum , ablutio peccatorum , sancta & perpetua Virgo Maria, succurre misero, subueni perduto; ut qui iam, proh dolor , non audet Angelicam illam sperare stolam virginalem , tuis gloriofis meritis qualemcumque recipiat vestem nuptialem. Denique , & si non merebor, imò quia non merebor vicinus accedere atque interesse florigeris atque odoriferis gloriæ vestræ choris , eminus faltem positus & longè constitutus videre merear & audire processus vestros, tympana vestra , & concentus vestros, & quicquid illud gloriæ & exultationis erit, quando trepudiabitis, sequentes agnum. quo-cunque icrit.

6 Singularis virgo , summa & perpetua virgo , sola mater & virgo, sancta Maria , in fine orationis meæ , in extremo huius fatuæ supplicationis meæ , indignus hoc vnum rogo , pretor & supplico in nomine dilecti filij tui , dona mihi misero iugem & perennem memoriam suauissimæ nominis tui. Sit cibus dulcissimus , cibus suauissimas animæ meæ. Adsit mihi in periculis, adsit in angustiis, adsit in principio lœtitiae meæ. Si enim Dei , & dono tuo hoc mereor obtinere , nullatenus certe , nunquam funditus vereor interire. Aderit enim semper mihi gratia tua , aderit mise.

Misericordia & protectio tua. Et si in inferno demersus fuero, eò me requires, & inde extrahes, & reddes filio tuo, qui redemit & lauit sanguine suo, Iesu Christo Domino nostro, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus.

XXV. *Ad B. Mariam Virginem cum recordatione peccatorum.*

Sancta & inter Sanctos post Deum singulariter sancta Maria, mater admirabilis virginitatis: virgo amabilis fœcunditatis, quæ filium Altissimi genuisti, quæ perditum humano generi Saluatorem peperisti, Domina præfulgens tanta sanctitate, superueniens tanta dignitate, quam utique certuni est non mori, præclaram esse potentia & pietate. Tibi ô genitrix vite, ô mater salutis, ô templum pietatis & misericordiae, tibi seie conatur præsentare miserabilis anima mea, morbis vitiorum languida, vulneribus facinorum scissa, ulceribus flagitiorum putrida, tibi nititur quantum moribunda valet supplicare: ut potentibus tuis meritis, & piis tuis precibus digneris eam sanare. Sic enim pia domina alienata est a se immanitate stuporis, ut vix sensum habeat enormis languoris. Sordibus & foetore foedatur, ut timeat ne ab ipsa misericors vultus tuus auertatur: sic tabescit desperando respectus tui conuersionem, ut etiam iam obmutescat ad orationem.

2 Peccata mea , nequitiae meæ ; si habetis animam meam vestro veneno peremptam , cur sic facitis eam vestra foeditate horrendam , ut miseratio non possit aspicere illam ? Si obruitis ei spem exauditionis vestra mole , cur obruijstis illis vocem orationis vestri pudore ? Si mentem eius vestri fecistis amore dementem , cur obstruxistis illi vocem orationis vestri pudore ? Si mentem eius vestri fecistis amore dementem , cur sensum eius vestro redditis torpore non seruientem ? Heu pudor sordentis immanitatis , præsentia nitentis sanitatis . Heu confusio immundæ conscientiæ , in conspectu fulgentis munditiæ . O tu benedicta super mulieres , qui Angelos vincis puritate , Sanctos superas pietate , anhe lat moribundus spiritus meus ad tantæ benignitatis respectum , sed erubescit ad tanti nitoris conspectum . Rogare enim te Domina desidero , ut miserationis tuæ respectu cures plagas & vicera peccatorum meorum : sed confundor coram te ob fœtorem & sordes eorum . Horreo Domina apparere tibi in immunditiis & horroribus meis , ne tu horreas me pro eis , & non possum , vix mihi , videri sine eis .

3 O perturbata , o confusa , o præcauenda conditio . En quippe vos peccata mea quomodo discerpendo distrahitis , distrahendo correditis , corrodendo torquetis præcordia mea ? Eadem enim peccata mea o Domina cognosci à te cupiunt propter curationem ,
apparere

apparere tibi fugiunt propter execrationem: non sanantur sine confessione, nec produntur sine confusione. Si celantur, sunt insanabilia: si videntur, sunt detestabilia. Vrunt me dolore, terrent me timore. Mole me obruunt, pondere me premunt, pudore me confundunt.

¶ O tu illa piè potens, & potenter pia Maria, de qua fons est ortus misericordie. Ne contineas precor tam veram misericordiam, ubi tam veram agnoscis miseriam. Si enim ego confundor in obscoenitate iniquitatis meæ ad fulgorem tuæ sanctitatis, tunc Domina erubescet erga miserum, effectum insitæ pietatis? Si ego confiteor nequitiam meam, tunc abnegabis benignitatem tuam? Si maior est miseria mea, quam mihi expediat, eritne minor misericordia tua, quam te deceat? Quanto enim Domina magis delicta mea in conspectu Dei, & tuo fordent, tanto magis curatione & tua subuentione egent. Sana ergo clementissima infirmitatem, & delebis quæ te offendit foeditatem. Aufer benignissima languorem, & non senties quem horres foetorem: fac piissima ut non sit quod dolet, & non erit quod synceritati tuæ sordet. Fac domina, exaudi me domina. Sana animam peccatoris serui tui per virtutem benedicti fructus ventris tui, qui sedet in dextera omnipotentis patris sui superlaudabilis, & supergloriosus in facula.

XXVI. Alternatim, ad matrem &
ad filium.

O Virgo mundo venerabilis, mater humano generi amabilis, fœmina Angelis mirabilis. Maria sanctissima, cuius beata virginitate omnis sacratur integritas, cuius glorioso partu omnis saluatur fœcunditas. Domina magna, cui gratias agit concio lœta iustorum, ad quam fugit terra turba reorum. Ad te præpotens & misericors domina, ego peccator & utique nimis peccatorum anxius confugio. Videns enim me domina ante distracti iudicis omnipotentem iustitiam, & considerans iræ eius intolerabilem vehementiam, perpendo peccatorum meorum enormitatem, & condignam tormentorum immunitatem. Tanto igitur domita clementissima horrore turbatus, tanto paurore perterritus, cuius enixus implorabo interuentione, quam cuius uteru mundi fouit reconciliacionem. Vnde securius velocem in necessitate subueationem sperabo, quam vnde mundo processisse propitiationem scio? Aut cuius intercessio facilius reo veniam impetrabit, quam quæ illum generalem & singularem, iustum ultorem & misericordem indultorem lactauit? Sicut namque beatissima impossibile est, ut hæc merita tibi tam singularia, nos tam necessaria obliuiscaris: sic miserrima incredibile est ut supplicantibus misericordis

seris non miserearis. Bone quippe nouit mundus, nec nos mundi peccatores ullatenus dissimilare patimus.

2 Satis inquam, ô domina, satis nouimus, quis filius hominis, vel cuius hominis filius, venit saluum facere quod perierat. Nunquid ergo tu domina mea, mater ipsi meæ, nunquid obliuisceris tu odio mei, quod mundo tam misericorditer est intimatum, tam feliciter diuulgatum, tam amanter amplexatum? Ille bonus filius hominis venit perditum sponte saluare, & mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Bonus ille filius hominis venit vocare peccantem ad pœnitentiam, & mater contemnet peccantem in pœnitentia? Ille inquam bonus Deus, mitis homo, misericors filius Dei, pius filius hominis venit querere peccatorem errantem, & tu bona mater eius, potens mater Dei, repelles miserum orantem?

3 Ecce enim ô virgo, homo de quo natus est Deus homo, ut saluaretur peccator homo. Ecce coram bono filio tuo, & coram te bona mater eius, pœnitit & confitetur, gemit & orat peccator homo. Obsecro vos bone Domine, & bona domina: obsecro vos pie fili, & pia mater: obsecro vos per hanc ipsam veritatem, per hanc singularem spem peccatorum: & ut sicut vere tu es filius eius, & tu mater eius, ut saluetur peccator, sic absoluatur & curetur hic peccator: Probet in se, probet hic vester peccator, quia vere es tis.

372. *Meditatio S. Anselmi,*
Sentiat in se, quia propter salutem peccatorum estis tu filius & tu mater. Videtur certe amborum peccator. Quam enim peccaui in filium, irritavi matrem, nec offendit matrem sine iniuria filij. Quid ergo facies peccator? Quò igitur fugies peccator? Quis enim me reconciliabit filio inimica matre? Quis mihi placabit matrem irato filio? Sed etsi ambo pariter offensi estis, nonne & ambo clementes estis? Fugiet ergo rens iusti Dei ad piam matrem misericordis Dei. Refugiat reus offenditæ matris, ad pium filium benignæ matris. Ingerat se reus utriusque inter utrumque, iniciat se inter pium filium & matrem piam.

4 Pie Domine, parce seruo matris tua. Pia domina, parce seruo filij tui: Bone fili, placa matrem tuam seruo tuo, Bona mater, reconcilia filium tuum seruo tuo. Qui me initio inter duas tam immensas pietates, non incidam in tam potentes severitates. Bone fili, bona mater, non mihi sit frustra quod confiteor de vobis hanc veritatem, nec erubescam quod spero in vobis hanc pietatem. Amo enim veritatem quam confiteor de vobis: deprecor pietatem quam spero in vobis..

5 Dic mihi index, cui preces fundam?: Dic mundi reconciliatrix, quem tum conciliabis, si tu Domine damnas, & tu domina auerteris homunculum, bona vestra cum amore, mala sua cum timore confidentem?

Salua

Saluator singularis, dic quem saluabis? salutis
mater, dic pro quo orabis? si te Domine præ-
cipiente, & de te misericordia consentiente,
tormenta vexant peccatorem se execrantem,
vos obsecrantem: si infernus absorbet reum
se accusantem, vos deprecantem, si tartara de-
vorant pauperem in se desperantem, in vobis
sperantem.

6 Deus qui factus es filius fœminæ pro-
pter misericordiam, fœmina quæ facta es ma-
ter Dei per misericordiam, aut miseremini
m sero, tu parcendo, tu interueniendo, aut
ostendite ad quos tutius fugiam misericor-
diores, aut monstrate in quibus certius con-
fidam potentioribus. Si enim est, imò quia
est tam magna mea iniquitas, & tam modica
fides mea, tam tepida charitas mea, tam fatua
oratio mea, tam imperfecta satisfactio mea,
vt nec merear delictorum veniam, nec salutis
gratiam, hoc est ipsum quod supplico: vt in
quo merita mihi videris non sufficere, in eo
misericordiæ vestræ dignentur non deficere:
precor itaque, precor exaudite me, sed pro-
pter vos non propter me, per pietatem qua
exundatis, per potestatem qua abundatis, vt
euadam meritos dolores damnatorum, &
intrem in gaudeia beatorum, te Deum laudatu-
rus, qui es benedictus & superlaudabilis in
sæcula sæculorum. Amen.

X X V I I. *Ad eandem Virginem cum
meditatione & laude merito-
rum eius.*

1 **M**aria tu illa magna Maria, tu illa maxima beatarum Mariarum, tu illa maxima foeminarum. Te domina magna & valde magna, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te desiderat venerari mens mea: te affectat orare anima mea, quia tuitioni tuae se commendat tota substantia mea. Enitimini viscera animae meae; enitimini quantum potestis, si quid poteritis omnia interiora mea, ut eius merita laudetis, & eius beatitudinem ametis: ut eius celsitudinem admireremini, & eius benignitatem depreceremini, cuius patrocinio quotidie indigetis, indigendo desideratis, desiderando imploretis, implorando impetratis: & si non secundum desiderium vestrum, tamen supra vel certe meritum vestrum.

2 **R**egina Angelorum, domina mundi, mater eius qui mundat mundum, confiteor, cor meum est immundum: ut meritò erubescat in tam mundam intendere: nec dignè possit eam dignè intendendo contingere. Te igitur mater illuminationis cordis mei, te nutrix salutis mentis meæ, te obsecrant quantum possunt cuncta præcordia mea. Exaudi dominæ, adesto propitia, adiuua potentissima, ut mundentur fortes mentis meæ ut illuminentur

nentur tenebrae meæ , vt accendatur tempus
meus, vt expurgescatur torpor meus, quatenus
sicut beata sanctitas super omnia summa
omnium filium tuum ; per omnipotentem
filium tuum, ob gloriosum filium tuum à be-
nedito filio tuo es exaltata : sic super omnia
Dominum & Deum verum , & Dominum fi-
lium tuum te cor meum non intelligat, & ve-
neretur, amet & deprecetur , eo affectu non
quo desiderio imperfectus , sed quod debet à
filio tuo factus & saluatus , redemptus &
fuscatus.

3 O genitrix vitæ meæ , altrix reparatoris
carnis meæ , lactatrix Saluatoris totius sub-
stantiæ meæ . Sed quid dicam ? Lingua mihi
deficit, quia mens non sufficit. Domina, domi-
na, omnia intima sollicita sunt , vt tantorum be-
neficiorum gratias exoluant sed nec cogitare
possunt dignas, & pudet proferre non dignas.
Quid enim dignè dicam matri creatoris &
saluatoris mei , per cuius sanctitatem pecca-
ta mea purgantur , per cuius integritatem
mihi incorruptibilitas donatur , per cuius
virginitatem anima mea adamatur à Do-
mino suo ? Quid inquam , dignè referam
genitrici Dei , & Domini mei , per cuius
fœcunditatem captivus sum redemptus, per
cuius partum de morte æterna sum exem-
ptus, per cuius prolem perditus, sum restitu-
tus : & de exilio misericordia in patriam beatitu-
dinis reductus ?

4 Benedicta in mulieribus ; hæc omnia
mihi

mihi dedit benedictus fructus ventris tui in regeneratione baptismatis sui, alia in spe, alia in re, quanquam haec omnia ego ipse mihi sic ecce dando abstulerim, ut nec rem habeam, & spem vix teneam. Quid enim? Si mea culpa euauerit, nunquid ingratus ero illi per cuius mihi gratiam tanta bona euenerunt? Absit, ne addam hanc iniquitatem super iniquitatem. Imo gratias ago, quia habui: doleo, quia non habeo: oro ut habeam: certus enim sum; quia sicut per filij gratiam ea potui accipere: sic eadem per matris merita possum recipere. Ergo domina, porta vitae, ianua salutis, via reconciliationis, aditus recuperationis: obsecro te per saluatricem fœcunditatem, fac ut peccatorum meorum mihi venia & bene viuendi gratia concedatur, ut usque in finem hic seruus tuus sub tua protectione custodiatur. Insidiis & oppressionibus dæmonum tenebris obuolutus mundus subiacebat, sed solo de te orto illuminatus, eorum & laqueos deuitat, & vires conculcat.

5 O aula uniuersalis propitiationis, censa generalis reconciliationis, vas & templum vitae & salutis uniuersorum: nimium contra-ho merita tua cum in me homunculo vili singulariter recenseo beneficia tua, quæ mundus amans gaudens clamat esse sua. Tu namque domina admirabilis singulari virginitate, amabilis salutari fœcunditate, venerabilis inæstimabili sanctitate, tu ostendisti

mundo

mundo Dominum suum, & Deum suum quem nesciebat : tu visibilem exhibuisti mundo creatorem sui , quem prius non videbat : tu genuisti mundo restauratorem , quo perditus indigebat : tu peperisti mundo reconciliatorem, quem reus non habebat. Per fœcunditatem tuam domina, mundus peccator est iustificatus , damnatus saluatus, exul reductus, partus tuus domina , mundum captiuum redemit , ægrum sanauit, mortuum resuscitauit.

6 Cœlum, sydera, terra, flumina, dies, nox, & quæcunque humanæ potestati vel utilitati sunt obnoxia, in amissum decus sese gratulan-
tur domina per te quodammodo resuscitata, & noua quadam ineffabili gratia donata. Quasi enim omnia mortua erant, cum amissio congenita dignitate dominatu fauendi vel vībus Deum laudantium : ad quod facta erant, obtinebantur oppressione, & decolorabantur abusu idolis seruientium propter quos facta non erant. Quasi verò eadem resuscitata lætantur, quum iam dominum consentent & dominatu reguntur, & vīsu decolorantur. Noua autem & inæstimabili gratia quasi exultaerunt, cum ipsum Deum, ipsum creatorem suum, non solum inuisibiliter supra se illa regentem senserunt, sed etiam visibili-
ter intra eisdem utendo sanctificantem vi-
derunt. Hæc tanta bona per benelictum fructum benedicti ventris, benedictæ Mariæ prouenerunt.

7 Sed cur solam loquor domina beneficis tuis plenum esse muudum? Inferna penetrant, cœlos superant. Per plenitudinem enim gratiæ tue, & quæ in inferno erant, se latrantur liberata, & quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. Per eundem quippe gloriosum filium gloriosæ virginitatis tuæ, omnes iusti qui obierunt ante vitalem eius mortem, exultant disruptione captiuitatis suæ: & Angeli gratulantur restituzione semirutæ ciuitatis suæ. O fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renouantur, inferna remediantur, homines saluantur, Angeli redintegrantur! O fœmina plena & superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa sic reuirescit omnis creatura! O virgo benedicta & superbenedicta, per cuius benedictionem benedicitur omnis natura, non solum creata à creatore, sed & creator à creatura! O nimis exaltata, quam sequi conatur affectus animæ meæ: quò aufugis aciem mentis meæ? O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quò euadis capacitatem cordis mei? Præstolare domina infirmam animam te sequentem: nec abscondas te domina parum videnti animæ te querenti. Misericordia domina animam post te anhelando-languentem.

8 Mira res, in quam sublimi contempsit Mariam locatam. Omnis natura à Deo est creata,

creata, & omnis Dei natura ex Maria est nata. Deus omnia creauit, & Maria Deum genuit. Deus qui omnia fecit vel creauit, ipse se ex Maria fecit: & sic omnia quæ fecerat, refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficer. Deus igitur est pater rerum creatarum, & Maria mater rerum creatarum. Deus est pater constitutionis omnium, & Maria est mater restitutionis omnium. Deus enim genuit illum per quem omnia sunt facta, & Maria peperit illum, per quem omnia sunt saluata. Deus genuit illum sine quo penitus nihil est: & Maria peperit illum, sine quo omnino nihil bene est. O verè Deus tecum, cui dedit dominus, ut omnis natura tantum tibi deberet secum.

9 Maria obsecro te per gratiam qua se Deus esse tecum, & te voluit esse secum: fac propter ipsam secundum eandem ipsam gratiam, misericordiam tuam mecum. Fac ut amor tui semper sit mecum, & cura mei semper sit tecum. Fac ut clamor necessitatis meæ quandiu ipsa persistit, sit tecum: & respectus pietatis tuæ quandiu ego subsisto, sit mecum: fac ut congratulatio beatitudinis tuæ semper sit mecum, & passio misericordiæ meæ quantum mihi expedit, sit tecum. Sicut enim ô beatissima, omnis à te auersus & à te despexitus necesse est ut intereat: ita omnis ad te conuersus, & à te respectus impossibile est ut pereat. Sicut enim domina,

Deus

Deus, genuit illum in quo omnia viuunt, sic
ō tu flos virginitatis genuisti eum per quem
mortua reuiuunt. Et sicut Deus per filium
suum beatos Angelos à peccato seruauit, ita
tu decus puritatis per filium tuum miseris
homines ex peccato saluabis. Quemadmo-
dum enim Dei filius est beatitudo iustorum,
sic ḍ tu salus foecunditatis, filius tuus est re-
conciliatio peccatorum. Non enim est re-
conciliatio nisi quam tu casta concepisti. Non
est iustificatio, nisi quam tu integra in utero
fouisti, non est salus, nisi quam tu virgo pe-
peristi. Ergo domina mater es iustificationis &
iustificatorum, genitrix es reconciliationis, &
reconciliatorum, parens es salutis & saluato-
rum. O beata fiducia, ḍ tutum refugium: ma-
ter Dei est mater nostra. Mater eius in quo
solo speramus, & quem solum timemus est
mater nostra, Mater inquam, eius qui solus
saluat, solus damnat, est mater nostra.

10 Sed ḍ benedicta & exaltata non tibi
soli, sed & nobis quid est? Quām magnum,
quām admirabile est quod video per te eue-
nire nobis, quod videns gaudeo, quod gau-
dens dicere non audeo. Si enim tu domina
es mater eius, nōnne & alij filij tui sunt fra-
tres eius? Sed qui fratres, & cuius eius, lo-
quar vnde iucundetur cor meum, an silebo ne
elatione arguatur meum? Sed quod credo
amando, cur non confiteor laudando? Dicam
igitur non superbiendo, sed gratias agendo.
Qui enim fecit vt ipse per maternam genera-
tionein

tionem esset naturæ nostræ , & nos per vitæ
restitutionem essemus filij matris suæ ; ipse
nos inuitat, vt confiteamur nos esse fratres
eius. Ergo iudex noster est frater noster.
Saluator mundi est frater noster : denique
Deus noster est factus per Mariam frater
noster.

11 Qua igitur certitudine debemus sperare, qua desolatione possumus timere , quorum
siue salus, siue damnatio , de bonis fratris, &
de piæ matris pendet arbitrio ? Quo etiam
affectu hunc fratrem , & hanc matrem amare
debemus ? Qua familiaritate nos illis com-
mittemus ? Qua securitate ad illos confu-
giemus ? Qua dulcedine confugientes susci-
piemur : Bonus igitur frater nobis dimittat
quod delinquimus ; ipse auertat quod de-
linquentes meruimus ; ipse donet quod pœ-
nitentes petimus. Bona mater oret & exoret
pro nobis, ipsa postulet, & impetrat quod ex-
pedit nobis. Ipsa roget filium pro filiis , vni-
genitum pro adoptatis, dominum pro seruis.
Bonus filius audiat matrem pro fratribus, pro
his quos adoptauit dominus, pro his quos li-
berauit filius.

12 Maria quantum tibi debemus, domina,
per quam tales fratrem habemus ? Quid
gratiarum, quid laudis tibi tribuemus ? Magne
Domine, tu noster maior frater ? magna do-
mina , tu nostra melior mater ? docete cor
meum qua reuerentia vos debeat cogitare.
Bene tu , & bona tu : dulcis tu , duleis tu :
dicite

dicite & date animæ meæ , quo affectu vos
memorando ex vobis delectetur , delectando
incundetur , iucundando impinguetur. Im-
pinguate & succedite cum vestri dilectione,
vestri continuo amore langueat cor meum:
liquefiat anima mea , deficiat caro mea. Utinam sic viscera animæ meæ dulci fero ure ve-
stræ dilectionis exardescant, vt viscera carnis
meæ exarescant. Utinam sic intima spiritus
mei dulcedine vestri effecta impinguentur,
vt medullæ corporis mei exiccentur, Domine
fili dominæ meæ, domina mater Domini mei:
si ego non sum dignus qui sic debeam ve-
stri amore beatificari , fortè vos non estis
indigni , qui sic , imò eius debeat is a-
mari.

13 Ergo benignissimi ne sic denegetis
mihi petenti, id quo me confiteor indignum,
vt auferatur vobis , id quo certè vos negare
non potestis dignos. Date itaque piissimi,
date obsecro supplicantí animæ meæ , non
propter meritum meum , sed propter meri-
tum vestrum : date illi quanto digni estis , a-
morem vestrum. Date inquam, mihi qui sum
indignus : vt reddatur vobis qui estis digni.
Si enim non vultis dare vt habeam quod de-
sidero, saltem nolite negare , vt reddam vobis
quod debedo.

14 Forsan præsumendo loquar : sed uti-
que bonitas vestra facit me audacem. Loquar
ergo adhuc ad dominum meum & dominam
meam: quum sum puluis & cinis. Domine &
domina,

domina, nōnne multò melius est quum vos
gratias datis petenti, quod ipse nōn meretur:
quām quām vobis subtrahitur quod vobis
iustē debetur? Illud quippe est prædicandæ
misericordiæ: istud est nefandæ iniustitiæ.
Impendite igitur piissimi gratiam, vt recipiatis
debitum: facite vos mihi misericordiam
vestram, quæ mihi expedit & vos decet: ne
faciam ego vobis iniustitiam meam, quæ nulli
expedit, & nullum decet. Estote vos mihi
misericordes, quod obsecro vos: ne sim ego
vobis iniustus quod execro, dare benigne &
benigna. Nec sitis exoratu difficiles dare ani-
mæ meæ amorem vestri, quem ipsa non iniustè
petit: & vos iustè exigitis, nec ipsa bonis ve-
stris sit ingrata, quod ipsa iustè oret, & vos
non iniustè punitis.

15 Certè I E s v fili Dei & tu Maria ma-
ter eius, & vos vultis, & æquum est, vt quic-
quid vos diligitis diligatur a nobis. Ergo bone
fili, rogo te per dilectionem qua diligis ma-
trem tuam: vt sicut tu verè diligis, & diligi-
vis eam, ita mihi des vt verè diligam eam. Bo-
na mater, rogo te per dilectionem qua diligis
filium tuum, sicut diligi vis eum: ita mihi
impetres, vt verè diligam eum. Ecce enim
peto quod fiat, verè est in vestra utriusque
voluntate. Cur ergo propter peccata mea
fiet, cum sit in vestra potestate: amator &
misericordia hominum tu potuisti reos tuos
usque ad mortem amare: & poteris te ro-
ganti amorem tui, & matris tuæ negare?

Vene

Veneretur igitur sicut digni estis , mens mea vos : sicut digni estis , mens mea vos amet, sicut æquum est ; cor meum diligat vos, sicut sibi expedit anima mea seruiat vobis, sicut debet caro mea : & in hoc consumetur vita mea : vt in æternum psallat tota substantia mea ; Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat. Amen.

X X V I I . *Communiter ad beatam Mariam Virginem, & custodem eius, beatum Ioannem Euangelistam.*

1 **O** Intemerata & in æternum benedicta, specialis & incomparabilis Virgo, Dei genitrix Maria , gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, ianua regni cœlorum , per quam post Deum totus viuit orbis terrarum , inclina aures tuæ pietatis, & illos tuos misericordes oculos indignis supplicationibus meis, & esto mihi peccatori pia in omnibus auxiliatrix.

2 Et ô beatissime Ioannes Christi familiaris amice, qui ab eodem Domino nostro Iesu Christo electus es , & inter ceteros magis dilectus , atque mysteriis cœlestibus supra omnes imbutus , Apostolus eius & Euangeliista factus, præclarissimus , custosque matris eius individuus; te inuoco etiam cum matre eiusdem Saluatoris, vt mihi opem tuam cum ipsa ferre digneris.

3 O duæ gemmæ cœlestes Maria & Ioannes,

nes, ô duo luminaria diuinitus ante Deum lucentia ; vestris radiis effugate scelerum meorum nubila. Vos estis illi duo in quibus Deus Pater per Filium suum specialiter ædificavit sibi domum, & in quibus ipse Filius Dei vnigenitus, ob syncerissimæ virginitatis meritum, dilectionis suæ confirmavit priuilegium, in cruce pendens vni vestrum ita dicens ; *Mulier ecce filius tuus.* Deinde ad alterum, *Ecce mater tua.* In huius ego sacratissimi amoris dulcedine, quia ita tunc ore dominico velut mater & filius inuicem coniuncti estis ; vobis duobus, ego N. peccator corpus & animam meam commendo, ut omnibus horis atque momentis intus & exteriū firmi custodes, & p̄ij apud Deum intercessores mihi existere dignemini. Credo enim firmiter, fateor indubitanter, quod velle vestrum, velle Dei est, & nolle vestrum, nolle Dei est. Vnde & quicquid petitis, sine mora obtinetis.

4 Per hanc ergo tam potentissimam vestræ dignitatis virtutem, poscite mihi corporis & animæ salutem. Agite quæso, agite vestris gloriofissimis precibus, ut cor meum inuisere & inhabitare dignetur spiritus almus, qui me à cunctis vitiorum fordibus expurget, virtutibns sacris exornet, in dilectione Dei & proximi perfectè stare & perseverare faciat, & post huius vitæ cursum ad gaudia ducat me electorum suorum, benignissimus Paraclitus, gratiarum largitor optimus, qui

386 *Meditatio S. Anselmi,*
patri & filio coæternus & consubstantialis,
cum eis , & in eis viuit & regnat omnipotens Deus per infinita sæculorum sæcula,
Amen.

XXIX. *Ad sanctam crucem dominicam.*

¶ **S**ancta crux , per quam nobis ad memoriæ crux illa redicitur , in qua Dominus noster Iesus Christus nos per mortem suam à morte æternæ in qua omnes misérè tendebamus , ad vitam æternam , quam peccando perdideramus , resuscitauit , adoro , veneror & glorifico in te crucem illam quam nobis repræsentas , & in illa eundem misericordem ac misericordem Dominum nostrum , & quæ per illam misericorditer operatus est . O crux amabilis in qua est salus , vita , & resurrectio nostra . O lignum pretiosum , per quod saluati & liberati sumus ; ô signum venerandum , per quod Deo signati sumus . O crux gloria in qua sola gloriari nos oportet .

¶ Non enim es ô sancta crux suscipienda secundum crudelium qui te mitissimo agno parauerunt insipientissimam impietatem , sed secundum eius qui te sponte suscepit sapien-tissimam pietatem . Nam illi non potuerunt aliquid nisi illo sapienter permittente , nec ipse quicquam sustinuit nisi se misericorditer volente . Illi te elegerunt ut per te scelus impietatis suæ perpetrarent , ille te elegit , ut per te opus pietatis suæ consummaret . Illi

vt per te iustum morti traderent; illi vt per te peccatores à morte erueret. Illi vt vitam interficerent, ille vt mortem perimeret. Illi vt Saluatorem damnarent, ille vt damnatos saluaret. Illi vt viuificantem mortificarent, ille vt mortuos viuificaret. Illi insipienter & crudeliter, ille sapienter & misericorditer. Non ergo es δ crux admirabilis æstimanda secundum intentionem crudelis insipientiæ, sed secundum effectum misericordis sapientiæ.

3 Quomodo igitur te crux laudabo? Qualiter te exaltabo? Quo affectu te orabo? Qua iucunditate in te gloriabor? Per te infernus spoliatur, & omnibus per te redemptis obtutatur? Per te dæmones terroristur, comprimuntur, vincuntur, & conculcantur. Per te mundus renouatur, atque veritate in eo luctante & iustitia regnante decoratur. Per te humana natura peccatrix est iustificata, damnata saluata, ancilla peccati & Tartari libera-ta, mortua resuscitata. Per te illa ciuitas beata in cœlis restauratur & perficitur. Per te Deus Dei filius, pro nobis voluit obediens esse patri usque ad mortem; propter quod exaltatus accepit nomen, quod est super omne nomen. Per te paravit thronum suum, & instaurauit regnum suum.

4 O crux quæ ad tam ineffabilia bona es electa & præparata, laudant & exaltant te, non tam humana sive Angelica mens & lingua, quam opera quæ per te sunt facta. O tu in q :a

& per quam est salus & vita mea. O tu in qua & per quam est totum & omne bonum meum, absit mihi gloriari nisi in te. Nam quid mihi concipi, nasci, viuere, & omnibus huius vitæ bonis perfaci prodest, & postea in infernum descendere? Utique si sic mihi esset, melius mihi erat si nec conceptus fuisssem. Et certè sic essem, si per te redemptus non essem.

5 Quo ergo affectu gloriabor in te, sine quo non solum mihi nulla esset gloria, sed insuper æternè me possideret infernalis luctus & miseria? Quia dilectione iucundabor in te per quam pro seruitute Tartarorum, hæreditas mihi data est regni cœlorum? Quo gaudio gratulabor in te, sine qua futurum erat ut horrerem me, vel ad momentum esse, & per quam expecto, quia gaudebo me in æternum bene esse? Nam et si adhuc inter spem & metum Deo seruiam, certus tamen sum quia ad hæc bona, si gratias agendo, amando, viuendo in te glorior, per te perueniam.

6 Sit itaque per te & in te gloria mea, sit per te & in te vera spes mea. Per te peccata mea deleantur, per te anima mea à vita veteri mortificetur, & in nouam vitam iustitiae resuscitetur. Fac obsecro, fac ut sicut me in baptismo mundasti à peccatis in quibus fui conceptus & natus, ita me remundes ab eis quæ contraxi postquam sum renatus, ut per te ad ea bona perueniam ad quæ homo est creatus;

creatus; præstante Domino nostro Iesu Christo, qui sit benedictus in sæcula. Amen.

XXX. *De sancta cruce, & beata Virgine,
& bono latrone.*

1 **S**alue crux sancta, salus & vita mea.
Salve crux quam adorat & desiderat exercitus Angelorum. Salve crux quam adorat & inuocat omnis chorus Sanctorum. O verè sancta & venerabilis crux. Ecce peccator & infelix homo, ante te, & in te crucifixo manet, quamuis indignus; sed pro peccatis suis ita est anxius, ut ferè nesciat quid agere debeat. Desiderat enim te adorare, sed non audet oculos ad te leuare. Desiderium qui dem bonum habet in te, sed nullum meritum sentit in se, pro quo confidat de te. Maneo itaque in conspectu tuo trepidus & dubius, ita ut coram te stare erubescam, & à te recedere pertimescam. Hortatur me stare ante conspectum tuum memoria diuinæ tuæ pietatis, sed dehortatur me conscientia miserabilis & inueterata meæ iniuriantes. Arctor quoque graueriter ab iis duobus, & quid eligam ferè ignoro. Elegi tamen magis opportuno conspectui tuo importunè assisterem, etiam si debeas me occidere. Melius est enim mihi mori iuxta te, quam vivere longè à te; quia nulla mors homini peior est, quam cum homo longè à te est.

2 Suppliciter ergo deprecor te chara ma-

iestas & magna charitas qui pendes in cruce,
vt importunitatem meam non importunè suscipias; sed ad necessitatem meam opportunè
& misericorditer respicias. Tu es enim spes
mea, tu refugium meum, tu misericordia mea.
Miserere igitur, miserere mei, & doce me
quomodò adorare te debeam, & quomodò te
diligere valeam. Quamuis peccatis meis exi-
gentibus nesciam quomodò te adorare ac
diligere debeam, tamen hoc est meum de-
siderium, vt te adorem & diligam. Obsecro
te verè piis exaudibilis Iesu, per omnem dilec-
tionem quam habes in homine, dum pendes
in ligno, vt hoc bonum specialiter facias cum
seruo tuo, ne stare in conspectu tuo & ante
crucem tuam me aliquando tædeat aut pi-
geat, sed potius delectet & placeat. Dele-
ctet animam meam in conspectu tuo fideliter
assistere, & placeat oculis diuinitatis tuæ, mi-
sericorditer in me respicere. Delectet me lu-
gere miseriam meam, & placeat omnipotentiæ tuæ vertere in gaudium tristitiam
meam.

3 Delectet antem me recordari hoc quod
pendens in cruce, benedictæ virginis matri
tuæ dixisti. *Mulier ecce filius tuus.* Et nunc
quæso benignissime Domine dic mihi seruo
tuo, homo, ecce Deus tuus, ecce redemptor
tuus. Te quoque obsecro virgo inter omnes
mulieres benedicta ut dicas mihi, homo; ec-
ce filius meus, ecce Saluator tuus. Video
quippe venerabilis domina filium tuum in
præ

præsepio iacentem, recognosco filium tuum
in templo docentem, sed in nullo loco eum
certius cognosco quam in cruce pendentem.
Ibi enim ipsem de se testatur dicens; *Mu-*
tier ecce filius tuus. Hic ergo fœlix mater &
omni laude digna, hic intercede pro me miser-
ro apud ipsum qui dum se filium tuum nominat,
quodammodo se debitorem obligat, ut preces
tuas cum amore suscipiat.

4 Dic illi itaque, fili; iste peccator clamat
ad me, & lacrymabiliter deprecatur ut inter-
cedam pro eo apud te, quatenus remittas ei
peccata sua quæ insipienter commisit in te.
Verum est Domine mihi, verum est certè. Ego
reus confiteor coram te Deus, & coram geni-
trice tua, quia ab infantia mea usque nunc,
veniens ante gloriosam crucem tuam, & fan-
cta maiestatis tue conspectum, non ut debui
veni, supplicaui, nec adoraui. Sed tu cui pro-
prium est parcere & misereri, ne respicias fra-
gilitatem meam & immunditiam meam pe-
simam, sed dimitte quicquid negligenter de-
liqui, quia tu es spes mea sola & vera, & non
habeo in alio fiduciam meam, nisi in te solo
Deo viuo & vero.

5 Dat etiam mihi grandem fiduciam sum-
me redemptor meus, illa pia & dulcis oratio
quam pro crucifigentibus te, apud patrem
fecisti dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt*
quid faciunt. Qui enim sic exorasti pro tuis
crucifixoribus, nunquid non orabis pro tuis
adoratoribus? Et qui in cruce recordatus es

indulgentiæ, nunquid in cœlo oblitus es misericordiæ? Miserere quæso Domine, miterere mei serui tui, & vel tu ignosce, vel apud Patrem intercede ut ignoscatur. Propter hoc namque mando coram te, & adoro sanctam crucem tuam per quam redemisti mundum. Credo namque & confiteor quia per eleuationem & extensionem corporis tui in ligno, traxisti omnes ad te qui rectè diligunt te. Trahe igitur me dulcissime Domine, trahe me & desiderium meum post te, ut ego sentiam virtutem crucis tux in me.

6 Sentiam Saluator meus, virtutem & odorem qui est de cruce tua; sicut sentiebat latro ille qui dicebat: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Viderat forsitan latro iste, te, antea coecos illuminantem, vel mortuos suscitantem, & non adorauerat te. Tunc vero quando videt te pendere in ligno, adorat te dicens. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Hoc fecit in illum crux tua, quod non potuerunt facere miracula tua. Verius enim & perfectius cognouit iste te in cruce pendentem quam in templo docentem, aut miracula facientem. O quanta est virtus crucis tux, quanta est gloria pendantis in ligno. Latro iste vbi vidit tuum lignum, mox cognouit tuum regnum, & vbi te pendere aspexit, ibi quod regnares intellexit. O quantus odor de cruce exibat, qui omnem infidelitatem ab eo repellebat. O quam dignè vocabat te Dominum suum,
qui

qui veraciter sciebat se seruum tuum, quia oculis suis intuebatur pretium, quo redimebas penitus mundum vniuersum.

7 Sed qnid bone Iesu, quid dulcissime Domine respondisti latroni te oranti in cruce? *Hodie mecum eris in Paradiso.* Et quid hoc est, ô rex desiderabilis? Tu clavis affligeris, & Paradisum promittis? Tu pendes in ligno, & latroni dicis, *hodie mecum eris in paradise?* Et ô desiderium animarum, vbi est paradiſus, quia dicis latroni, *hodie mecum eris in paradise?* An paradiſus tecum est, & vbi tu vis paradiſus est? An tu indubitanter paradiſus es, quia tam confidenter promittis, *hodie mecum eris in paradise?* Credo Domine, credo certè, quod vbi tu vis, & vbi tu es, ibi paradiſus est, & esse tecum, hoc est esse in paradise. Quoniam venerabilis ille confessor & gloriosus martyr, tecum fuit per totum illud hodie, & postea omni tempore. O quam bonum est esse tecum. O quam beati sunt illi qui tecum sunt. Illi verè sunt in paradise, verè sunt in regnis, qui tecum sunt fide & dilectione.

8 Crux tua Domine, paradiſum promittit & paradiſum tribuit. Et ideo suppliciter adoro crucem tuam, adoro te in cruce, & crucem in te. Denique adoro crucem propter pendeatrem in cruce. Adoro quem latro adorabat, & oro sicut ille orabat. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Recognosce in me Domine hanc orationem, sicut recognouisti eam in latrone. Suscipe hanc orationem

Mea'itatio S. Anselmi,
 tionem à seruo tuo , sicut suscepisti eam à fa-
 mulo tuo. Memento mei de regno, sicut fuisti
 memor illius de ligno. Dic igitur, dic quæso
 Domine, dic seruo tuo, dic animæ meæ, *Hodie*
meum eris in paradiſo , ut ego confortatus de-
 fiderabili tua promissione fideliter perma-
 neam in tua fide & dilectione, redemptor
 meus , mediator Dei & hominum. Qui cum
 Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus
 in sæcula sæculorum. Amen.

Ad eandem S. Crucem.

* **A**ve crux glorioſiſſima , & omnium li-
 gnorum pretioſiſſima , & ſplendiſiſſi-
 ma, quæ tactu Conditoris noſtri es ſanctifica-
 ta , & eius pretioſiſſimo ſanguine cruentata.
 Fœlix permaſes, & permaſes, & permanebiſ
 in ſæcula ; quæ ſi non in Paradifi tellure orta
 fuisti, tamen pretioſior cunctis eius arboribus
 extitisti ; non decore frondium propriarum,
 aut pulchritudine foliorum , ſiue dignitate
 fructuum, ſed caſtissimis membris regis æter-
 ni, quæ ſuſtinuisti, dum omne redimeret ſæ-
 culum. Modò noſ ſolum tua virtus ſplendet,
 verum etiam nomen tuum cuncto pretioſiſſi-
 mum eſt mundo. Terris , & æthera fulges,
 ſæculum repleſ, iñfernū perlustras. Te An-
 gelicæ mirantur potefates , mundi adorant
 Principes , dæmonum timent ſatellites. Tu
 perdiſta reſtauras, reſtaurata conſeruaſ, conſer-
 uata ſanctificas, deſtructa reparas, infirma, &
 fracta

fracta consolidas, dolenda lætificas; dæmoniacis artibus læsos saluificas.

10 In præsentia tua Infernus gemit, dæmones pauescunt, & fugiunt; mors contremiscit, omnis virtus contraria, audiens sanctum nomen tuum pertimescit. Sicut enim magnalia Iesu Christi, qui viua est hostia, præpondent, magnaque, & incomprehensibilia sunt, sic laudem tuam, & virtutem tuam, nulla vñquam mortalium promere potest lingua; illic enim est Christus fructus tuus dulcissimus. Ipse flos tuus pulcherrimus, odor tuus suauissimus, ornatus tuus pretiosissimus. Dulce lignum, dulce pomum, dulce onus. Tu fœlix, sola sustinuisti talentum mundi. Quapropter emptio nulla est in te, pretia nulla sunt pro te; appretiatio nulla super te. In comparatione tua aurum est vt stipula, gemmæ vt fauilla, & vt sterlus omnis gloria. Sol, & nebulae, Luna, & sydera, & cuncta, quæ transiunt, tibi non sunt æqualia. Non orbis partes quadriformes tam fœlicem ferunt arborem, in radice, in fructu, in fronde, in flore, in sancto germine.

11 Idcirco ego seruus tuus inutilis, cantando, gemedo, atq; lamentando, prosternor ante conspectum tuum, & ad te oro, atque confiteor tibi Crux veneranda, per cuius lignum redemptus sum, cuius signo sum firmatus, cuius vexillo sum munitus, cuius nomine sum defensus, cuius virtute nunc usque saluatus te adoro, te inuoco, te deprecor.

Tu es salus mea , tu virtus , tu protectio , tu murus, tu defensio mea , tu gaudium meum, & consolatio mea. In vita ista me politum, salua me in angustiis recreas; in aduersis confortas; in infirmitatibus corroboras; in morte a dæmonibus me liberas; a morte æterna me subtrahes; ianuam Paradisi pandes; & Redemptori meo Domino Iesu Christo, qui in te crucifixus peperit, post hanc vitam miseram me coniunge. Amen.

12 Aue Crux sancta virtus nostra. Aue Crux adoranda laus , & gloria nostra. Aue Crux auxilium , & refugium nostrum. Aue Crux consolatio omnium moerentium ; salve Crux victoria, & spes nostra; salve Crux defensio, & vita nostra. Salve Crux redemptio, & liberatio nostra. Salve Crux signum salutis, atque inexpugnabilis murus contra omnem virtutem inimici. Sit mihi Crux semper spes Christianitatis meæ. Sit mihi Crux resurrectio mortis meæ. Sit mihi Crux triumphus aduersus dæmones. Sit mihi Crux mater consolationis meæ. Sit mihi Crux requies tribulationis meæ. Sit mihi Crux baculus feneratus meæ. Sit mihi Crux medicina ægrotationis meæ. Sit mihi Crux protectio nuditatis meæ. Sit mihi Crux consolatio vitæ meæ. Sit mihi Crux in omnibus angustiis meis solatium. Sit mihi Crux remedium in tribulationibus meis. Sit mihi Crux in infirmitatibus meis medicamentum, atque contra omnia aduersa tutamentum. Amen.

13 Salua me sancta Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum eius compage tanquam margaritis ornata, quæ pretium nostrum portare digna fuisti, & vitam æternam nobis attulisti. Iesu bone præsta mihi, ut per signum, & reparationem sanctæ Crucis, me ab omnibus inimicorum incurSIONIBUS liberes, & tua bonitate conserues, peccata dimittas, veniam indulgentiæ tribuas, qui viuis, & regnas, Deus, &c.

X X X I. *Ad Angelum bonum, custodem tuum.*

O Bsecro te Angelice spiritus, cui ego ad prouidendum commissus sum à Deo ut custodias me indeinxenter & protegas, vestites & defendas ab omni incursu diaboli vigilantem & dormientem, nocte ac die, horis continuis momentis confoue me; vbiunque idèò comitare mecum. Repelle à me omnem tentationem Satanae, & quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud misericordissimum iudicem, & Dominum nostrum, qui te mihi tutorem assignauit, & me tibi commendauit, ut nihil in meloci habeat contrariæ virtutis admixtio. Cùmque me per abrupta vitiorum deniare perspexeris, per semitas iustitiae ad redemptorem meum reducere satagas me, & in quacunque angustia me perspexeris, auxilium Dei omnipotentis tuo obtentu super me esse sentiam.

Pre

Precor ergo si fieri potest, ut notum mihi facias finem meum, & cum de hoc corporeeductus fueris, non dimittas malignos spiritus terrere me, aut illudere, neque in foueam desperationis inducere. Et non me delinquas, donec perducas ad visionem conditoris mei, ubi perenniter cum omnibus sanctis tuo interuentu merear latari; præstante Domino nostro Iesu Christo.

XXXII. *Ad sanctum Ioannem Baptistam
cum recordatione peccatorum.*

Sancte Ioannes, tu ille Ioannes qui Deum baptizasti, tu prius ab Archangelo laudatus, qui genitus a patre prius plenus Deo, quam natus ex matre, prius noscens Deum, quam notus in mundo, tu ante monstrans grauidam matrem Dei, quam grauida mater tua te diei; tu de quo dixit Deus, *internatos malierum non surrexit maior.* Ad te Domine tam magnum, tam sanctum, tam beatum, ad te venit scelerosus vermis, ærumnosus homuncio, iam emortuo sensu, vix se dolens, sed mortua anima sibi nimis dolendus peccator. Ad te tam magne amice Dei, valde timens venit, dubius de salute sua, quia certus de magna culpa sua, sed sperans de maiori gratia tua. Maior enim est gratia tua Domine, quam culpa mea, quia plus potes apud Deum quam delere sclera mea. Ad te ergo Domine, quem gratia fecit tam amicum Dei,

ad

ad te fugit anxius quem iniquitas fecit tam
reum Dei. Ad te quem tam beatum fecit gra-
tia , ego quem tam miserum fecit nequi-
tia . Verè Domine fateor , iniquitas mea
me fecit talem , sed te talem , non tu , sed
gratia Dei tecum. Memento ergo Domi-
ne , vt sicut gratia Dei te sic sublimauit , sic
misericordia tua erigat quem culpa sua sic
humiliauit.

2 Heu me , qualem me feci ? qualis eram
Deus ? Qualem me fecisti , & qualem me ite-
rum feci ? In peccatis eram conceptus &
natus, sed abluisti me, sed sanctificasti me, &
ego peioribus sordidaui me. In necessariis
enim tunc natus,nunc sum in spontaneis vo-
luntatis. In illis nesciens conceptus , istis vo-
lens, plenus & opertus. Ex illis misericorditer
à te educitus , in hæc miserè à me inductus.
Ab illis piè redemptus, in istis impiè perem-
ptus. Sanaueras pie Deus animam à paren-
tibus vulneratam , ego impius interfeci sanata-
tam. Exueraς me misericors Domine vetustis
pannis originalis peccati , & indueras me ve-
ste innocentia , promittens alteram incorru-
ptibilitatis,& ego illa reiecta quam dedisti o-
perui me sordibus nequitia , illaque despecta
quam promisisti , plus elegi dolores æternæ
miseria . Filium iræ me fecisti , filium gratia
tuæ , & ego illa contempta feci me filium
odij tui. Reformasti in me amabilem imagi-
nen tuam , & ego superimpressi odibilem
imaginem.

3. Heu,

3 Heu, heu cuius? Cuius miser & demens homuncio, cuius imaginem superimpressi super imaginem Dei? O cur vel non puduit tacere, quod sic expauesco dicere? O cur non odi eius imitationem, cuius sic horreo nomen? Ille sponte cecidit, ego volens fodiui. Sed ille nulla præcedente delicti vindicta, superbiens peccauit; ego visa eius poena, contempnens ad peccatum properauit. Ille semel in innocentia constitutus, ego restitutus. Ille contra eum qui se fecit, ego contra eum qui me fecit, refecit & redemit. Ille dereliquit Deum promittentem, ego fugi Deum prosequentem. Ille præstat in malitia, Deo reprobante, ego in illam cucurri Deo reuocante. Ille obduratus ad punientem, ego obduratus ad blandientem. Et si ambo contra Deum, ille contra nec requirentem se, ego contra pro memorientem.

4 O infœlix & nimis infœlix homuncio, si tamen non omnis recessit humanitas, ubi tanta malitia incessit immanitas. Ecce cuius imaginis horrebat horrorem, in multis aspicio me horribiliorem. Fuge, fuge tu horribilis nescio qua superbia, fuge teipsum exterrita a teipsa. Sed vae, fugere te non potes. Ne ergo aspicias te, quia non toleras te. Nam si tolerare potes sine doloris horrore, hoc ipsum ne toleres quia tolerare potes. Quanto enim hoc potes, tanto primo peccatori similior, & Deo es intolerabilior. Non enim est fortitudo, sed mortis hebetudo. Non est sa-

nitas,

nitas, sed obdurata iniq[ue]itas. Non est ex consolatione, sed ex damnatione. Ne ergo sine inani rugitu cordis tui toleres horrorem interioris vultus tui. Quia ergo fugere te non potes, vel te non aspicias, quia te non toleras. Sed ecce peius si non aspicio me, nam ego met fallo me.

5 O nimis grauis angustia. Si me inspicio non tolero meipsum, si non inspicio, nescio meipsum. Si me considero, terret me facies mea, si non considero, fallit me damnatio mea. Si me video, horror est intolerabilis, si non video, mors est ineuitabilis. Malum hinc, peius inde, malum vndique. Sed nimis malum hinc, nimis peius inde, & nimis malum vndique. Nimis enim miser quem torquet conscientia sua, quam fugere non potest. Nimis miserior quem expectat damnatio sua, quam vitare non potest. Nimis infœlix qui ipse sibi est horribilis. Nimis infœlicior cui mors erit æterna sensibilis. Nimis ærumnosus quem terrent continui de sua fœditate horrores. Nimis ærumnoscior quem torquebunt æterni pro sua iniquitate dolores. Malum hoc, & malum hoc, sed nimis hoc, & maius hoc.

6 Peccare quam mala & quam amara res es? peccata quam faciles aditus, quam difficiles exitus habetis? Peccatores quo vos inducitis? Inter quos vestes vos includitis? Intelligite, intelligite quam malum & quam amarum est reliquisse Dominum. Qui peccastis redite,

redite, volentes peccare nolite. Verè malum & amarum est, expertus sum: in hoc ipso sum. Aut enim continui dolores torquebunt pœnitentem vitam meam, aut æterni cruciatus vexabunt puniendam animam meam. Utique est malum & amarum verunque. Et certè iustè angitur reus Dei, inter malum, & peius, nimis malus inter nimis malum & nimis peius. Iustè fit, recte fit, iuste iudex meus, sed utique tu es ipse Deus & Dominus & creator meus. Tolle ergo creator, tolle tantum malum de creatura tua, si gratias agit quia est factura tua. Erue Domine, erue de tantis malis seruum tuum, qui gaudet fateri te Dominum suum. Parce Deus, parce peccatori tuo si non desperat de bonitate tua. Nam eti iudicem me nequiss illo primo peccatore deliquisse, non odi te, ut ille; nec detestor bonitatem tuam.

7 Renoua ergo per merita magni Baptiste tui, renoua in me gratiam baptismi tui. Præueniat me gratia tua, subsequatur me misericordia tua. Da per pœnitentiæ lamentum, quod dedisti per baptismi sacramentum. Dona petenti, quod donasti rescienti. Reforma faciem quam foedavi, restaura innocentiam quam violavi. Qui abstulisti peccata quæ attuli nascendo, tolle peccata quæ contraxi vivendo. Tolle qui tollis peccata mundi, quia ista sunt peccata mundi, quæ porto de conuersatione mundi. Tolle qui tollis peccata mundi, per merita illius qui hoc testimonio

te ostendit mundo , tolle peccata quæ contraxi in mundo. Tolle de me, quod non est ex te , quia odi quod est à me , & adhuc spero de te.

8 Et tu sancte Ioannes qui ostendisti mundo tollentem peccata sua per gratiam tibi datum, fac mihi hanc misericordiam , ut tollat peccata mea. Tu Deus tollis peccata mundi, tu amico eius dicis , *bic tollit peccata mundi* : Ecce ante vos onus tuus peccatis mundi. Tu tollis & tu dicis : ecce me cui tu tollas, quod tu dicis. Ecce medicus & testis eius , & ecce æger seruus medici, & opus eius, rogans medicum & testem eius. Verè medice oro te, sana me. Verax testis eius, precor te ora pro me. Probate mihi in me , tu actum tuum, tu dictum tuum. Experiar quod audio , scianx quod credo. Iesu bone Domine, si tu operaris quod ille testatur , fiat in me opus tuum. Ioannes monstrator Dei , si tu testaris quod ille operatur , fiat in me verbum tuum. Sana me Domine, tu cuius est sanare. Impetra mihi hoc Domine tu qui potes impetrare: Tu enim es magnus Dominus , & tu coram Domino magnus. Tu summè potens per te ipsum , & tu valdè potens apud ipsum. Tu summè bonus Deus,& tu valdè bonus amicus eius ; qui est in æternum misericors & benedictus Deus. Amen.

XXXIII. *Ad sanctum Petrum Apostolum cum lamentabili deploratione peccatorum.*

1 Sancte & benignissime Petre, fidelis pastor ouium Dei, princeps Apostolorum, princeps tantorum principum, qui ligas & soluis quod vis, qui sanas, & resuscitas quem vis, qui das regnum cœlorum cui vis. Magne Petre, magne tot & tantis donis ditate, tot & tantis donis sublimate; ecce ego pauperimus & infimus homuncio, multis & grauibus æruminarum circumdatus angustiis, miserabiliter indigeo auxilio tuæ benignæ potentiaæ. Sed nec os meum habet verba quibus necessitatem meam sicut ipsa est exprimat, nec cor meum habet deuotionem quæ de tam infimo ad tuam sanctam sublimitatem attingat. Iterum atque iterum conor mentem meam torpem concitare, & dissolutam per inania restringere. Sed omnibus viribus collectis, nec torporis sui tenebras quas contraxit de sordibus peccatorum suorum potest dirumpere, nec in eadem intentione diutius valet consistere.

2 Heu me miserrimè miserum. Ita quippe est, non est simulatio, ita est. Quis ergo subueniet misero, qui nec valet exhibere tribulanti vocem, nec dolenti mentem. O magne Petre, si clamor tribulationis meæ non ascendit vique ad te, respectus tuæ pietatis descendat vique

usque ad me. Dirumpat duritiam meam, scindat tenebras meas, circumspiciat ærumnas meas. Respice benigne pastor, commissi tibi gregis ouem, & miserare miserabiliter labrantem, & non quantum sua mala exigunt, sed quantum permittunt, orantem. Ecce enim ante fidelem pastorem iacet & gemit morbida ouis, coram domino pastoris & ouis. Fugitiua redit, erroris & inobedientiæ veniam petit. Pio medico & pastori morsus luporum & scissuras vulnerum quæ errando incurrit, & vlcera quæ longa incuria nutriuit, reuelat, & misereri sibi dum adhuc spiritum trahit, plus miseriam suam coram misericorde pastore expandendo quam obsecrando exorat.

3 Pastor bone Petre, ne sis exoratu difficilis, ne auertas misericordes oculos, respice precor & ne abiicias pœnitentem, ne differas exaudire supplicantem. Quia enim fastidiuit salutifera pascua, languet defectu virium, quia indulxit pestiferis, torquetur attractu morborum. Adulta vlcera & illisa vulnera putrescendo peiorata, citò eam trahunt ad mortem. Lupi iam gustato eius sanguine, expectantes abiiciendam, in insidiis latent. Inimicus eius tanquam leo rugiens, circuit quærens eam ut deuoret. Pastor fidelis, conuerte oculos tuos ad eam, & recognosce tibi commissam. Si enim errauit, tamen dominum & pastorem non negauit. Inspice in faciem eius, & aduertere signum domini tui, & eius.

eius. Si sub tanto squallore non agnoscis faciem lotam & candidatam in fonte Christi, agnosce vocem confessionis sub nomine Christi, qui ter interrogans vtrum eum amares, tibi ter confitenti dixit, *Paste oves meas.* Certè amatōr est ouis, qui ante commendationē sic discutit amorem pastoris. Enī confiteris te amatōrem eius, & hic confitetur se ouem eius. Cur ergo spernis ouem Christi pastor eius? Petre amatōr Christi, recollige ouem Christi. Dominus tuus imposuit in humeros suos gaudens quæsitam & inuentam, ne repellas eam redeuntem & supplicantem. Dominus emerat eam sanguine suo nondum natam, pastor eius ne vilipendas iam renatam, & tam diligenter tibi commendatam. Heu quandiu non sentiet se receptam, curatam & refocillatam.

4 O sancte Petre, si te non mouet nomen pastoris & ouis, moueat te nomen Apostoli, principis Apostolorum & nomen Christianæ animæ. Nempe hæc est ouis à me tibi oblatæ, anima mea, baptismo Christi regenerata. Hæc vulnera quæ dixi, hæc ulcera, hæ scissuræ, non sunt ouinæ carnis, sed sunt spiritus rationalis. Hæc famæ, hi defectus virium, hæ torsiones, non sunt pecorini ventris, sed humanæ mentis. Hi lupi & hi leones non sunt quadrupedes, sed dæmones. Hæc tanta mala, paupertas est virtutum, & coaceruata peccata. Quia igitur nondum sentio me exauditum, vrgentibus angustiis, à principio
reperiam

repetam narrationem meam, & multiplicabo orationem meam. Exponam coram ianitore regni cœlorum, & principe Apostolorum, fidelem animam, miseram sub regno peccatorum, ad regnum cœlorum inhabitantem, & ob hoc Petrum ianitorem regni cœlorum & principem Apostolorum inuocantem.

5 Ecce ego misericors Petre, coram te exhibeo animam meam, neruis virtutum disfusam, catenis vitiorum ligatam, pondere peccatorum aggrauatam, delictorum sordibus foedatam, discissam vulneribns dæmonum, putridam & fœtidam viceribus criminum. His & aliis grauibus malis quam melius me vides obrutam, oppressam, circumdatam, obuolutam, bonorum omnium reueamine, ut cernis, destitutam. Ecce miseram animam & misericordem Apostolum Petrum, coram misericorde Deo, qui Apostolo Petro misericordiam fecit, præcepit, & faciendi potestatem dedit. Ecce miseria, & ecce misericordia. Misericordia Dei, & Petri Apostoli eius, miseria animæ Deum confitentis, & Deum & Petrum inuocantis. Ergo miseria premet diutius animam ad Deum & Petrum recipientem, & videbit hoc misericordia Dei & Petri.

6 O Deus, & tu maior Apostolorum eius, quæ est hæc miseria meæ inumanitas, si non potest aduersus eam misericordię vestrę immenitas? Aut si potest, sed non vult, quæ est hæc enormitas culparū mearum, quæ excedit multi

multitudinem miserationum vestrarum? An quia cuncta quæ peccavi non confiteor? En cuncta quæ scitis me peccasse, vera esse con fiteor? An quia nec sufficienter pœnitendo, nec malis bona rependendo, satisfacio? Vtique sic est; fateor, sed hæc est ipsa miseria qua torqueor. Ergo quo plus coarctat miseria, plus lenta erit misericordia? O inauditum verbum, à misericorde in supplicantē. Sed intelligo iuste Deus, intelligo quid respondeas animæ meæ. Meritò patitur quod sponte subiit, & dignè non exauditur quæ non obediuit.

7 Heu desperationis amaritudo. Agnosco certè, agnosco hanc sententiam esse iustitiae, non misericordiæ. Quis vocavit iustitiam in causam meam? Cum misericordia sermo mihi erat, non cum ea. Panem misericordiæ mendicat à te Deus in tribulatione anima mea. Cūr lapide iustitiae perfringis ossa eius? Misericordia tua misericors Deus, per merita & intercessionem Beati Petri dilecti Apostoli tui, acceleret & eruat eam dimittendo peccata eius. Sancte Petre princeps Apostolorum, per misericordiam tibi factam & potestatem tibi datam, solue vincula eius, sana vulnera eius. Libera eam de miseria regni peccatorum, & introduc eam in beatitudinem regni cœlorum, ut tecum gaudens, gratias agens, laudet Deum in sæcula sæculorum. Amen.

X X X I V. *Ad Beatum Paulum Aposto-*
lum cum terrore iudicij extremi &
peccatorum.

Sancte Paule, tu magne Paule, tu ille qui unus ex magnis Apostolis Dei, omnes alios tempore sequens; labore & efficacia præcessisti in agricultura Dei. Tu qui adhuc mortalitate grauis raptus es usque ad tertium cœlum, & raptus in paradisum audisti quæ non licet homini loqui. Tu inter Christianos non solum tanquam nutrix fouens filios suos, sed & sollicitudine mirabilis, affectu iterum parturiens filios tuos. Tu inquam omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceres. Ad te Domine, ad te his & aliis multis dictis & factis mundo cognitum apud Deum esse magnæ potestatis, & erga homines immensæ pietatis, ad te venit unus certè nimis peccator, unus nimis accusatus apud omnipotentem & districtum Iudicem Deum, non uno, non paucis, sed innumeris criminibus, non solum paruis, sed & immensis, non dubiis, sed certis. Non breui accusatione, sed tam longa, quam longa est vita eius. Non uno accusatore, sed tot quot sunt delicta eius. Nam ipse Iudex, est districtus accusator meus, & ego sum manifestus peccator eius. Omnes etiam spiritus boni & mali, coram Deo accusant me cum eo. Boni, quia Deo debent æquitatem: Mali, quia meam seruant iniquitatem. Boni, quia

testantur veritatem quam considerant: Mali, quia querunt poenam meam quam desiderant. Ipsi quoque iudicant in hoc meam nequitiam, quia sciunt me debere damnari secundum iustitiam.

2 Heu quot iudices, quot accusatores super unum miserum! quam graues super imbecillum, quam districti super manifestum! Heu quem habebit excusantem, qui Deum habet accusantem? Quis vel unus erit intercessor eius, si omnes sunt accusatores & iudices eius? Sed & ego ipse, conscientia cogente, sum accusator & iudex meus. Fateor enim me nimium deliquisse, & ideo magnam damnationem meruisse. Omnia etiam irrationalia & insensibilia, si non sum insensibilis, me confundunt. Intelligo enim coram omni creatura me debere erubescere, quia in illum peccavi qui tam potens est ut posset, & tam bonus ut vellet eam facere. Confundor & a meipso, qui & ego factus sum ab ipso. Vnde, vnde tot & tanta mala irruunt, quae sic miserum istum obruant?

3 Peccata mea mala, de vobis in me fluunt haec omnia mala. Vos attrahitis accusatores, vos remouetis excusatores. Vos damnatores adducitis, vos intercessorem excluditis: vos prouocatis ultorem, vos auertitis indultorem, Vos intellectum vestrum, inducitis in timorem & confusionem, vos ab illo absconditis spem & consolationem. Vos in aeternum interitum impellitis, vos auxilium omne repellitis. Et ut miseriū sit, quicquid mihi misere facitis,

hoc

hoc insuper ad cumulandam miseriam additis, ut cum verè res ita sit, sic mihi sit quasi non ita sit. Sic enim esse veritas ostendit, & tamen affectus non sentit. Sic ratio docet, & cor non dolet. Sic video quia est, & heu nequeo liquefieri totus in lacrymas, quia sic est. Si hoc possem, forsitan sperarem, sperando orarem, orando impetrarem. Cum verò sensus & dolor in me secundum ærumnas meas non sint, qualiter sperabo? Quomodo sine spe orabo? Quid sine oratione impetrabo?

4 Infoelix homuncio, ad quid deuenit oratio tua? Inceperam orare cum fiducia temeritatis, & occurrit desperatio ex intellectu veritatis, & deficit oratio ex desperatione aliquis erga me pietatis. Si enim quicquid est, iustè contra me est, cuius pietas mecum est? Si omnia quæ sunt, rectè mihi sunt aduersa, cuius miseratione ad me erit conuersa? Si creator & creatura merito me despicit, cuius aspectus me respicit? Miser peccator si sic est, nihil tibi remanet nisi à spe torpere, & ab oratione tacere, & semper in miseria tua iacere. Vtique qui te sponte fecisti miserum, iustè necesse est semper te esse miserum. Utique misera delicta, sic redditis vestra promissa. Dum attrahitis, dulcia promittitis: cum pertrahitis, possessum vestrum amaritudine perfunditis. Dum suadetis, vngitis: Postquam suadetis, usque ad mortem anime pungitis. Dum vocatis in foueam vestram,

quasi facili[m] redditum per poenitentia[m] dolorem monstratis: cum verò præcipitatis, præcipitatum obruitis, obrutum obcoecatis, obcoecatum obduratis, obdurato omnem exitu obturatis. Et sic miserum vestrum deceptum, captiuatum, ligatum, facitis desperare, tacere & insensibilem, velut perditum Dei, & oblitum sui iacere; donec illum vendatis mercatoribus inferni qui merces suas comportant in lacum mortis. Hoc totum de me fecistis, haec omnia expertus sum. Quod tamen & ego expecto miserè timendo, & illi præstolantur malignè gaudendo.

5 Heu quam malum est sic desperare, sic tacere, sic iacere. Et heu quam vanum est sine spe clamare, sine spe conari. Deus cuius bonitas non exauritur, cuius misericordia non exinanitur, cuius scientia non deficit, cuius potestas quod vult efficit, unde potero resprire qui sic ob peccata mea cogor desperare? Nam etsi irascaris peccantibus, soles tamen benigne Domine, dare consilium peccantibus; doce me Domine unde debeam sperare, ut possim orare. Orare namque te volo; sed nec scio, propter ignorantiam meam, nec possum, propter duritiam meam, & prohibeor desperatione propter iniquitatem meam. Quæro aliquid quod me excusat, & nihil est quod me non accuset. Quæro qui oret pro me, & inuenio quicquid est esse contra me. Quæro qui miseri misereatur, & omne quod est misero aduersatur.

6 Iesu

6 Iesu bone Domine, cur de cœlo venisti?
Quid in mundo fecisti? Ad quid te morti dedisti, nisi ut peccatores saluares? Sancte Paule quid aliud mundum perambulando docuisti? Ad hanc fidem ipse & Apostoli eius, & tu maximè nos peccatores inuitatis, hoc solum tutum refugium nobis monstratis. Quomodo ergo non sperabo si hos credo, & in hac fide peto? Aut quomodo me frustrabitur spes ista, si de qua nascitur non me fallit fides ista? Iesu Deus, & tu Apostole eius, huic fidei peccator me vestro monitu credo, in hanc me iacto, imò iam olim iactaui. Hac inductus accessi ad vos oratus. In hac peto, in hac quero, in hac pulso, ut peccatoris misereami ni; tu parcendo, tu intercedendo; tu saluando, tu orando. Hac fide coram vobis me obuoluo, ut possim latere inquisidores & exactores peccatorum meorum, & tui Deus districti iudicij percussionem. Hanc petit vestro consilio peccator absconsionem, obsecrans ne prodatur iudicio vestro ad damnationem.

7 Sed heu, ecce occurrit aliud graue malum. Sperabam me per fidem, spem obtinere, & ecce video nec fidem me tenere. Putabam me in hac fide esse obuolutum, & cognosco me ab illa esse exutum. Confidebam me in illa latitare, & sentio me ab illa exulare: fides enim sine operibus mortua est, fides vero mortua, fides non est. Qui ergo mortuam fidem habet, fidem non habet. Vx! fœcunditas malorum operum, prohibebat me spem ha-

bere , & sterilitas bonorum operum probat me fide carere. Væ mala agenti ; væ bona negligenti ! Sicut enim necesse est in malis operibus Deo displicere , ita impossibile est sine fide , quæ sine bonis operibus nulla est , Deo placere.

8 Imò si iustus ex fide viuit , qui fidem non habet mortuus est . Sed si sterilis bonorum mortuus est ; fertilis malorum quanto magis mortuus est ? Nam si arbor quæ non facit fructum bonum excidetur ut arida , quæ facit fructum malum , vtique eradica bitur ut noxia . Mors hæc non carnis est , sed animæ . Quàm maiùs & quàm peiùs moritur qui hac morte moritur , quàm qui carnis morte moritur . Omnis enim humana caro mortua aliquando resurgit , sed non omnis anima mortua resurgit . Et magis perimit mors illa quæ aufert vitam forsitan nunquam reuersuram , quam quæ tollit vitam ex necessitate quandoque redituram . Et peiùs moritur qui perdit vitam iustitiæ per quod perdit vitam beatam , quàm qui amittit istam miseram vitam . Deniq; valdè magis & miseriùs interit qui dimittit vitam , quæ seruata amissam corporis vitam meliorem restituit , & sine qua expedit nec natum esse , quàm qui deserit illam , sine qua nihil prohibet animam beatam esse . Hac misera vita viuo , & ab hac beata vita mortuus sum . Io eo viuo quod de me vilius est , in eo mortuus sum quod melius est . Plus ergo mortuus sum quàm viuis , & deteriùs mortuus sum .

sum ; quām carne mortuus sum. Non enim mors illa mala mihi erit , nisi quia ista iam præcedit.

9 Sancte Paule, veni ad te, vt peccator reconciliandus, & ecce inuentus sum coram te ut mortuus resuscitandus. Veni vt reus opus habens intercessore, & inuentus sum malè mortuus, indigens resuscitatore. Ut miser veniam, & miserrimum me inueni. Accessi velut viuus accusatus, & ecce coram te sum mortuus damnatus. Nam et si nondum sum traditus morti torquenti, iam tamen dimissus sum morti illam at trahenti. Nam licet nondum sum detrusus in carcerem tormentorum, tamen iam sum conclusus iufovea peccatorum. Quamuis enim non sum adhuc in inferno sepultus, iam sum tamen ut sepelendus, delictis obuolutus. Hoc erat certè, quod orare nec poteram nec sciebam. Hoc erat certè, quia me omni rei execrabilem intelligebam, & velut insensibilis non dolebam. Intelligebam per naturæ rationalitatem, non sentiebam per mortis insensibilitatem. Verè mortuus eram & mortuus veni, & idèo me mortuum inueni.

10 O Deus, quis orabit pro mortuo isto ? Sancte Paule, tibi attuli eum : ne auertas eum, ora pro eo Deum. Helias & Heliseus, ut morruos suscitarent, mortuis se iunxerunt, & membra membris, viua mortuis coaptauerunt. Domine Paule, viui mortuos attractos viuificauerunt, & mortui viuis nihil nisi gloriam in-

tulerunt. Domine , tu quoque dicis te ipsum omnia omnibus factum, ut omnes lucrifacias. Amice Dei exempla aliorum me faciunt presumere , dicta tua me hortantur confidere. Dicam ergo Domine , dicam. Domine , Domine , descendere ad mortuum istum ; expande te super mortuum istum ; fac te non mortuum , sed tanquam mortuum istum. Calefacit confotus tuus compassionis attractu mortuus iste , reuiuat tuus potestatis affectu mortuus iste , ut viuus glorificet Deum , & te , mortuus iste. Domine , non es impotens , hunc mortuum suscitare , quia teste Deo sufficit tibi gratia Dei. Nam si in terra degenti , tibi suffecit , utique in cœlo manenti non deficit. Cur Domine diutius iacebit oblatus tibi mortuus sine vita , cum Deus testetur tuam potentiam , & tu testeris ipse tuam pietatem ? Domine Deus tu dicas Paulo , sufficit tibi gratia mea. Sancte Paule tu dicas nobis , omnia sum factus. Et ecce verborum vestrum effectum expectat mortuus , hac spe vobis allatus. Vos dicitis , & mortuus audiens sperat. Vos promittitis , & mortuus orans expectat. Vos dicitis , & à vobis est prolatum ; obsecro sentiam effectum , quod mundus gaudet per vos esse propalatum. Si à vobis ditum non negatis , cur poscenti effectum denegatis ? Aut cui securius mortuus resuscitandus portatur , si vobis oblatus à vobis mortuus reportatur ? Quò illum mittitis , si sic cum dimittitis ? Quò ibit , si à vobis abibit ?



O Deus quis resuscitat, si Deus non resuscitat? A quo speratur, si à Deo desperatur? A quo amissa vita recipitur, nisi à quo prius accipitur.

ii Sancte Paule quis indigenti & dolenti pius erit, si ille qui cum infirmantibus infirmari se promittit, durus erit? Quis orare promiserō dignatur, si ille qui se omnibus omnia factum publicat, dedignatur? Aut quis vel auditur, si ille cui gratia Dei sufficit, non exauditur? An illi pietas vel potestas deficit, cui gratia Dei sufficit? O vos ambo, quid vos mouet, si hæc non mouent? Vnde assumam nisi de vobis, quod ad excitandam misericordiam vestram, obtendam vobis? Mortua anima quid obtendet de se, nisi quia peccatrix & misera est? Pœnitens tamen & dolens, orat. O si ille qui de cœlo venit vocare peccatores ad pœnitentiam, & ille qui post eum ad hoc ipsum plus omnibus laborauit, si ideò contemnent pœnitentem animam quia peccatrix est? Si ille qui de sinu patris exiuit portare dolores nostros, & ille qui se cum infirmis dicit infirmari; si idcirco despiciunt dolentem quia miser est? Si ille qui ut mortuas animas suscitaret, mortuum se fecit, & ille qui se omnibus omnia factum perhibet, si ob hoc reiicient orantem, quia mortuus est? Non ita Deus, non ita fit. Absit, non ita fit. Si ita est, periit compassio. Si sic est, mortua est miseratio.

ii Anima proiecta & reiecta; cum peccasti

proiecta, cum supplicas reiecta, quò te conuertes? Conuerte te ad importunitatem. Importunum dolentem quærunt, pertinacem miserum volunt, incessanter lugentem amant, Quære adhuc in eis quod infatigabile obiciias eis. O sancte Paule, vbi est illa nominata nutrix fidelium, fouens filios suos? Quæ est illa affectuosa mater, quæ se vbique prædicat filios suos iterum parturire? Dulcis tu nutritrix, dulcis mater, quos filios parturis aut nutritis, nisi quos in fide Christi docendo gignis & erudis? Aut quis Christianus post te, doctrina tua non est in fide natus & confirmatus? Nam etsi benedicta fides ista ab aliis quoque Apostolis nobis sit nata & nutrita, utique magis à te qui plus omnibus in hoc laborasti & effecisti. Cum ergo illi sint nobis matres, tu magis nostra mater.

13. Ergo sancte Paule, filius tuus est mortuus iste. Mater, mortuus iste, certè filius tuus est. Dulcis mater recognoscet filium tuum ex voce confessionis, recognoscet ille matrem suam ex affectu compassionis. Recognoscet filium ex confessione Christianitatis, recognoscet ille matrem ex dulcedine pietatis. Offer mater, tu quæ iterum parturis filios tuos, offer mortuum filium tuum iterum resuscitandum illi, qui morte sua resuscitauit seruos suos. Offer mater illi qui morte sua indebita teuo cauit reos suos à morte debita, offer illi filium tuum, ut reuocet ei vitam perditam. Per baptismum enim eductus à morte,

te, per sterilitatem & prauitatem reductus est in mortem. Mater famosi affectus, sentiat filius tuus viscera maternæ pietatis. Exhibe eum illi qui te resuscitauit, & viuentem seruauit. Ora eum pro filio suo, quia filius tuus est.

14 Sed & tu Iesu bone Domine, nōnne & tu mater? An non es mater, qui tanquam gallina congregat sub alas pullos suos? Verè Domine & tu mater. Nam quod alij parturierunt & pepererunt, à te acceperunt. Tu priùs illos, & quod pepererunt, parturiendo mortuus es, & moriendo peperisti. Nam nisi parturiisses, mortem non sustinuisses, & nisi mortuus essem non peperisses. Desiderio enim gignendi filios ad vitam, mortem gustasti, & moriens genuisti. Tu per te, illi iussi & adiuti à te. Tu vt autor, illi vt ministri. Ergo tu Domine Deus, magis mater. Ambo ergo matres. Nam et si patres, tamen matres. Vos eum effecistis; tu per te, tu per illum, vt nati ad mortem, renasceremur ad vitam. Patres verò estis per effectum, matres per affectum; patres per authoritatem, matres per benignitatem; patres per tuitionem, matres per miserationem. Ergo & tu mater, & tu mater. Etsi quantitate affectus impares, in qualitate tamen non dissimiles. Quamuis magnitudinem benignitatis non coequantes, voluntate tamen concordantes. Licet plenitudine miserationis non conuenientes, intentione tamen non disconuenientes.

15 Cur taceam, quod dicitis? Ad quid cœlo quod proditis? Cur abscondo quod facitis; Matres vos diuulgatis, filium me fateor. Gratias ago, filium me genuisti cum Christianum me fecisti, tu per teipsum, & tu per eundem ipsum. Tu per doctrinam à te factam, & tu per doctrinam tibi inspiratam. Tu per gratiam à te mihi concessam, & tu per gratiam ab illo acceptam. Paule mater, & te ipsum ipse mater genuit. Pone ergo filium tuum mortuum ante pedes Christi matris tuæ quia filius eius est. Imò iacta illum in simum pietatis eius, quia plus ipse mater est. Ora ut resuscitet mortuum filium, non tam tuum, quam suum. Ora pro filio tuo, quia mater es, ut viuificet filium suum, quia mater est. Fac mater animæ meæ, quod faceret mater carnis meæ. Utique si speraret, oraret quantū posset, nec cessaret, donec impetraret si posset. Certè si vis, non potes desperare, & si oras potes impetrare. Insta ergo ut anima mortua quam tu viuam peperisti, vitæ restituatur, nec cesses donec tibi viua reddatur.

16 Tu quoque anima mea mortua per te ipsum curre sub alas Iesu matris tuæ, & conquerere sub pennis eius, dolores tuos. Postula ut plagas tuas confoueat, & ut confotis vita redeat. Christe mater qui congregas sub alas pallios tuos, mortuus hic pullus tuus, subiicit se sub alas tuas. Nam lenitate tua exterriti confortantur, odore tuo desperantes reformati. Calor tuus mortuos viuificat, attac-

ctus

Etus tuus peccatores iustificat. Agnosce mater filium tuum mortuum, vel per signum crucis tuae, & per confessionis tuae vocem. Refoue pullum tuum, resuscita mortuum tuum, iustifica peccatorem tuum. Exteritus tuus à te consoletur, à se desperans à te confortetur, & in integrum & inseparabilem gratiam tuam, per te reformatum. A te namque fluit consolatio miserorum, qui sis benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

XXXV. *Ad Beatum Andream Apostolum.*

Sancte & pie Andraea, frater principis Apostolorum, piissime Apostolorum, mitissime sanctorum. Tu Ioannis Discipulus & sedulus auditor. Tu agni, peccata mundi tollentis, promptus insecutor, & mansio*n*is ipsius diligens inuestigator. Tu Simonis germani tui, & concius vestri Philippi, auditus ad Iesum deductor. Tu inquā crucis prædicator, & amat or, & magistri boni per eam pius imitator. Ad famosæ pietatis tuae ianuam, sedet & clamat mendicans anima mea. Adhibe aurem miserationis, aperi ianuam tuae magnæ pietatis, & admitte elamorem pauperis ad te configientis: tu cuius pietas tanta extitit, ut ab uniuersis piis Andreas cognominareris. Non est interuentor qui pro me suggerat apud te, & te exorabilem reddat circa me.

Si à

Si à te misera & miserabilis anima mea auerfa fuerit, ad quem ibit? Quem exorabit? Ab aliis exclusa confugit ad te, quem audierat tam prædicabilem immensa pietate. Fame consumpta prorsus deficiet, quia de longè veniens, quod manducet non habet; nec aliquis est qui illius misereatur, & aliquid boni sibi eroget. Quæ etiam incidit in latrones, qui amore Dei & cunctis virtutibus eam spoliauerunt, mortiferis etiam telis vitiorum vulnerauerunt, relinquentes eam non dico semiuant, sed omnino extinctam.

2. Veniat tandem tibi in mentem miseratione illa, quam super tales exhibuit fons ille totius pietatis, à quo hausisti tanquam pietatem. *Misereor, inquit, super turbam esurientem, quia iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Audisti, affuisti, interfuisti, quando miserans eos, de quinque panibus, satiauit ad plenum plusquam quinque millia hominum. Continebis itaque viscera pietatis tuæ super animam fame iam deficientem? An mihi si impius eris? Aut quia nimium deliqui, ut mihi misericordia omnino denegetur promerui? Certè misericordia & pietas non est necessaria, ubi non est miseria aut indigentia. Et quantò maior perurget indigentia, tantò prædicabilius est misericordia. Quis ergo imitabitur magistrum pietatis in exequendo præcepio pietatis, si non tu imitaris, qui præceteris pius prædicaris? Inquietaris in importunitate mea? Sed quid agam? Si enim non

non clamauero mors mihi est; quia deficiam
& peribo. Si autem clamare volo, vñ mi-
sero molestus tibi esse timeo. Doctor bo-
ne & dux innocentiae, edoce cor meum quid
orare, & quomodo cum aliqua efficacia de-
beam te exorare, vt quod peto valeam im-
petrare.

3 Doctor bone, ab eo qui non vult mortem
peccatoris, sed vt conuertatur & viuat edo-
ete, respice miserationis respectu in animam
peccaricem, quæ conuerti ac reuerti concu-
piscit ad suum creatorem. In limo vitiorum
demersa, nititur & conatur exurgere, sed non
habet vires quibus se valeat erigere. Defecit
iam miserabili lassitudine, iamdiu laborando
clamat, & sustinet te. Defecerunt oculi illius,
dum sperat in Deum suum. Vbi itaque est
pietas, vbi misericordia tua? Ne desperatio-
ne prorsus intereat, porrige manum petenti,
erige, tene, sustine; donec ad eum qui si-
tit, ad quem desiderat, videlicet ad sui crea-
toris misericordiam perueniat. Pastor Ec-
clesiae, admitte aberrantem ouem, quæ re-
uerti cupit, explorat & implorat, vt merea-
tur admitti. Excludes introire violentem,
quam redire nolentem reuocares, & humeris
impositam reportares? Si excluseris, sentiet
summus Pastor detrimentum gregis sui. Leo
circuiens querit quem deuoret, à quo tu ipse
forte deuorari metuebas, quando pia &
exorabili prece de cruce clamabas. Non
me permittas Domine diutius à te separari,
sicut

sicut ouem non habentem pastorem. Audiuit & exaudiuit tunc clamorem tuum summus pastor, & protinus assumptum, secum collocauit in coelo.

4 Audi itaque nunc clamorem perditæ ouis, quæ reuertitur de longè, & deprecatur admitti. Exhibe ei eandem miserationis opem, quam tibi exhibuit pastor pius, cùm eandem subires necessitatem. De illo quippe sauciato quem Samaritanus curauit, cum Dominus commemorasset quid tandem intulit? *Vade, & tu fac similiter.* Ipsa misericordia præcipit & inuitat, ut misericors fias. Ecce coram te iacet sauciata, & malè laniata anima mea. Infunde oleum miserationis, adhibe suffragia tuæ interuentionis, si aliquo modo queat evadere periculum æternæ mortis. Audiet te libenter supplicantem pro nobis, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

X X X V I. Ad Beatum Ioannem Euangelistam pro timore damnationis.

I **S**ancte & beatissime Ioannes, altissime Euangelistarum Dei. Tu sic præcipue dilecte Deo, inter tam præcipue dilectos eius, ut supereminens dilectio tibi sit proprium signum inter eos: Tu ille Ioannes cui familiare fuit recumbere super illud gloriosum pectus altissimi: Tu quem Deus substituit matri

matri suæ filium pro se, cùm corporaliter eam moriendo desereret. Ad te ô beate tam amice & tam amate Dei, ad te exorandus accedit homuncio iste, reus Dei, vt per tam dilectum intercessorem vitet imminentem sibi iram Dei. Cogit namque Domine criminorum sua necessitas, querere interuentorem, & occurrit ei illa tua famosa familiaritas apud illum quem timet ultorem. Certus igitur Domine per eandem familiaritatem de potestate tua, qua apud Deum quod voles efficies, & sperans de pietate tua, quia miserum in angustiis ad te clamantem non despicies, ad te me conuerto; quamuis tepido, toto tamen affectu mentis meæ, & potentem illam tuam interuentione præsumo precari peccatrici animæ meæ, vt per te retrahatur à tormentis, ad quæ illam pertrahunt multimodæ iniquitates meæ. Sed heu me miserum, quia contrariè promittunt mihi mea delicta. Ecce enim dum conor confortari, per tuam apud Deum familiaritatem, plus cogor per eandem deterreri, propter meam contra Deum prauitatem. Etenim ô dilecte Dei, cùm peccavi in dilectorem tuum, certus sum meruisse me odium quoque tuum.

2. O reatus immoderatus, reatus contra Deum, qui non solum ipsum offendit, sed & illos qui intercedere possunt apud eum. Verum enim est quia criminosus Dei, dignè odiosus est amicis Dei; nec solum amicis eius, sed certè & sibimet, & omni creaturæ eius.

eius. Peccata , peccata , quomodo plus horretis plus considerata ? Vos námque, vos unde abducitis,quò perducitis miserum homunculum quem seducitis ? Vnde cadit,quò præcipitatur infœlix anima , quæ vos sequitur ? Quid perdit,inquam,quid acquirit ærumnosa illa , quæ ab amore Dei quem potuit tenere per innocentiam, detruditur in horrorem Dei & omnium creaturarum eius per vestram malitiam ? Si ergo peccata , sic vniuersalem execrationem contrahunt illi quem à Deo abstrahunt, vbi se abscondet , cui se ostender homuncio , circumferens sarcinam peccatorum suorum , quam ipse deponere non potest , horrens & fœtens vulneribus & viceribus delictorum suorum , quæ ipse sanare non potest ? Talis accedit , dilecte Dei Ioannes , talis accedit coram te anima mea, imò hæc est , hæc est misera mea , quæ se amicam huius sæculi faciens , & peccatorum numerositate se obruens , inimicam Dei se constituit.

3 Heu nomen execrandum omni rei , nomen *inimici Dei*. Heu quām iniquè à me attractum, quām iustè mihi imputatum. Angustiæ. Conuincit me inimicum Dei rei veritas, & prohibet confiteri horroris immanitas. Angustiæ. Deum & omnia prouocauit ad vlciscendum , & nihil mihi reseruaui inoffensum ad intercedendum. Mœtores,dolores,gemitus , rugitus , vbi adestis , si hic deestis ? Vbi feruetis , si hic teperitis ? Dirumpite torquendo

quendo compagem meam, consumite vrendo
interiora mea , tumultuamini in præcordiis
meis, si qua fortè misericordia respiciat miser-
riam meam. O vos misericordes amici Dei,
miseremini tam indigenti , per illam miseri-
cordiam quam fecit vobis Deus. Succurrite,
ne me obuoluat ira Dei cum inimicis eius.
Nolo, detestor, execror esse vel dici inimicus
eius, licet confitear me peccatorem eius. Suc-
currite, vestrum aliquis.

4 Tu ille discipule, quem diligebat Iesus,
si agnoscis signum tuum ; rogo te per hanc
dilectionem ipsam, agnoscam in tanta neces-
itate auxilium tuum. Ioannes, Ioannes, si tu
es discipulus ille quem diligebat Iesus , pre-
cor te per hoc ipsum, sim ego per te peccator
ille cui indulget Iesus. Si tibi gloriosum
pectus illud fuit familiare reclinatorium ,
rogo sit idem mihi per te salutare propitia-
torium. Fateor Domine mi, dilecte Dei, quia
tu iustè quoque iratus es, in Deum dilectorem
tuum peccanti : sed certè solet Dominus
per amicum pacari seruo supplicant. Ergo
ō beate Ioannes, qui tanta dilectione præ-
ditus es apud Deum , te obsecrat reus seruus
eius, vt reconcilias eum. Non est dilecte Dei,
non est contra Dei dilectionem si subuenis-
reo eius, non defendendo, sed per intercessio-
nem. Non obtendo iniquitatis meæ defensio-
nem , nec obtendo defendantem si profero
coaffectionem, & quero interuenientem. Amice
Dei ne putas illum Dei vel tuū esse inimicum,
qui

qui quantum potest amando, credit & confitetur, Deum tuum esse amicum. Si credo, si confiteor, si volo amare, tibi concessum tantum amorem Dei, rogo te per hanc tibi datam gratiam, auerte a me indebitum odium Dei. Fac Domine propter ipsum amatorem tuum, fac quia sum opus eius, & seruus & redemptus eius, fac ergo propter eum apud eum, ne perdat quod fecit, ne perimat quod redemit. Fac, sicut verè diligis opus eius, & confessionem benedicti nominis eius.

5 Iesu cui iniquè peccavi, Domine quem nequiter contempsi, omnipotens cuius iram superbè irritavi, dilector Ioannis, Beati Apostoli tui, ad te fugit territus reus tuus, peccator tuus, osor tuus, quantumcunque scelerosus, quantumcunque flagitosus, obtendit nomen dilecti tui, inter se & imminentem sententiam iusti iudicij tui. Per illam beatam dilectionem, parce querenti eius tuitionem, Domine pro cuius nomine misereris peccatoris tui, si damnas orantem per nomen dilecti tui? Domine sub quo protegmine protegitur, si sub nomine dilecti tui percutitur? Vbi est refugium, si sub dilecto tuo est periculum? Non sentiat Domine, non sentiat odium tuum, qui fugit ad dilectum tuum Domine, Domine, non plus valeat mea inequitia ad damnationem, quam eius gratia ad miserationem. Bone Domine, non plus possit odium meum ad perdendum opus quod

quod fecisti, quām eius dilectio ad parcendum
seruo quem redemisti.

6 Benignissime qui nihil odisti eorum
quæ fecisti, ecce quæ fecisti & refecisti. Cur
ergo damnabis Domine se accusantem, te in-
uocantem si non odisti? Fac ergo bone Do-
mine propter illum quem inter discipulos
tuos familiarius dilexisti, ne sis mihi damna-
tor, quia tu solus es Saluator. Benedictus tu
in sœcula. Amen.

X X X V I I. *Ad eundem Apostolum pro
geminæ Dei dilectione & proximi
imperanda.*

1 **S**ancte Ioannes, tu ille Ioannes unus de
magnis Apostolis Dei, de magnis prin-
cipibus regni Dei, unus inquam ditissimorum
dilectione qua diligit & qua diligitur Deus, &
ditissimus eorum dilectione qua diligitur
Deus. Ecce ò opulente tam beatis diuitiis,
& diues tam beata opulentia, ecce ærumnosa,
sed Christiana anima, pauper & inops harum
diuitiarum, quibus sic opulenter abundas, esu-
riens accedit ad ostium clementiæ tuæ, sup-
pliciter mendicans eleemosynam opulentiæ
tuæ, quatenus ex eo quòd tibi & multis sine
diminutione sufficere potest, saltem illi
tantum impertiari vnde ipsa vel viuere
possit.

2 Porridge igitur diues amice Dei, porridge
animæ pauperis serui dilectoris tui Dei, de
illa

illa opulenta cella mentis tuæ, hanc tibi parvam, mihi magnam, tibi facilem, mihi vitalem eleemosynam, ut Dominus meus, cui placuit ad multos ditandos te ditare, dignetur eam propter te vel ad vitam tuendam refocillare. Pauper certè est Domine mihi, dilecte domini nostri; pauper est anima mea, quod cogor & erubesco confiteri, vtriusque dilectionis Dei, quia valde infrà quam debet, diligit Deum, & multò minus quam eget, diligitur à Deo. Evidem in uno fateor me valde iniustum, in altero iustum Deum, in utroque sentio me nimis miserum, iusto iudicio Dei. Non sum oblitus hoc dicens, ô tu iuste & misericors Deus, nec sum ingratus multimodis beneficiis tuæ erga me dilectionis ab initio creationis meæ, sed donec satietur utraqùe tua dilectione, semper se pauperem & egenam clamans esutiens anima mea.

3 Quippe hoc ipsum est de maximis, de grauissimis mihi tuis beneficiis, quia per suauem gustum tui, hanc in me excitasti auiditatem, ut renuat consolari anima mea nisi per eius satietatem. Ad quam impetrandum, quoniam non sufficit supplicatio minus dilecti peccatoris tui, ad eam implorandum, in uoco merita multum dilecti dilectoris tui. Ergo tu bone dulcis, & dulcis bone, à quo est omne bonum, fac illum mihi & te illi, imò & te & illum mihi exorablem, ut per illum astequar huius satietatis desideratum bonum. Scio Domine, scio & fateor, quia ego non sum dignus

dignus quem tu diligas , sed certè tu non es
indignus quem ego diligam. Da ergo mihi
Domine per eius merita,vnde tu es dignus &
ero ego dignus : vnde sum indignus. Sed &
oret pro me potius , quia ipse potest effica-
cius , ille dilectus tuus Domine Iesu. Oret
ille pium pectus tuum , dulce reclinatorium
suum pro me, & exaudi tu desiderium meum
per illum propter te.

4 Sancte Ioannes,dilecte Iesu Christi Do-
mini mei,rogat te seruus amici tui,vt propter
nomen Domini sui dilectoris tui,impetres illi
mutuam dilectionem Dei. Impetra rogo mi-
hi quatenus sic diligar ab illo,vt & ego dignè
diligam illum. Certè namque dilecte Dei , si
ipse diligit nos propter te,misericordiam no-
bis impendis, & si nos diligimus illum per te
gratiā illi rependis. Certè Domine si illum
conuertis ad nos amandum , facis nos tibi
boni tanti debitores, & si nos accendis ad il-
lum amandum , facis te illi debiti reddito-
rem. Certè beate quantumcunque facias vt
plures amet , nihil tibi minuis , & quanto
facies vt plures illum ament , tanto plus illi
retribuis. Fac ergo Domine hanc supplici tuo
misericordiam,vnde & me tibi tanti boni de-
bitorem , & te Deo vnius animæ facias red-
ditorem. Fac precor Domine , fac ne re-
nuas vnde nulli damnum eueniet ; sed seruo
tuo salus , tibi gratia , & Deo gloria pro-
ueniet.

5 Dilectissime discipule pietatis,cur negabis
abun

abundans egenti, potens poscenti, quod nulli
est noxiū & tot bonis obnoxium? Si enim
obsistunt optanti, peccata sua, cur non potius
assistunt oranti merita tua? An peccata mea
potentia sunt ad poscendum, & merita tua
impotentia sunt ad subueniendum? Absit
Domine, ne cogar sentire quod horreo dice-
re. Cur denique petenti negetur propter pec-
cata sua, qui ea confitendo, nihil per sua me-
rita querit, sed per tua? Cur inquam cum
potiora sint merita quae ab eo obtenduntur,
quam delicta quae illi obiciuntur? Certus
enim sum Domine, quia si vis plus valet gra-
tia tua apud Deum dilectorem tuum, quam ut
dimissis peccatis meis, me amando faciat
amatorem suum.

6 Ergo ô beate Ioannes, fac ut qui te dili-
git me quoque diligat, per illam charitatis la-
titudinem quam docuisti & habes, & qua nul-
li inuides, sed commune vis esse bonum quo
gaudes. Fac per vicem dilectionis quam illi
debes ut meam quoque dilectionem cum tua
illi soluas, cui per solam suam, non solam tuā,
sed multas debes. Quippe beate Ioannes ipsa
tua beatitudine es expertus, quia sicut nullus
Deo prius quam debeat potest tribuere, sic
nec plusquam debet, valet retribuere. Si ergo
quotquot Deū amatorem tuū per te diligunt,
illi non possunt compensare, precor Domine
ne abiicias illum qui in illis poscit connume-
rari. Accende amore eius tepentem, & redde
feruentem. Adiuua nitentem, exaudi orantem.

7 Iesu Domine quem opto exauditorem,
Ioannes quem postulo intercessorem , sic me
cogit desiderium , vt cogere vos desideret cor
meum. Verùm non inuitos sed spontaneos,
non nolentes sed volentes. Patimini igitur &
parcite, si quid excogitat amor vt extorqueat
amorem. Sustinete inquam me , quia amor
amoris Dei cogit me. Domine & Domine;
credo , scio quia inuicem vos diligitis. Sed
vnde hoc ipse experiar, si quod peto propter
inuicem non conceditis ? Iesu,vnde tu mihi,
aut ego cuiquam , probo quia amas illum, si
nec amari à te, nec vel amare te , das optanti
mihi propter illum ? Ioannes, vnde ego sen-
tiam quia diligit te, si non mihi impetres vt &
me, aut quia tu illum, si non me adiuuas vt &
ego ? Excuset excessum meum amor Dei ; a-
mor enim tuus compellit me sic loqui. Ergo
ô tu Deus , & tu dilecte eius, nolite vos dili-
gere solis vobis beatis , sed & nobis miseris.
Congaudemus vobis,compatimini nobis.Nō-
lite vos soli confruendo, claudere tantum bo-
num inter vos , sed & fluat aliquid super nos,
quod diffusum inter nos impinguet & lxtifi-
cat animas nostras .

8 Dilecte dilector Dei Ioannes, qui de te
securus in illa mutua vestra dilectionis beata
plenitudine gloriaris , esto pauperi à te mu-
tuam Dei dilectionem mendicanti, tanto lar-
gior,quantò te sentis in maiori eius abundan-
tia , & me vides in maiori indigentia. Nosti
quippe tu Domine , nosti tu illum qui in epi-

stola sua decreuit, ne quis habens substantiam mundi, & videns fratrem suum necessitatem habere, claudat viscera sua ab eo. Quid ergo Domine, si quis habens substantiam æternæ vitæ, videt animam proximi necessitatem habere, claudet viscera sua ab eo? Misericors preceptor, si voluisti viscera substantiam mundi habentis non claudi necessitatem patienti, nonne multa magis meliorem substantiam habentis maiorem necessitatem patienti? Ecce audio de te laxandis visceribus percipere, & video te substantiam diligendi Domini, & diligendi proximi à Deo habere: & tu vides animam meam necessitatem habere. Ecce iubens & habens, & coram illo indigens, inuicem sese aspiciunt. Si igitur Domine visio tua plus est pia, quam oratio mea deuota, visio tua sit oratio mea. Non enim scripsisti, si quis videns fratrem orare clauserit viscera sua, sed si *videns fratrem necessitatem habere.*

¶ Age ergo Domine, vide necessitatem meam, immo ecce vides eam. Anima, anima mea collige totum affectum tuum, & ingere te in aspectum eius; inclama, ingemina intimo affectu in conspectu eius. Vides me. Alterna ibidem, & importunè repete. Vides me, & vide me. Ioannes certè vides, vide me. Ergo vide me. Domine vides me noscendo, vide me miserando. Vides & scis, vide ut sciam. Vides & scis necessitatem meam, vide ut sciam pie-tatem tuam. Vide, vide me, quia vides me,

Olim

Olim scio, iam nunc sentiam, quia video me.
Scio, sentiam. O quid audit intellectus meus
obiici mihi? Concede Domine, quia fratri
iussisti laxanda viscera. Sed virum sim fra-
ter aut proximus, non audeo afferere, quod
opto, nec volo concedere quod mihi non ex-
pedit.

10 Iesu magister eius, aspice nos. Do-
mine ante riuum anxiatur siti anima mea, sed
non est quod bibat, nisi fluat de fonte. Fons
misericordiae, fluat a te in illum, ut bibam de
te in illo. Bone Domine responde pro me.
Ad fontem recurro; ultra nequeo. Ne pe-
reat ad fontem viuum anima siccitate, ne
obturetur haustus arenti. Audiat satiatus tuus
sententiam tuam, & hauriat de illo sitiens
tuus clementiam tuam. Dic illi Ioannes, quis
tibi videtur proximus illi fuisse qui incidit in
latrones? Responde beate Ioannes, quod ge-
nus humanum respondet de Samaritano suo,
gratias illi agens. Responde, qui fecit miser-
icordiam in illum. Age bone Iesu. Incepisti
adiuicare orationem meam, iam in manus
tuas commendo eam, tu sicut perfectè bon-
us es, perfice eam. Dic precor Ioanni dile-
cto tuo, & propone me illi seruum tuum. Vade
& tu fac similiter.

11 Spera & gaude, gaude & dilige anima
mea. Ipse quem tu dubitando desiderabas
exauditorem, ipse tibi parat intercessorem.
Mendicando obsecrabas per alium, qui per te
ad ipsum non confidebas; & ecce accurrit

ille, & perorauit vbi tu confidebas. O bonitas, o pietas, o amor. Ecce quantum tibi ostendit, quia te diligit; & quantum te accedit, ut illum diligas. Insta ergo & spera, non de te, sed de illo, quia exaudiet desiderium tuum, qui sic consummat orationem tuam. Cor meum & caro mea exultate in illum, & diligite illum, & omnia quæ intra me sunt benedicte illum. Amen.

X X X V I I I. *Ad beatum Stephanum, cum retractatione charitatis, & obdormitionis eiusdem.*

* **S**ancte Stephane, beate Stephane, benigne Stephane, fortis miles Dei, primus in beato agmine Martyrum mei, potens princeps, unus de magnis principibus cœli, didici Domine & credidi, & gaudens amplector, quod adhuc in terris positus tanta sanctitatis luce splenduisti, ut venerabilis vultus tuus Angelica dignitate fulgeret, quod tanta cordis munditia nituisti, ut beati oculi tui Deum in gloria sua viderent; quod tanta charitatis pietate arsisti, ut pius os tuum pie pro impiis te perimentibus oraret. Sic fuit bone Stephane, sic fuit. Sic gaudeo fuisse, & sic gaudeo, lætor & exulto me cognouisse. Quippe metuens iusti iudicis districtam sententiam, metuens inquam ego peccator & reus meritam poenam, opus habeo adiutore, & dulce & tutum habeo te mittere intercessorem,

forem, ut paces mihi omnipotentem amicum tuum, Dominum & creatorem tuum & meū. Scio enim Domine & certus sum ex magnis meritis tuis, quia potes; confido ex copiosa charitate quia voles; spero ex immensa misericordia iudicis, quia non negabit. Anxius itaque & tremens refugit ad te male conscienti sibi peccator.

2. Vide ergo pie Stephane angustiam meā, & dilata super eam charitatem tuam. Ecce enim adstat reus ante tremendum iudicem. Accusatur multis & magnis offendit. Conuincitur teste propria conscientia, & testibus oculis ipsius Iudicis. Bona non egit, quæ male actis compenset. Nullum familiarem iudicis aliquo præterito obsequio meruit intercessorem, omnes offendendo meruit accusatores. Iudex terribiliter districtus, intolerabiliter severus, immoderatè offensus, vehementer iratus. Sententia eius semel proleta immutabilis, carcer irremeabilis apertus. In carcere tormenta immania disposita, tortores parati, ut data sententia, damnatum ad tormenta rapiant. Tormenta sine fine, sine interuallo, sine temperamento, tortores horribiles qui nusquam lassescunt, qui nusquam miserentur. Timor reum turbat, conscientia confundit, cogitationes increpant; fugere non licet. Sic stat suspensus ad grauissimam sententiam.

3. Ecce miseram in angusto periculo, in periculosa angustia. Ecce hominem indigentem

festino auxilio. Vbi nunc est? Nunc subueniat, qui sub pressura lapidum, misertus est secundum lapidantium. Hunc oret pro eo, qui apud eundem iudicem extiterit pro suis homicidis orator. Stephane, Stephane, & verè Stephane, quia verè coronate. Stephane inquam, Stephane, en locus pietatis, en tempus misericordiæ, en vtique occasio exhibendæ charitatis. In hoc namque periculo confisto incessanter, quia non semper cogito hoc, & tunc miserior & miserabilior cùm obliuisci possum. Semper enim videt me Deus & peccata mea, semper minatur districta iustitia eius, peccatrici animæ meæ. Semper infernus apertus, & tormenta eius parata, semper inuisibiles insidatores parati, ut illic rapiant miseram animam.

4 Sic sum positus cùm vigilo, sic sum cùm dormio, sic sum cùm rideo, sic sum cùm iocor, sic sum cùm superbio, cùm detraho, sic cùm irascor, cùm vindico, sic sic sum cùm delicias corporis miserabiliter amplector. Denique sic sum semper & vbique. Accelera ergo pie precor, accelera antequam damner, antequam me rapiant tortores, hostes humani generis, priusquam me absorbeat carcer infernal, priusquam me consumant tormenta gehennæ.

5 Sed ô vos peccata mea, magna estis nimis, multa estis nimis, ut meritò negetur animæ veniae venia vestra. Scio certè est, ita est, confiteor, ita est: Sed quantò grauior mea infelix

foelicitas, quanto angustior mea necessitas, tanto mirabilior erit pietas indultoris, tanto maior apparebit apud indultorem gratia intercessoris. Scio satis Domine, dilecte Dei Stephane, quia cum Deum offendit te quoque & omnes Sanctos eius offendit. Verum tanta est necessitas mea, ut cogat me poscere subsidium, etiam ab iis a quibus merui supplicium. Et tantum repleti estis, & tu & alij Sancti illo copioso, illo inestimabili fonte pietatis ut delectet vos etiam eos pie liberare, quos iuste potestis damnare. Magua sunt, magne Stephane, magna sunt merita tua, ut sufficere possint tibi & mihi; & si prosunt mihi, nihil tibi minuetur. Ecce cora Deo, & coram te Beate Stephane, sunt cuncta peccata mea, quæ territant, quæ sollicitant, quæ grauant animam meam. Dic ergo o' pie piissimo dilecti tuo, dic Domine, ne statuas illi haec peccata. Dic inquam pro egeno tibi supplicante, quod dixisti pro populo te trucidante. Dicat tantum pia charitas tua, & certus sum, quia remittet benignissimus Deus cuncta mala mea. Ipse enim est misericors & creator meus, ego miser & opus eius, tu dilectus amicus eius; qui est benedictus in saecula. Amen.

6 Cum enim insani inimici tui te opprimerent amicum suum, sic Scriptura verax testatur te positis genibus clamasse voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. O cor opulentum pinguedine charitatis, de quo

cum affligeretur, tam copiosa misericordia supererfluebat. O mens vehementer ardens amore, copiosè vñcta charitate, de qua cum tribularetur, tam suauiter ardentes, & tam ardenter suaves scintillæ micabant. O fauus pinguis melle dilectionis, de quo cum premetur, tam opulentæ, tam iucundæ guttæ distillabant. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Vir beate, quantam spem donas peccatoribus amicis tuis, cum audiunt te sic fuisse sollicitum pro impiis inimicis tuis. Vas charitas superabundans plenitudine, qua vbertate potabis defiderantes amplecti te intra cor suū, cum sic superfundis eiientes te extra ciuitatem suam?

7 Cum sic propinas, furore anhelis irruentibus in te, quomodo refocillabis timore anhelos fugientes ad te? *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Quomodo respondebit inuocatus, qui sic obiurgabat prouocatus? Quām benignè souebit humilis exaltatus, qui sic superbis succurrebat humiliatus? Quā celeritate liberabit affictos potenter liberatus, qui sic afflignantibus subueniebat affictus? Illi festinabant auferre animam tuam, tu satagebas animabus eorum reddere vitam suam. Illi rigido collo, magno furore fremebant, vt te perimerent, tu positis genibus voce magna orabas, ne illi perirent. Utique voce magna, quia charitate magna; & positis genibus quia vera simplicitate. Superbia humilitatem subcote tribulabat, & odor charitatis inde fragrabat.

grabat. Charitas ab odio cūm petrā percuriebatur, & tinnitus pietatis reddebatur. Impietas pietatem lapide premebat, & oleum misericordiæ ebulliebat.

8 O si vñquam merebor de charitate Stephani oleum precibus elicere, quod illi potuerunt lapidibus exprimere. Languida namque est anima mea languore granissimo, qui non sanatur nisi misericordiæ oleo. Utinam vel semel suggerat Deo pro me, & pro cuncto peccato meo. Domine, ne statuas illi hoc peccatum. Doce me, beata anima, Beati Stephani, quo sapore iucundabar, qua societate æstuabas, cūm cructuit cor tuum verbum tam bonum. Quia dulce fauibus animæ meæ eloquium tuum, super mel & fauum ori eius. Mandendo magis ac magis dulcescit, sugenndo plus & plus, suauissimus sapor eius affuit. Plus videndo, plus fulgescit, omni modo tractatum, semper ad delectationem crescit. Formam gerit fidei, soliditatem habet patientiæ. Simplicitatis puritate niter, benignitatis colore lucet. Charitatem sapit, pietatem olet, tactu reddit mansuetudinem, sono repræsentat misericordiam. Dic ergo Beate Stephane, quid intus fouebas, vnde mixturam tot suavitatum foras erumpebas? Nimirum iis omnibus plenus eras, omnibus iis ornatus eras, omnibus iis accensus eras. Per has omnes virtutes quibus abundabas, te precor & charitatue Stephane, ora, vt charitatis adipe & pinguedine repleatur arida anima mea. Adiuua

vt pane charitatis satietur esuriens anima mea. Fac vt igne charitatis flagret frigida anima mea, præstante eo qui creauit eam.

9 *Et cum hæc dixisset, obdormiuit in Domino.*
 O obdormiuit ! O somnus cum requie, requies cum securitate, securitas cum æternitate ! Requiescis ô fœlix in gaudio , gaudes in requie. Gloriariô secure in satietate, satiaris in gloria. Lætitia tua non mutabitur , lumen tuum non deficit. Quicquid non vis, procul abest, quicquid vis ad votum adest. Situit anima tua ad Deum fontem viuum. Venisti ad eum , & bibis de torrente voluptatis eius quantum vis, quomodo vis, quandiu vis. Semper satiatus, semper bibis , quia semper delestat te bibere, nec vñquam fastidis. Nec bibis vt fiat tibi satietas quasi nondum habenti, sed semper bibis vt semper abundet satietas iam possidenti. Semper enim desideras quod semper habes , & quod semper securus es te semper habere. Incessanter quippe & destabiliter desideras ipsum desiderabile desiderium , & semper bibis cum delectabili ardore ipsum desiderium , cum eius copiosa satietate. O sufficiens beatitudo, & beata sufficiencia. Quam fœlix obdormire ; obdormire in Domino. Quanta pace obdormiunt , qui obdormiunt in Domino. Non enim grauabunt eos amplius pondera carnis , non eos afflagent dolores corruptionis. Non impugnabunt stimuli tentationum , non terribit conscientia peccatorum. Nulla eos sollicitabit in-

indigentia. Abstersit Deus omnem lacrymam
ab oculis Sanctorum.

10 O diues & beata pax, quam longe sum
a te! Ecce enim qui conor vel tenuiter gu-
stare saliuam alienæ fœlicitatis, cogor afflu-
enter glutire acerbos haustus meæ infoelici-
tatis. Qui me commouent tacere ea bona
quaæ nec possum cogitare, & flere grauia mala-
quaæ sufferendo possum palpare. Heu me mi-
serum, vbi non sum, & vbi sum, qui nescio vbi
futurus sum. Discordat quippe miserabiliter
anima mea, cum copulata sibi carne meas,
quam sequi non vult, nec potest sine timore:
relinquere non audet, nec valet sine dolore;
& trahere eam post se vult, & nequit vel cum
labore. Infoelix ego homo, quis me liberabit
de corpore mortis huius? Precor ò beate
Stephane, precor compatere tu mihi misero
indigenti, qui congaudeo tibi beato, licet non
indigenti. Liberet me de corpore mortis hu-
ius tuis meritis gratia Dei per Iesum Chri-
stum Dominum nostrum, ut quandoque in pa-
ce in idipsum dormiam & requiescam in Do-
mino: Qui viuit & regnat Deus per omnia
saecula saeculorum. Amen.

X X X I X: *Ad B. Laurentium.*

1^o **B**eatissime Martyr ac feruentissime Sal-
uatoris dilector, veræ fœlicitatis laurea
redimite Laurenti, tu illud pretiosum vas
domus Dei, tu ille fidelis dispensator thesauri

444 *Meditatio S. Anselmi,*
cœlestis, & benignissime pauperum Christi
provisor, te invoco in auxilium mihi deside-
ranti deprecari faciem Dei, sed pro peccato-
rum magnitudine ad eum faciem leuare non
audenti. Age ergo testis fortissime potentiae
Christi, ostende in me benevolentiam tuam,
& attende necessitatem meam, & defer illi
orationem meam. Euacula pia intercessione
peccata mea, extirpa misericordi subuentione
vitia mea, ut ab ipsis eruta, charitatem illam
qua in Christi desiderium totus fœliciter ex-
aristi, quoquomodo in se accendere valeat
anima mea.

2 Ob hoc pretiosissime Domine, ad te po-
tissimum accedo, quia charitas huius in te
mirabilem flammat considero. Quis enim
cogitare, quæ mens æstimare, quis intellectus
capere sufficiat, quo ardore, quo æstus sancti
affectionis eius amorem in corde tuo fixum tene-
bas, imò cor tuum amori eius infixeras, quan-
do sic interius illius dulcedine replebaris,
ut flammæ exterius te prementes paruipen-
deres? Ingredere anima mea interiora spi-
ritualis intuitus, & penetra si potes secretum
beati pectoris, tam igniti dilectoris Domini
tui, & considera quām nectareo diuinæ vincu-
lo charitatis, fœlix mens eius fuit colligata,
cum carnem exterius crudele torreret incen-
dium, & affectus interior exultando, laudes
dirigeret in cœlum. Attende inquam & ad-
mirare, mirare & gaude, gaude & ama, ama &
lauda quantumcunque enim te ad conside-
randum

randum intenderis , longè tum superat intellectum dulcedo illa, quia ipse iucundabatur per affectum , & beatificabatur per effectum. Ad hoc tamen inde cogitando proficis , vt ea satiari desideres , & quandiu satietas abest, eius esuriem patiaris. Quia nimirum quò plus esurie afficeris , eò abundantius percepta satietate gandebis. Non ergo cesses clamare, non erubescas mendicare ad ianuam huius diuitis thesaurarij , cuius imploras auxilium suppliciter orans vt sicut thesauros Ecclesiae tanquam fidelis & prudens dispensator pauperibus distribuit , sic de thesauro charitatis, tantum tibi saltem distillet , quo in dies desiderio eius magis famelicus sis , & illius satietatem semper desideres.

3 Ad te igitur potentissime & pretiosissime Saluatoris mundi testis Laurenti , ad tuę pietatis ianuam clamat hic famelicus,hic esuriens pauper, non vt eius famem euacues, sed vt qualicumque charitatis gustu refocillatam magis accendas , quantulamcunque stillam dulcedinis eius sipienti animæ meæ infundendo, sicut illius in me augeas ; vt onerosa mihi sit omnis dulcedo, quæ illius ex fonte non manat , si tamen dulcedo rectè dicenda est, quæ de illa saporem non habet : Non itaque benignissime Domine licet nimis tepidam famem cordis mei quam hac esurie patitur , satietas aliqua mundanæ voluptatis euacuet : non eius sicut delectatio quælibet carnalis extinguat : sed in mente tui humilis dilectoris

ctoris in dies excrescat. Sit anima mea huius-
auidā famis, ad omnia terrena fastidiosa, vt ab-
iis deficiens, in illam proficiens, per spiritua-
lem esuriem ad beatam perueniat satietatem,
qua ipse insignibus diues meritis, satiari &
beatificari meruisti. Adeant alij pauperes ian-
nuas diuitium, vt terrenis epulis satiati, corpo-
rē famis expellant incommoda; ego ad
tuæ pietatis ianuas pulso, vt satietatēm terre-
næ delectationis euadere, & famem supernæ
dulcedinis indeficientem, merear obtainere.
Hanc esurire, hanc sitire, ad hanc gemere, huic
suspirare inardeisco.

4 Consule mihi Martyr gloriosissime. Ecce
indiscreta fortasse verbositas dicit, satis ora-
tum est, & affectus desiderij clamat, adhuc ar-
dētiūs orationi insiste. Itane dulcissime Do-
mine & feruentissime Christi amator, sese ha-
bet non facta orandi deuotio, vt orationi quō
plus intendit, plus accendatur? Siccine in
spiritu & veritate exorantes incomparabilis
attrahit odor charitatis, vt dum oratio ad ter-
minum ducitur diutius orare delectetur? Ita
planè. Beata mens illa quam tale veraciter
inflammat incendium. Sed vt iam mea qua-
liscumque claudatur oratio, deprecor te bea-
tissime Martyr & præcipua columna Ecclesiæ
Dei Laurenti, qui fœliciter à benignissimo
Iesu audire meruisti, *veni desiderator bone, su-*
scipient te Angeli mei, quoniam assatus no-
negasti me, probatus confessus es me; te inquam
deprecor, subleua tuis sublimibus & poten-
tissimis

tissimis meritis orationem meam , quatenus
quod summè desidero; (videlicet ut à me ex-
tirpetur omnis iniquitas , & vera usque in fi-
nem in me proficiat charitas ;) te interue-
niente,& bono Domino Iesu fauente, merear
obtinere, præstante eodem Domino & Re-
demptore nostro, cui est cum Patre & Spi-
ritu sancto vita & regnum in æterna sæcula.
Amen.

XL. *Ad Sanctum Nicolaum, vel Sanctum
Martinum, pro homine in abyssō pec-
catorum existente.*

Peccator homuncule , tu multūm indi-
gens, tu qui nimis Deum contristasti, ex-
cita mentem tuā, intende in necessitatē tuam,
& inuoca misericordiam super miseriam tuā.
Anima mea euigila, miseria mea expergiscere,
seelerata mea clama ad Deum iratum tuum,
si fortè mitiget super te vultum suum. Sed
altissimus est , & infimus sum. Quomodo
attингет vox mea ad illum. Leuabo super me
animam meam, ut intendat in eam, qui est su-
per eam, si fortè vocatus audiat eam. Sed uti-
que iustissimus est, & nimis iniquus sum. Quo-
modo audis clamorem meum? Intrabo intra
meipsum , excludam omnia præter illum &
meipsum, & effundam animam meam, & quæ
intra me sunt ante ipsum. Excitabo ut dolens
& dolendus affectum meum, expandam ęrum-
nas meas ante eum , si fortè illa sua magna
pietas .

pieras moueat eum. Sed nimis immensa, nimis infinita sunt delicta mea, non sufficit sine intercessore, nec susceptibilis est oratio mea.

2 Rogabo aliquem de illis magnis familiaribus Dei, si forte illum audiat pro me Deus. Vocabo Nicolatum illum magnum Confessorem, cuius nomen glorificatum est per orbem. Nicolae. O & si ipse me audierit Tu ille magne Nicolae. Sed si Deus meus me despicit, quis me respicit. Si Deus faciem suam a me auertit, quis suam ad me conuertit? Aut si Deus odit me, quem audit pro me? Misericors & miserator Deus, an sic detestaris adeste reuertentem, ut pati non possis misereri eius, ullum tibi adhaerentem? Aut tantum execraris unum dolentem tuum, ut propter eum non audias ullum amicum tuum? Tu inquam, qui benignus & misericors, praestabilis super malitiam vocitaris, an ita exardescis in peccatorem poenitentem, ut quod es obliuiscaris? Propter temeripsum aut audi me, aut concede aliquem audire me, quem audias pro me.

3 Domine si contines a peccatore auditum tuum quia iustus es, vel ne prohibeas alienum auditum a misero supplicante, quia pius es. Benigne plus es clemens quam possum cogitare, non minus hoc sentiam quam prae sumo sperare. Tantum confidit Domine de tua pietate creatus & recreatus a te seruus tuus, ut a te petere presumat intercessorem regens

reus tuus. Nullus enim te respuet nisi te iubente, nullus mihi proderit nisi te annuente. Et tamen spero ut quod mihi propter peccata mea negas, propter alicuius familiaris tuis merita concedas. Bone, ne te ultorem exhibeas à quo peto interuentorem, sed non das pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ouo scorpionem. Da ergo Domine mihi intercessorem Nicolaum illum magnum Confessorem, cuius per totum mundum beatum glorificasti nomen.

4 Sancte Nicolae, per illum te precor qui per totum mundum venerari facit nomen tuum, ne deneges indigenti & supplicanti auxilium tuum. Cur es Domine per orbem ab omnibus vocatus, nisi ut omnium rogantium sis aduocatus? Ad quid sonat in ore omnium, *Dominus meus Sanctus Nicolaus, Dominus meus Sanctus Nicolaus,* nisi ut dicere possit adiutor meus *Sanctus Nicolaus, adiutor meus Sanctus Nicolaus?* Ut quid est, ubique nomen tuum diffusum, nisi ut mundo per hoc sit aliquid magnum bonum infusum? Fama tua vocat me ad te, miracula tua mittunt me ad intercessionem tuam, opera tua trahunt me ad auxilium tuum.

5 Sed quare narrem miracula tua, cùm maior sit potentia tua? Ut quid retractem opera tua, cùm superemineat apud Deum gratia tua? Cur recitem subuentiones quas multis impendisti, cùm meliora sint spiritualia quæ potes, quæ corporalia quæ in cœlo habi

450 *Meditatio S. Anselmi,*
habitans facit, & in terra peregrina fecisti?
Non enim ista solum potes, & illa non potes.
Non inquam in his solis es potens quæ ad
nihilum deuenient, & in illis impotens, quæ
ad æternitatem perueniunt. Nempe non ad
hæc tantummodo facienda sic perfecisti. Non
ad ista solummodo tribuenda tantum ascen-
disti. Spiritualia impartire, quibus gloriaris,
æternis lætifica quibus lætaris, cœlestia in-
funde in quibus perseueraris. Illorum per te
sentiamus indigentes exundantiam, quo-
rum perpetuam plenius suscipis inundan-
tiæ.

6 O bonorum tuorum inundantia, & ma-
lorum meorum abundantia. Quanta est eo-
rum distantia? Quàm vehementer illa te fa-
cit fœlicem, quàm nimis ista me infœlicem?
Illa ex plenitudine Dei descendit, ista ex in-
digentia mea ascendit. Ista fuit ex Dei copia,
ista surgit ex mea inopia. O si illius inundan-
tiæ exundantia inundabit, ut diluat malorum
meorum abundantia? O si plenitudo illius
satietas replebit vacuitatem meæ egestatis:
Non dubito Domine, te hoc mihi impetrare,
si tantum velis pro me iudicem meum dile-
ctorem tuum exorare. Ne expectes Domine
ad exaudiendum meam importunitatem,
quia tu scis ad orandum diu meam imbecil-
litatem. Velox enim sum ad deficiendum,
sed esto tu velocior ad subueniendum. Certè
si cor meum contritum fuerit, si viscera mea
commota fuerint, si liquefacta fuerit anima

mea,

mea, si riu*s* diu fluxerint ab oculis meis, tunc
sperabo, quia Nicolaus adest precibus meis.
Concute ergo Domine Sancte Nicolae, con-
cute spiritum meum, excita cor meum, com-
moue mentem meam ad effectum secundum
necessitatem suam, ut sentiam miserationis
tuæ affectum secundum potentiam tuam.

7 Sed heu, quantò tempore languet mens
mea, quantò stupore induratum est cor
meum, quantò torpore obruitur anima mea?
Sancte Nicolae, quid est quod sic me impedit?
Quid quod ceruicem meam sic premit? Vnde
sic tenebratur intuitus meus? Vnde sic clau-
ditur circuitus meus? Vult Domine, vult ad
Deum & ad te anima mea erigere faciem
suam, & plumbeo pondere curuata grauatur.
Cupit in vos dirigere intuitum suum, & ca-
liginosis tenebris obscuratur. Conatur se ex-
pedire, & ferreis catenis astringitur. Tentat
exire, & æneo carcere clauditur. Quid sunt
ista Deus, quid sunt ista quæ sic animam
meam obtenebrant & grauant, claudunt &
ligant? Forsan hæc sunt peccata mea, imò ve-
rè hæc sunt peccata mea. Certè hæc sunt.
Affectus carnalis infatuauit in me saporem
spiritualium, intentio infimorum incuruauit
animam meam ab intuitu supernorum. Amor
terrestrium extinxit in me delectationem
cœlestium, usus vitiorum euacuauit in me
sensus verorum bonorum. Ab illis bonis sum
elongatus, in his malis occupatus. Seclusus
ab illis, inclusus in istis. Ab illis devolutus, in
istis.

obuolutus. Hinc est ille carcer & vineus. Hinc sunt illæ tenebræ & pondera.

8 Peccata mea cui me seruatis in his vinculis & hoc carcere, sub his tenebris, & hoc pondere? Cui nisi districto iudici, & tortoribus vestris, & tormentis æternis? Cui nisi carceri inferni, & vinculis sempiternis? Cui nisi caligini perpetuae noctis, & ponderi indesinantis mortis? Certè his malis me seruatis, ad hæc mala me trahitis. Certè in his ero obuolutus, si priùs à vobis non fuero solutus. Verè horum illiberalis seruus ero, si liber à vobis priùs non fuero. Vtique propè est dies illa, cuique inquam est incognita. Subito venit, & forsitan hodie venit.

9 Delicta mea an eratis tam noxia futura; cùm animam meam vestra dulcedine potabatis, cùm cor meum vestra voluptate vngebatis? Cur hoc à me celabatis? Cur me tradebatis? Imò non vos me tradidistis, sed ego me tradidi, qui vobis credidi. Non vos me decepistis, sed ego me decepi, qui vos intra me suscepit. O inaudita infamia, sciebam in vobis non esse fidem, & tamen adhibui vobis fidem. Imò non habui fidem, nec credidi vobis, sed quodam horribili modo videns, cæcus commisi me vobis. Videns eram, quia vos cognoscebam, & quæ mala vos sequuntur, sciebam: cæcus eram, quia non à notis cauebam. Heu peccatum meum horrendum; res detestabilis, nulli malo comparabilis: Cæcus non videt foueam in quam cadit; insanus pu-

eat se debere facere quod facit: qui autem sponte peccat; videns & sciens præcipitio se tradit. Mors & tormenta quælibet, tormenta tantum sunt; nec in se foeda sunt, quia ordinata sunt. Peccatum in se habet suam foeditatem, & secum trahit æternam infoelicitatem: Melius ergo erat tormentum æternum, quod per se foeditatem æternam non attrahit, quam peccatum, quod cum foeditate sua doiores æternos iungit. Et certè o miser homo ipsa sola plus tibi timenda erat peccati foeditas, quam quælibet tormentorum immanitas. Quippe in peccando foedissima persuersitate præposuisti te Deo Creatori tuo, quo nihil iniustius, in tolerantia tormentorum ordine pulcherrimo subiiceret se factura sua factori, quo nihil est iustius.

10 O homo, quò euanuit humanitas tua? Didiceras quoniam, qui facit peccatum, seruus est peccati, & ut tanti mali seruus es, peccatum fecisti. Sciebas, quia spiritus es vadens, & non rediens, & in peccati abyssum irremeabilem, & sine fundo te iecisti. Verè abyssus sunt peccata mea, quia incomprehensibilia sunt pondere, & profunditate; & inæstimabilia sunt numero, & immensitate. Quæ abyssus irremeabilis est, quia nullus vnde redit, nisi per gratiam retrahatur, & sine fundo, quia qui sponte peccat, merito in infinitum cadit, si non per misericordiam retineatur. O abyssus, quæ abyssum inuocat peccata mea? Tormenta quoque, quibus me seruatis, abyssus sunt,

sunt, quia infinita, & omnino incomprehensibilia sunt. Væ; carcer & vincula, tenebrae & pondera peccatorum trahebant me; sed malitia nulli malo comparabilis seruus factus sum, & sic in abyssum mersus sum, & cum hac dolenda seruitute, & abyso, in alteram abyssum sepeliendus sum. Væ super vae, timor super timorem, dolor super dolorem. Ecce tertia abyssus, & ipsa nimis terribilis. Iudicia Dei abyssus multa; forsan in voce harum cataractarum abyssus mea abyssum inuocat. Cataractæ occultæ sunt, iudicia Dei occulta sunt; abyssus igitur abyssum in voce cataractarum Dei inuocat, quia peccatorum abyssus, tormentorum abyssum meretur, quod iudicia Dei pronuntiant.

11 Si peccata mea non essent abyssus, timenda tamen multum erat iudiciorum Dei abyssus multa, quoniam supra humanum sensum sunt occulta. Nunc verò iudicia Dei abyssus, peccata mea abyssus, debita mihi tormenta abyssus: abyssus iudiciorum super me, abyssus inferni. Subtus me abyssus peccatorum in qua sum, & ipsa intra me. Illam, quæ semper imminet timeo, ne in me irruat, & me cum abyso mea in illam, quæ subtus patet, obruat, ubi tormenta nunquam peccata debent, sed peccata semper tormenta tenebunt.

12 Miser, cui peccaui? quò deueni? quò abiij à Deo? ubi perditus sum ab eo? Quis me in abyso inter abyssos queret? Aut perditum

Dei

Dei quis inueniet? aut quis extra abyssum peccatorum audit clamantem de profundo eorum? Sed o tu Domine qui intueris abyssos, quod iui à Spiritu tuo, & quod fugi à facie tua? Certè non vbi adhuc sum, abes, quia & si descendero ad infernum, ades. Et si ego nequiter fugi te, & in abyssu mea damnabiliter abscondi me, vbi quoque vides me: Quis enim nisi tu ad pœnitendum mouet animam meam? Aut tu quomodo moues eam, si in abyssu sua non vides eam? Bone Domine, tu pulsasti, & excitasti eam in abyssu delictorum suorum, velut in lecto dormientem. Tu concussisti torpentem; tu solicitasti negligentem, tu fecisti pœnitentem, unde iocundabatur, & dolentem unde delectabatur. Tu, ut peteret intercessorem consuluisti, tu illi eum exhibuisti. Bone Deus omnia hæc fecisti in abyssu, & non audis clamantem de abyssu? Hæc perueniendo fugitiuo seruo tuo fecisti, & non subsequeris ad te reuerti volentem, ut perficias, quod incepisti?

13 Bone Domine, gratias tibi. Verè quæsuisti in abyssu perditum tuum, & inuenisti, quem ita de peccatis suis exterruisti. Per meritâ Sancti Nicolai dilecti tni, reduc de abyssu peccatorum, quem quæsitus inuenisti perditum tuum: ne perdas amplius inuentum tuum, ne in abyssu inferni, vbi nullum invenis, perdas quæsitus, & inuentum servum tuum. Audio Domine quia iubes me redire, sed miserabiliter ligatus, & nimio pon

14 Sed ô Sancte Nicolae, cur ego per me-
rita tua oro Deum, cùm tu melius hoc possis,
qui es ante eum ? Precor te Sancte per nomen
eius, ne auertaris quem ipse iam respexit,
quamvis reum seruum eius, adesto mihi rogo
apud Deum, non ut defendas me, sed ut ores
pro me. Peccata enim mea coram eo non
defendo, sed ostendo; non excuso, sed ac-
cuso : Ego sum reus, ego ipse sum sub illo, &
pro illo accusator meus.

15 Non accuset me, qui fecit me; solus
suffeci ad peccandum, solus sufficiam ad ac-
cusandum; denique si Iudex est ad iudican-
dum reum suum, est & Dominus ad tuendum
seruum suum, est creator ad seruandum opus
suum. Est Deus ad saluandum credentem, &
baptizatum suum. Aut quomodo iudicabit
peccatorem, ut contemnentem, qui se de pec-
catis miserum cognoscit, & fatetur poeniten-
tem? aut quomodo damnabit, ut aduersarium
peccatorem, qui se peccasse dolet, & fugit ad
tam amicum eius intercessorem ? Deus in te
pono spem meam. Sancte Nicolae tibi com-
mitto orationem meam. Super ambos iacto
curam meam; imò vobis iacto animam meam:
hoc est, quod à me magis exigitis; tu iubendo,
tu consulendo. Suscipite eam vobis iactatam;
habete eam vobis prostratam. Custodite
eam cùm dormio, seruate eam cùm aliud fa-
cio, videte eam cùm aliud cogito, tu per con-
cessionem, tu per intercessionem, tu propter
merita

merita tui tam dilecti Confessoris, tu propter nomen tui, & mei Creatoris, qui est benedictus in sæcula. Amen.

X L I. *Religiosorum ad B. Benedictum, vel N.*

1 **S**ancte, & beate Benedicte, vel N. quem tam opulenta benedictione virtutum, superna gratia ditzuit, ut non solum te ad desideratam gloriam, ad beatam requiem, ad cœlestem sedem sublimaret, sed & alios innumerabiles ad eandem beatitudinem tua admirabilis vita attraheret, dulcis admonitio incitaret, suavis doctrina instrueret, miracula prouocarent; ad te inquam, Benedicte Domini, quem benedictione tam larga benedixit Deus, ad te confugiens angustiosa anima mea, tibi se prosternit, quam humili mente potest: tibi fundit preces, quanto desiderio potest. Humilis enim est immanis, & intolerabilis necessitas: vitam namque sanctæ conuersationis quam promisi, nomine & habitu Monachi profiteor, sed ab hac vita longè exulando, mentiri Domino, & Angelis, & hominibus ipsa mea teste conscientia conuincor. Adesto pie pater, adesto supplicant. Rogo ne abhorreas tam mendosum & tam mendacem, sed attende confitentem, & plusquam merear, miserare dolentem.

2 Utique, ô præclare Dux inter magnos Duces exercituum Christi, tuo me addixi du-

cātui, quamvis imbecillem militem. Tuo me subdidi magisterio, licet ignavum discipulū. Secundū tuam regulam deuoui me viuere, quanquam carnalem Monachum. Peruersum namque cor meum ad deploranda præterita peccata, lapideum est, & aridum; ad resistendum verò instantibus, molle, & luteum. Deprauata mens mea, ad inutilia, & noxia pertractanda, velox est, & infatigabilis; ad illa cogitanda salubria est fastidiosa & immobiliis. Obsecrata, & distorta anima mea, ad præcipitandum, & volutandum se in vitiis, facilis est, & prompta, ad saltem reminiscendum virtutes difficilis, & pigra.

3 Longum est nimis sanctissime Pater, commemorare singula. Nimis, inquam, longum est enumerare gastrimargiam, somnolentiam, leuitatem, impatientiam, cenodoxiam, detractionem, inobedientiam, & tetavitia, quibus facta est infelix anima mea, quotidianum dæmoniis ludibrium qui modò sibi vicissim tradunt, & distrahunt ad illudendum hunc ærumnosum, & pannosum homunculum; modò eidem cum turba insultant conculcando, & conculcant insultando. Ecce beate Benedicte, vel N. quam strenue pugnat hic miles Christi sub tuo ducatu. Ecce quam efficaciter proficit hic tuus discipulus in tua schola, ecco bonum Monachum, qui sic mortificatis vitiis, & voluptatibus carnis, sic feruet & vinit solis virtutibus: Imò ecce falsum Monachum, cui sic extinguis virtutibus, sic turbus

bus damnata vitiorum , promit moles peccatorum . Proh dolor !

4 O impudens Monache, qua fronte audes dici miles Christi, discipulus Sancti Benedicti, vel N. falsi professor , qua impudentia potes pati videri in te tonsuram , & vestem professionis, cuius non habes vitam ? Heu dolor ! O angustiae , quæ mihi sunt vndique. Si enim summum regem meum , & bonum magistrum meum , & promissionem factam nego, mors mihi est ; si autem eorum militem, & discipulum, & Monachum me profiteor, cùm vita me arguat mendacij, iudicium mihi est ; anxiare in me spiritus meus , turbare in me cor meū. Erumpe, & clama anima mea : Iesu bone Domine , vide humilitatem meam , & laborem meum, dimitte vniuersa delicta mea. Adiutor meus esto Domine, ne derelinquas me, neque despicias me , sed doce & adiuua me facere voluntatem tuam, & vita mea testetur , quod cor, & os libenter confitentur.

5 Intende voci orationis meæ , Rex meus , & Deus meus , per merita & intercessionem pij Benedicti , vel N. dilecti tui dulcis Magistri mei. O tu mi bone Dux , ô suavis Magister, ô dulcis Pater Benedicte, vel N. oro, & obsecro per misericordiam , quam erga alios habuisti, & per illam quam erga te Deus habuit compatere miseriæ meæ, qui congratulor fœlicitati tuæ. Succurre te patronum clamanti, exonera mole peccatorum obrutum , solue delictorum funibus ligatum , expedi criminibus

bus irretitum , erige iacentem, sustine nutan-
tem,instrue spiritualibus armis,virtutibus in-
er mem,doce,& protege pugnantem, expugna
impugnantes ; erige in victoriam , & perduc
me ad coronam. Age aduocate Monacho-
rum,per charitatem,qua sollicitus fuisti,quo-
modo viuere deberemus, esto sollicitus,vt suf-
ficienter velimus , & efficaciter possimus,
quemadmodum debemus , vt & tu de nostro
discipulatu , & nos de tuo magisterio glorie-
mur coram Deo, qui viuit, & regnat per om-
nia sœcula sœculorum. Amen.

X L I I . *Ad Sanctum Dunstanum cum re-
cordatione miraculorum suorum.*

SANCTE Dunstane dulcis ad inuocandum,
& benignus ad exaudiendum , pius ad
subueniendum. Tu ad te fugientibus nun-
quam incertum refugium , tu ad te clamanti-
bus nunquam imparatum auxilium. SANCTE,
benigne , ac pie Dunstane, respice miseriam
animæ meæ; si enim respexeris, si calamitatem
meam, & miseriam attenderis, profectò mis-
ericordiæ tuæ viscera non continebis. Timo-
re, tremore , horrore cruciatur anima mea;
timet, tremit, & exhorret immania , quæ me-
retur supplicia, & non est, quò effugiat, con-
stituta ante iudicem. Sola assistit , nullus,
qui pro ea agat,existit. Vita discutitur , dam-
nabilis inuenitur. Bona etenim acta requi-
runtur,vix,aut nulla reperiuntur. Deferuntur

ad

admissa, negari non possunt tam multa, & tam grandia quæ omnem veniæ spem excludunt. Longanimem sui patientiam Iudex exigendo prætendit, nil nisi pertinacem sui impœnitentiam ista obtendit. Circumstunt accusantes, iterant, & reiterant, replicant, & expli- cant delatas excusationes. Vndique accusatur, à nullo excusatur. Astant, & expectant crudeles, ac horrendi tortores, vt prolatæ damnationis sententia mox eam ad crucianum abripiant. Tanta miseriarum mole ob- ruta miserabilis anima, querit, & circumspicit, & ecce, qui confurgat, & pro ea respon- deat nullum aspicit.

¶ Tu ergo pie, misericors, & clemens Dun-
stane, surge, surge, exhibe solitam opem mife-
rationis : adhibe viscera pietatis, impende
suffragium interuentionis : ad te clamandum
inuitabant, & exhortabant opera pietatis,
quæ de te prædicantur ; sed repellunt, ac ob-
tundunt opera impietatis, quæ à me commis-
sa, à te horrore intolerabili abominantur at-
que execrantur. Ecce miseria ; ecce angustia ;
vbi reus condemnatur, & omnis Dei miseri-
cordiæ, ac pietatis sinus obseratur ; sic argui-
tur, confunditur, obtunditur, accusatrice con-
scientia, vt nec Iudicem deprecari audeat,
nec qui deprecetur pro ea ; sed ô tu miseri-
cors, & pie, vbi pietas, vbi miseratio, vbi mife-
ricordia, nisi vbi miseria ? Cui pius, cui mife-
ricors fies, nisi misero ? Agnosco, agnosco,
agnoscens obmutesco. Intentas enormitatem

criminum meorum ; attamen quanto maior miseria, tanto fit prædicabilior misericordia; nec miseria mea tanta erit , vt deficiens frat potentia tuæ virtutis. An eò usque amplificatur miseria mea, ut angustetur misericordia tua ? An inualitudo mea præponderabit potentissima merita tua ? Imò meritorum tuorum præponderans gratia sustollat, leuiget, ac euacuet impietatum meum pondera. Libentissime tibi Index ipse donabit, quicquid tua tam dilecta & chara eum familiaritas postulabit : non negabit tibi unius salutem miseri, salus ipsa, cui tam familiaris existis; facile reddet tibi unius mortui vitam, vita ipsa, apud quam tantam habes gratiam.

3 Ne deficiat quæso in me uno tuæ benignitatis munificentia , cuius in multis & tam innumeris redundant beneficia. Obtineam per te indulgentiam, ut tam dilecti, & diligenter Dei , ac Domini tui in me omnes prædicens, ac magnificant misericordiam. O quam prædicandis monstrabat Deus indicis, quantum ei tu gratus es, ac familiaris. O inestimabilis cordis tui puritas cum qua tam crebro sermocinabantur Angeli Dei : ô inestimabilis apud Deum familiaritas, cui sic familiaris erat Angelorum dignitas. O decus, ac præmium virginitas , cui sic gaudet natura angelicæ dignitatis ; In cœlum deducebaris, intereras beatis agminibus illorum , oblectabis modulationibus angelicis, cantans cum illis canticum, quod solus cantant chorus virginalis.

ginalis. Rursus tibi in terris hymnum celebanti vicissim aderat, & consonabat melodia cœlestis, concinebant agmina virginitatis, summa dignitas supernæ Ciuitatis. Potens, ac præpotens gratia, cui sic obsequens erat dignitatis angelicæ potentia. Excellens, ac præcellens meriti eminentia, quam sibi sic acceptam, sic pretiosam diuina monstrabat superexcellentia. Nunquam ergo tam dilecti, tam familiaris sui precessu auertet, ut reo vni veniam non donet. Denique ipse testatur, quoniam non vult, ut peccator moriatur; libenter itaque animæ peccatrici salutem dabit, cuius testatur se nolle mortem.

4 Rursus occurruunt spes, & confidentia erectionis meæ apud ipsum Iudicem, insignia familiaritatis tuæ. Quos enim prænuntios, quos apparitores ad te præmisit, cum direxerit tuam beatam animam iam carne abituram, illum adituram, ac secum permansuram adiudicauit? ne vlo metu terneretur, stupore, turbaretur, incertitudine sollicitaretur, dies prædictitur, æterne beatitudinis mansio promittitur, ducatus curiæ cœlestis adducitur; à quo hilari securitate, ac secura hilaritate perducatur.

5 Quanta, & ô quanta, quali, & ô quali suscipitur exultatione, quoniam cum tali, ac tanta deducitur apparitione! quantum iocundatur, & glorificatur susceptus, cuius sic honorificatur aduentus? Quanta denique veneratione, quanta glorificationis exhibitio-

ne fit ipsa annuntiatio migrationis tuæ ? Per visum tibi sedenti in cathedra tua pontificali, astans & circumstans Angelorum frequentia supernorum ciuium curia , quærerit à te quoad tibi placeat commorari in carne ista : refert nuntium, indicat votum totius supernæ concionis optantis , orantis , ac deprecantis, vt iam cum eis ante summum Pontificem perpetuum S A N C T V S decantes in cœlis : Respondisti te nunc non posse abire , quia Dominicæ ascensionis aderat festum , in quo allocuturus , & communicaturus eras commissum tibi populum. Fit concessio iustæ , & charitatiæ excusationis ; indicitur dies in qua nulla occurreret causa dilationis. O insignis, & admirabilis gratia familiaritatis ! Cuius solius voluntati, totius supernæ dignitatis votum, ac voluntas cedit. Concedit dilationem sui, ne huius non habeat adimpletionem, quod non vult, illa fieri mauult, quām ne non fiat, quod ista vult.

6 Quo ergo amore præsentia eius amatur, & amplectitur, cuius absentia sic desideratur, & expectatur ? Quod à Deo gratiæ donum accepit in cœlis, cui tantum gloriæ munus in terris concessit ? Splendidus in stola virginitatis , quām veneranter suscipitur ad nuptias Agni. Inter primos discumbit , quia cum decore integritatis induitur virtute humilitatis, præditusque gratia charitatis, ac totius virtutis, sequitur Agnum quocumque vadit : Quomodo ergo tam amatus, tam familiaris

Iaris apud ipsum auctorem salutis, misericordiæ, ac pietatis, non obtinebis salutem vnius peccatoris? si voluntas adest, constat quia possibilitas non deest, nec voluntatem fas est abesse, quia te voluntati eius fas non est contrarium esse, qui omnes homines vult saluos facere. Obtine itaque quod vis, & quod potes obtainere; liberetur, & viuat tua intercessione anima mea, pro qua ut viueret mori voluit vita beata, Deus ipse misericordia mea, qui est benedictus in sœcula. Amen.

X L I I . *Ad Beatam Mariam Magdalena cum retractatione amoris ad Christum.*

Sancta Maria Magdalena, quæ cum fonte lacrymarum ad fontem misericordiæ Christum venisti, de quo ardenter sitiens, abundanter es refocillata, per quem peccatrix es iustificata, à quo amarissimè dolens, dulcissimè es consolata. Tu domina mea charissima, per temetipsam es experta qualiter peccatrix anima creatori suo reconcilietur, quod consilium miseræ animæ expeditat, quæ medicina languenti salutem restituat. Satis enim scimus chara amica Dei, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexisti multum. Non ego sceleratissimus, domina beatissima, non ego sceleratissimus, peccata tua improperando retracto, sed immensitatem clementiæ per quam deleta sunt pertracto, & per eam respiro ne-

peream , & ne desperem ad eandem suspiro,
ego,inquam , miserabiliter in profundum vi-
etiorum præcipitatus, ego nimis pondere cri-
mainum grauatus,ego in obscuro carcere pec-
catorum à memeti po detrusus,& in corporis
tenebris obuolutus.

2 Ergo electa dilectrix , & dilecta electrix
Dei,ego miser rogo te beatam , tenebrofus il-
luminatam,peccator iustificatam, immundus
mundatam ; Memento benignissima quid
fuisti, & quantum misericordia indigisti , &
postula mihi indulgentiam,sicut eam tibi fie-
ri voluisti. Impetra mihi compunctionem
pietatis,lacrymas humilitatis, patriæ coelestis
desiderium,terreni exilij fastidium, pœniten-
tiæ amaritudines , æterni cruciatus timorem,
prosit mihi familiaris conuersatio Charissima,
quam habuisti, & habes circa fontem miseri-
cordiæ : hauri mihi ab illo vnde lauem pec-
cata mea ; propina mihi de illo vnde satietur
fatis mea. Infunde mihi de illo vnde irrige-
tur ariditas mea , non enim erit tibi difficile
quicquid volueris obtinere à dilectissimo , &
fauissimo domino, & amico tuo,qui viuit,&
regnat cum Deo.

3 Quis enim explicit o beata sponsa Dei,
quam benigna familiaritate,& familiari beni-
gnitate, ipse calumniantibus te, respondendo
pro te, se opponebat,quam piè superbo Phari-
sæo de te indignante ipse te defendebat. Quo-
modo ipse excusabat , sorore tua de te con-
querente; qualiter ipse opus tuum laudabat,

Iuda

Iuda in te fremente ; Quid denique, quid dicam, vel potius quomodo dicam, cum eius amore flagrans, cum ad monumentum quærendo flebas, & flendo quærebas ? Quam ineffabiliter, quam amicabiliter te, quam consolari venerat, magis ascendebat cum ipse se celabat videnti, & ostendebat non videnti, cum ipse præsens, quem quærebas, quem quæreres, & cur fleres, quærebat.

4 Sed ô tu piissime Domine, cur quæris quid plorat ? Nenne viderat te cor suum, & dulcem vitam animæ suæ crudeliter mactari? ô stupenda pietas ; sed heu horrenda impietas ! cum in crucis ligno extensus & ferreis clavis confixus penderes velut latro ad ludibrium impiorum ; & dicis, *Mulier, cur ploras?* & quæ nequiuuit iuuare, ne te occiderent, vel corpus tuum volebat ynguentis diu seruare, ne putresceret : ut quia viuo loqui non posset, saltem mortuum flere posset, ut vitalem doctrinam, quam à viuo audierat, iuxta mortuum, exosa vitam, semifractis verbis recitaret. Nunc insuper ipsum corpus, quod ut cunque gaudebat sibi dimissum, credit amissum. O incitatio luctus ! oculis suis viderat, (si tamen aspicere potuit,) quæ crudeles in te crudeliter fecerant, & residuum manuum eorum, ut putabat, perdidérat. Omnis spes de te iam fugit, quia nec reliquias tuas ad tui memoriam tenere potuit, & quærit aliquis, quem quæris quid ploras ? Saltem tu singulare gaudium eius, cur concitas dolorem eius ?

Ipse enim sciebas, & sic fieri volebas, quia causam tanti ploratus narrare non posset, nisi crebro verba interrumpendo, & ingeminatos gemitus erumpendo. Non enim amorem ignorabas, quem ipse inspirabas. Noueras utique tu hortulanus ille, quid plantaueras in horto tuo animæ suæ. Puto, quia, quod planteraueras, rigabas. Rigabas, dicam, an probabas? Sed ut verius dicam, & rigabas, & probabas.

Sed ô bone Domine, ô benigne Magister, ecce fidelis ancilla tua, & discipula tua, nuperrimè redempta sanguine tuo; ecce & stuat, & anxiatur desiderio tui, circumspicit, interrogat, & nusquam appetet, quem desiderat: displicet ei quicquid videt, quia te solum quem aspicet non videt. Quid ergo? suffertne hoc diu Dominus noster, & dilectus eius? An perdidisti compassionem, quia inuenisti incorruptionem? An pietatem amisisti, quia immortalitatem acquisisti? Absit Domine, non enim despicias nos mortales, quia factus es immortalis, pro quibus factus es mortal, ut faceres immortales: quippe pia dilectio, nec illam gementem, nec se latentem, potest tolerare diutiùs. Erumpit amantis dulcedo, ut non erumpat flentis amaritudo. Nomina Domini consuetum ancillæ nomen, & cognoscit ancilla consuetam Domini vocem. Puto, vel certè affirmo, quia sensit solitam suavitatem, qua vocari consuerat, Maria. O vox delectabilis! ô quantum blandimenta!

dimenti ! quantum sapuit amoris ! nec cele-
rius hoc exprimi potuit. Scio quæ sis, & quæ
velis. Ecce me , nec plores ; Ecce me, quem
quæris. Illicè mutatæ sunt lacrymæ : non
enim credo, mox esse restrictas ; sed quas con-
tritum cor se torquendo prius exprimebat,
eas postmodum cor gaudens exultando ef-
fundebat. O quād dissimilia sunt ! Raboni
&, si tu sustulisti eum , dicio mihi. O quād
diffona sunt ! Tulerunt Dominum meum, & ne-
scio ubi posuerunt eum, & illud, quia vidi Domi-
num, & hæc dixit mihi.

6 Sed quid ego miser sine affectu præsu-
mo exprimere affectum Dei , & beatæ amicæ
Dei ? Quomodo namque eructabit cor bo-
num odorem, vnde intus non habet saporem?
verū tu mihi conscientia es veritas : tu mihi
testis es Domine mi dulcissime Iesu , quia a-
more tui hoc facio. Amorem tuum in me ac-
cendere cupio , quia te solum , & quæ iubes
desidero amare, spiritum contribulatum , cor
contritum, & humiliatum tibi sacrificare. Da
mihi Domine in hoc exilio panem doloris,
& lacrymarum , quem esurio super copiam
deliciarum. Exaudi me propter amorem , &
chara merita huius tuæ dilectæ Mariæ, & bea-
tissimæ Matris tuæ maximæ Mariæ. Noli piis-
sime Redemptor Iesu , noli despicere precem
indigni peccatoris tui , sed adiuua conatum
infirmi peccatoris tui ; excute cordis mei te-
porem, & per feruorem tui amoris , da mihi
pertingere ad æternam tuæ gloriæ contempla-
tionem,

470 *Meditatio S. Anselmi,*
tionem ; qui cum Patre, & Spiritu sancto vi-
uis & regnas Deus per omnia saecula saeculo-
rum. Amen.

X L I V. *Prelati ad quemcumque Sandum.*
Patronum Ecclesiae sua.

Sancti N. pie N. beate N. vnum de glo-
riosis Apostolis Dei, vnum de beatis ami-
cis Dei ; iste peccator, iste indigens, iste tuus,
licet indignus, licet ineptus, licet nimis in-
conueniens Vicarius, iterum, & iterum redit
ad te, dubius, nescius, sollicitus de populo
tuo, de congregatione tua, & de periculo suo.
Ego scilicet inutilis persona, nullis bonis or-
nata, sed profunda ignorantia tenebrata, in-
numeris vitiis deformata, immensis peccatis
onerata ; ego, inquam, quem Deus, & tu pius
Dominus, nescio an iussistis, an permisistis re-
ctorem vocari in Ecclesia sub te aduocato,
sub te tutore, sub tuo nomine constituta, an-
xius de me, & de mihi commissis, te rogo con-
sultorem, te precor adiutorem, te expecto per
omnia pro me operatorem : Magister enim
vocor, sed esse nescio : Pastor nominor, sed
esse nequeo : Episcopus dicor, sed non sum.
Vident enim me sedere ubi sedet Episcopus,
sed ego video me non facere quod Episco-
pus facit : aspiciunt me procedere sicut Epi-
scopum, sed ego aspicio me non vivere sicut
Episcopum : exhibent mihi honores Episco-
pi, sed ego non ostendo eis mores Episcopi,

Nobis

Nondum duxi vitam boni laici , & de me ex-
pectant quomodo vivant Clerici.

2 Quid feci homuncio, vermis, & putre-
do ? Quid feci ? quid præsumpsi ? quid con-
fensi ? Imò tu Deus , & tu N. Apostole eius,
quid fecistis? vos enim hoc fecistis , siue iu-
bendo, siue permittendo. Vos ergo, qui quo-
quo modo fecistis ; facite, tu orando, tu do-
nando, ut nec mihi, nec illis obsit ; sed mihi, &
multis prospicit, quod fecistis: vos qui fecistis ne-
scium doctorem, cœcum ductorem, errantem
rectorem ; docete, quem doctorem statuistis,
ducite quem ductorem posuistis, regite quem
rectorem constituitis. Docete obsecro quid
doceam, ducite quid ducam, regite, ut regam:
in me docete illos, & me in illis ; ducite illos,
& me cum illis ; regite eos , & me inter
eos.

3 Iesu bone Domine, non sunt illi mei, sed
sunt tui , quia nec ego sum meus , sed tuus.
Tuus sum bone Domine, & tui sunt ; quia tu
me , & eos sapientia tua fecisti , & sanguine
tuo emisti. Tui ergo sumus bone Domine, tui
sumus, quos tam sapienter fecisti, & tam carè
emisti. Si ergo mihi commendas eos , Do-
mine non ideo deseras me , vel eos : com-
mendas eos mihi, commendo eos, & me tibi,
Tuus est Domine grex, & tuus est Pastor ; tui
gregis , & Pastoris esto Pastor. Domine per
merita Beati N. amici tui exaudi orationem
peccatoris tui. Fac Domine ipsum sollicitum
esse pro nobis , quem aduocatum dedisti no-
bis,

bis, ipsum pro nobis orare sentiamus, per quem auxilium tuum nobis quotidie flagitamus. Impetremus per ipsum gratiam tuam, per quem imploramus quotidie maiestatem tuam; illum Domine fateimur aduocatum nostrum, per illum sentiamus te Saluatorem nostrum; ne praeualeant Domine demerita nostra meritis ipsius, sed delectantur peccata nostra precibus eius.

4 Et tu ô Beate, ô Sancte N. tu es aduocatus meus, tu esto ad Dominum intercessor meus. Oro te, exora eum; peto à te, impetra ab eo. Defer illi meam orationem, & refer mihi eius exauditionem. Per te illi angustia mea intimetur, & per te mihi consolatio eius redonetur: ostende illi meum periculum, & exhibe mihi eius auxilium. Ecclesiam enim Dei sub te regere suscepi, qui animam meam nondum regere incepi. De meipso ergo timidus, de aliis cogor esse sollicitus. Grauatus pondere peccatorum, alios iubeor releuare; incurvatus pondere criminum, alios exigor erigere. Ergo Sancte, beate, ac pie N. recognosce me qualecumque Vicarium tuum, ut semper me praeueniat consilium tuum, subsequatur auxilium tuum ad regendum meipsum, & gregem mihi commissum. Priùs enim sunt commissi tibi, quām mihi; & cūm mihi sunt commissi, non sunt à te dimisi, sed ego magis commissus. Quod ergo mihi iniunctum est facere pro te, fac pro me, & pro te; fac Domine pro me, quod mihi iniunctum

estum

Etum est facere per te ; fac Domine fac pro me, quia tu vides me nec scire, nec posse, nisi per te : imò fac non pro me, sed pro te, quia priùs, & magis pertinet ad te, quàm ad me, & si quid ad me, hoc est post te, & sub te. Tu ergo Domine, tu plus debes, plus scis, plus potes, quàm ego, tu potiùs fac, quàm ego.

5 Non me grauet Domine suscepta cura eorum, quia satis me grauat sarcina peccatorum meorum. Non me grauent illi, quia ego ipse nimis sum grauis mihi ; nimis certè ipse me grauo, non est opus ut alij me grauent. Sed nec eos grauet onus meum, nec impedit eos peccatum meum, nec noceat illis malum meum; non obsint illis mala mea, quibus prodesse debui: nimis enim sufficiunt mihi delicta mea, non trahant me aliena secum. Nimis mihi est, si me damnant peccata mea; non inuoluant alios mecum. Sed tu ô Sancte N. Apostole Dei, tu qui potes subleua me, & eos ; porta me, & illos ; adiuua vtrósque rege, & protege vtrósque: vt & ego gaudens de illorum salute mecum, & illi de mea secum, semper laudemus nostrum bonum Dominum Iesum Christum tecum, qui sit benedictus Deus, & tu benedictus Apostolus eius in æternum. Fiat, fiat, Amen.

X L V. *Ad Deum & ad omnes
Sanctos.*

Domine Deus omnipotens, æterne, & ineffabilis, sine fine, atque initio, quem unum in Trinitate, trinum in unitate confitemur. Te solum Deum adoro, te laudo, te benedico, tēque glorifico, tibi gratias ago, tibi me tota deuotione committo; intende vocis orationis meæ; Pater de cœlis Deus, Rex meus, & Deus meus: Fili Redemptor mundi Deus miserere mei, ne perdas me cum iniquitatibus meis, neque in finem iratus reserues mala mea: Sancte Spiritus, benigne Deus, inspira mihi spiraculum gratiæ tuæ, & dirige me in viam salutis æternæ; doce me voluntatem tuam facere; quicquid tibi displicet in me, remoue à me. Trine, & vne, omnipotens, pie, & misericors Domine, aspice in me, & tribulationem meam in gaudium converte, & ne des hæreditatem tuam Altissime in perditionem. Dominator omnium, ac protector in te sperantium Domine, deprecationem meam suscipe; & per intercessiones gloriose Virginis Mariae aufer iram tuam à me, Domine Deus salutis meæ, nec animam meam priùs à corpore suscipias, quam omnia peccata mea dimittas.

O gloria Dei genitrix, Mater misericordiæ, Virgo temper Maria, quæ Dominum omnium meruisti portare, & Regem Angelorum

rum sola Virgo lactare , adiuua me in die tribulationis meæ, ut tuis fultus patrociniiis , ad regna cœlestia merear peruenire.

3 O Sancte Michaël Archangеле Dei, præpositus paradisi, veni in adiutorium meum, & defende me ab hoste maligno in hora mortis meæ , & animam meam deduc in paradisum exultationis æternæ. Omnes Sancti Angeli, & Archangeli Dei, cunctæ cœlorum virtutes, omnésque sanctorum spirituum ordines, aduersæ damnationis vires reprimite, expugnate impugnantes me , à rugientis inimici sæuitia potenter me defendite , in via veritatis fideliter gradientem omni hora, die, ac nocte custodite me & in hora exitus mei , animam meam in pace vobiscum suscipite.

4 Sancte Ioannes Baptista , omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ , exoro vos obnixa prece, manum mihi porrigite , auxilium mihi in cunctis necessitatibus meis , & infirmitatibus præbete ; poscite mihi à Deo indulgentiam, patientiam, constantiam, iustitiam, obedientiam, continentiam, sanctamque perseuerantiam.

5 Sancte Petre princeps Apostolorum beatissime, omnésque sancti Apostoli, & Evangelistæ, Ecclesiarum principes , & cœlestis aulæ triumphales milites, date mihi vitam honorabilem, virtutum magnitudinem , consummationem laudabilem, & æternam beatitudinem; influat mihi per vos pax , virtus , & perpetua salus.

6 Christi

6 Christi dulcissimi Sacerdotes, atque incliti Doctores, omnésque sancti Confessores, qui ampliastis talentum vobis creditum per immarcescibilem fructum bonorum operum, Dei ineffabili pietate detur mihi per vos peccatorum indulgentia, totius boni copia, cœlestium concupiscentia, grata fratrum benevolentia, meorum reverentia, mandatorum Dei obseruantia. Precor te beate N. deuotissima prece, dignare me inter tuos agnoscere, cùm federis potens in iudicio orbem iudicaturus cum Domino.

7 Omnes sanctæ virgines, quæ cœlesti sposo perenni mente adharentes, luxum calcasti sæculi, omnésque sanctæ viduæ impetrare mihi fœtido, munus perennis gratiæ, vitæ sanctimoniam, corporis munditiam, cordis innocentiam, fidei firmitatem, fraternitatis charitatem.

8 Intercedite pro me omnes Sancti, qui cumque Deo placuistis ab initio sæculi. Appitate me ad voluntatem Dei peragendam in omni opere bono, ut peccatis mortuus, Deo viuam, & vota, quæ Deo voui vestris suffragantibus meritis illi toto affectu persoluam, ut ad portum salutis æternæ mercar peruenire, & in æterna felicitate vobiscum sine fine gaudere. Amen.

X L V I . *Pro Sacerdote , cùm multum
timet, ne Officium Altaris , quod gerit,
magis ei noceat , quàm proficiat,
et quale consilium de tali
perplexitate capiat.*

Dulcissime, & benignissime Domine Iesu Christe , altissimi Patris altissime filii, qui cum eodem Patre tuo , & Spiritu sancto vniuersitatis creator existis; cui nota sunt omnia antequam fiant , tu nosti insipientiam meam , nosti & quàm infirma sit , & fragilis anima mea; & eius peccata, atque delicta à te non sunt abscondita. Te verò cretorem meū esse recognosco, & omnia , quæ mihi ad præsentem vitam sustentandam necessaria sunt, administrare fateor : fecisti ergo me cùm tibi placuit; & tandiu in hac vita ero, quandiu tibi placuerit ; nec quoisque tibi placeat villa vis me hinc expellere poterit. Et quia de hac re certissimus sum, quod ita sit, hoc super omnia immensam bonitatem tuam deprecor , ut qualitercumque mihi eueniat , dum viuo, saltem de me bonus sit finis , omnibusque iniuritatibus meis per veram pœnitentiam dimisis , ad visionis tuæ gloriam peruenire valam propter quam me creasti.

2 Fateor , dulcissime Domine Iesu , quia omnia quæ habeo, & scio, tu mihi dedisti, & docuisti, & quia propter hoc ea mihi dedisti, ut te, sicut dignum esset, super omnia diligenterem,

rem, & omnia, quæ tibi placent cum magna voluntate facerem; ea verò, quæ displicant nullo modo facere auderem. Sed inter cætera bona, quæ mihi de seruitio tuo præcepisti, nescio, quo occulto iudicio tuo mihi onus Sacerdotij imponi permisisti. Quod seruitum cùm diligenter intueor, quanta reuerentia sit agendum, & quām pura conscientia, & ab omni contagione peccati munda debet esse mens, quæ tam terrificum ministerium suscipit tractandum, & cum altera parte non minori diligentia respicio, quis sum ego, qui hoc tractare audeo, non parum de præsumptione mea formido, sed vehementissimè timeo, ne ad maius iudicium, maiorisque iudicij damnationem mihi fit, quod ad tam dignam rem tam indignus accedere audeo.

3 Scio certè, nec de hac re ullo modo dubito, quia si ita viuerem, sicut ille viuere debet, qui hoc ministerium agit; nullum seruitum Dei facere possem, quod sic mihi proficuo esset, & saluti. Sed sicut proficuum esset, si vita digna existeret, ita maius periculum, & maior damnatio infirmæ animæ peccatis suis oneratæ imminet, quæ tam dignam rem indigna tractare audet. Verè ita est, & plusquam dici possit, ista res utilis est, & salubris bono Sacerdoti, & plusquam dici possit periculosa est hanc indignè tractanti. Quid ergo faciet dulcissime Domine Iesu, hic tuus Sacerdos, imò hic peccator quid faciet, huius tui seruicij onere grauatus? Nimis enim sum incertus

tus quid mihi sit vtilius, dimittere, an facere. Sed tamen si ex toto dimittto, nunc rursus nimis pertimesco, ne sub huius formidinis occasione multa mala, multaque peccata audeam inchoare, vel etiam perpetrare, quæ propter huius seruitij formidinem priùs non audebam vel cogitare.

4 Fateor quippe multoties cùm ad huius officij seruitium me præparo, de malis quæ me fecisse recognosco, angustiùs, & distractiùs intra me doleo, & eas, quæ tunc perturbant vanas cogitationes, expeditiùs respuo, & post peractum seruitium mala, atque peccata, quæ iterum insurgunt propter eiusdem seruitij formidinem, timidiùs recipio. Cùm hoc ita euenit, de eiusdem seruitij præsumptione aliquam consolationem habeo, quia propter illius réuerentiæ timorem, aliquantulum à peccatis meis cessare me intelligo. Sed ô mitissime, & misericordissime Iesu, ut tu perspicis, ita est. Sæpiùs cor meum omni malitia plenum, omniumque iniquitatum tenebris obcœcatum, omnes fortitudines postponens, scienterque tuas præceptiones contemnens, veluti torrens, qui omnes foetores in se decurrentes secum trahit, & modò sursum, modò deorsum secum voluit, omnes immundicias carnalium delectationum recipit, & quasi porcus in cœno, sic in easdem immundicias se voluit, & reuoluit.

5 Fateor ô misericordissime Iesu coram maiestate tua iniquitates meas; fateor imma-

nissimas

nissimas superbias, & sordidas cogitationes meas, quas abiecto timore tuo infelicitate intus amplectitur infelix anima mea. Ut tu vides, clementissime Domine Iesu, ut tu vides, sapientius, & sapientius ita facio, & in tam sordido vase, vel potius in tam sordido corde corpus tuum, & sanguinem suscipio: verum dico, non mihi parco: sic multoties plenus peccatis & iniuriantibus ad seruitium tui altaris accedo: unde multum formido, quod magis ad perniciem, quam ad salutem mihi sit haec presumptio, quod sic fœtens, & putens, tam munda sacramenta contingere presumo.

6 Modò veniat aliquis fidelis, qui spiritu Dei plenus sit, & miserum Sacerdotem suo spirituali consilio instruat, quid ei sit melius, quidve deterius, seruitium altaris propter huiusmodi impedimenta dimittere, an propter refrænationem multarum iniuriarum, quæ eiusdem seruitij formidine sapientius reprimuntur, seruitium facere. Est autem de hoc (ut mihi videtur) expeditum, & salubre consilium, à peccatis cessare, & seruitium, quod Deo debemus, reddere; nos autem et si indigni sumus Deo seruire, Deus non est indignus seruitio suæ creaturæ: de aliis nescio quid ipsi magis eligant; de me scio, quia magis volo Deo seruire, et si non ex toto me possum à malitia retinere, quam propter formidinem peccati, eius seruitium dimittere, & in peccatorum damnatione securius iacere. Melius est, ut nos verberet propter aliquam offenditio-

nem sui seruitij , & tamen suum seruitium facientes , quām nos damnet propter timorem peccati suum seruitium facere nolentes. Immensa est enim eius pietas, immensa eius misericordia , qui & si viderit nos viam suæ rectitudinis vel claudicando ambulare , et si sæpius labendo & relabendo , non tamen ab eiusdem viæ rectitudine velle recedere, si nos non lassemus, non diu se retinere poterit , sed conatum nostrum adiuuabit , & dirigit gressum nostrum ad viam salutis. Tamen si peccata Sacerdotis sunt criminalia , utlius est ei ab immolatione sacrificij humiliter cessare, quām per præsumptionem immolando , maiorem damnationem incurrere, donec inchoata, vel peracta poenitentia , possit ad altaris seruitium securius accedere.

7 Sed ecce dulcissime, & misericordissime Domine Iesu , fateor immensæ bonitati tuæ me esse nimis peccatorem, plurima, quæ tibi displicant facientem, & tamen tui altaris seruitium facere præsummentem. Non enim possum de tua misericordia desperare , non possum, nec mihi expedit seruitium tui altaris dimittere; tuum corpus , & sanguinem non sumere , quod pro redemptione mea mortem suscepit , & qui pro remissione peccatorum de tuo latere lancea militis aperto cum aqua exiuit. Si indignus sum, sicuti sum, & ego fateor, verbera me, emenda, & corripe, & tandem castiga tuum Sacerdotem, imò tuum peccatorem , donec omnis rubigo peccati rece-

dat à me , quæ per tam longum tempus ex magna incuria indurata est in lateribus animæ meæ. Fateor, fateor, peccator sum , immundus sum, indignus sum, & tamen non recedo à te dulcissime Iesu Christe : velis , quid velis, non dimitto te; et si infirma manu tenebo te. Non recedes à me , donec ab omni contagione peccati absoluas me , & sic carnem tuam quotidie manducantem, & sanguinem tuum bibentem , tuæque voluntati iugiter inhærentem , tua præcepta assiduè facientem, me post mortem carnis perducas ad veram salutem , scilicet ad te verum Sacerdotem, vbi cum aliis Sacerdotibus, tuis videlicet membris, ego quoque tunc non peccator, sed dignus Sacerdos , & dignum membrum corporis tui, te laudem , te glorificem per æterna sæcula. Amen.

X L V I I . *Cum Sacerdos diligenter contemplatur quam misericorditer Redemptor noster naturam nostri limi unde nos fecit, pro nobis suscepit.*

ISVMME Sacerdos , & maior cæteris Sacerdotibus , Domine Iesu Christe , cui adhæret omnis Sacerdos, imò omnis Christianus, qui ambulat coram te in veritate, auribus pietatis tuæ audi vocem meam , & si rectè precor exaudi orationem meam ; non enim volo dulcissime pater aliquid te rogare, quod in rogando, te iustè possit offendere. Et si aliquando

quando inscitia , vel etiam carnali voluntate,
quod sit contra salutem animæ meæ aliquid
te rogare volo , hoc super omnia misericor-
dissime Domine, precor, ne in huiusmodi pe-
titionibus me vñquam velis exaudire. Nosti,
& bene nosti Domine benignissime Deus,
quantis illusionibus , quantis vanitatibus,
quantis carnalium desideriorum voluptati-
bus, quantis secularium cupiditatum, & ecclæ-
siasticarum dignitatum appetitionibus omni
hora, & sine intermissione vulneretur infoelix
animus meus. Et multoties evenit , vt tu ipse
dulcissime Domine perspicis, quia si me per-
mitteres ire secundūm meam malam volun-
tatem , totum meipsum in magnam peccato-
rum voraginem præcipitarem. Propterea te
dulcissime pater rogo, quia scio nimis me esse
peccatorem , & aduersus peccatum nullam
ferè habere virtutem , vt per magnam miseri-
cordiam tuam retineas furorem meum , qui
me trahit ad peccatum , & confundas, & de-
struas omne malum desiderium, quod peruer-
tit omnem rectitudinis in me sensum.

2 Aliquando amator hominum Deus cùm
studiosius cogito mala , quæ multoties feci, &
adhuc miser, & peccator facere nō desisto, ad
memoriam reduco , & diligenter qualiter vi-
uam, qualiter ipsa mala, quæ feci & adhuc fa-
cio plangam , quod Sacerdos dicor , sed offi-
cium Sacerdotis operibus dignis non impleo;
quamuis & de multis aliis , quæ feci multūm
pertimescam, de huius officij dignitate quam

indignus porto, super omnia quæ mihi euenire possunt, valde formido. Est autem huius officij dignitas plusquam æstimari possit magna, & inæstimabiliter Deo, & hominibus cara, si Sacerdos ita viuit sicut ille viuere debet, qui huius officij curam gerit. Porto autem ego nomen huius dignitatis, sed infœlix vita mea ferè in omnibus contradicit malè agendo, huius nominis dignitati. Est enim cor meum immundum, omnes sensus corporis mei immundi, & sic interius, & foris totus immundus non inuenio in toto me aliquid mundum, ubi honestè, & sicut decet possim reponere corpus dominicum.

3 In magnis itaque angustiis constitutus, & quid potissimum mihi sit faciendum nescius, huc, illucque modò hoc, modò illud cogitans, me circumfero, diligenterisque omnem conscientiam meam reuelo, si forte aliquod consilium salubre inuenirem, quod ad salutem animæ mihi esse intelligerem. Omnia ergo quæ erga me geruntur circumspiciens, & ferè nihil, aut parum boni in toto me inneniens, hoc tantillum boni ibi vix animaduerti, si tamen bonum debeat dici, quod bonum ego cum habeo, in alio cum habet diligio, & cum non habeam humiliter me non habere recognosco, quod peccatorem & miserum plusquam aliud quemlibet me esse credo, & tamen de misericordia Dei omnipotentis non despero. Credo enim, quod illi cui cura fuit me cum non essem facere, & ad-
huc

huc cura est , mihi ea quæ ad huius vitæ usum
sunt necessaria pro misericordia sua prouide-
re; cura illi erit pro pietate sua mihi dare ad-
huc aliquod bonum opus facere, vel saltē, si
non ex toto rotum aliquod bonum valeam
inchoare ; & si non ex toto , à malis vel ali-
quantulum cessare.

4 Est enim pius Deus, & misericors, nullo
modo creaturam suam perdere volens , sed
modis omnibus ut ad pietatem suam redeat
misericorditer monens. Quantum verò suam
creaturam diligit, quantum inuitus eam per-
dat in hoc veraciter ostenditur, cùm de cœlo
in terram descendit ; cùm ille , qui sine initio
erat , initium pro amore creature habere vo-
luit , limūmque unde nos fecit pro redem-
ptione nostra assumpsit , & ipsum limum sci-
licet carnem suam , quam pro nobis assum-
psit, postquam per passionem Crucis in ipsius
Crucis ara bene ex coacta est, nobis ad man-
ducandum porrigit , & iphus carnis sanguine
eiusdem Crucis torculari expresso , dum nos
potat , sitim animæ nostræ extinguit. Hanc
autem carnem nostri Redemptoris cùm man-
ducamus , & sanguinem bibimus, cum limo
nostro miscemus, & de hoc quoque empla-
strum facientes, nostrisque infirmitatibus ap-
ponentes , si dignè sumimus, omne protinus,
quod ad damnationis periculum nos per-
trahit , ex interioribus animæ nostræ prò-
iicimus.

5 O immensa Domini nostri Iesu Christi

pietas, ô admiranda, & ineffabilis misericordia. Si aliquis potens homo cum magno comitatu hominum pergens fortè iuxta viam, per quam transiret in aliquo cœno aliquem pauperem immersum videret, qui se per se ipsum nullo modo extrahere posset de illo cœno in quo immersus esset, miseratione motus eundem pauperem per se ipsum de illo cœno extraheret; nulli dubium, quin huiusmodi magna misericordia, magnaque pietatis ab omnibus prædicaretur, magnis laudibus ab omnibus rectum sensum habentibus extolleretur. Et quanto hoc opus misericordia pro paupere, & inope fecisset, tanto plus pius, & misericors omnibus piis, & veraciter Christianis appareret. Quid ergo? quid aestimari debet de magna Domini nostri Iesu Christi pietate, de ineffabili eius misericordia, & charitate, qui cùm ipse sine initio sit, & mortale initium, & mortalitatem sumpsit pro paupere, & ultra modum paupere, & inope, ut illum extraheret de fôrdidissimo cœno peccati, in quo se ipsum immiserat miser, & infelix? Propter hoc miser homo tantam infelicitatem patiebatur, sicutque infeliciter in ipsis voraginibus æternæ perditionis erat immersus; magnis angustiis magnisque doloribus famis, & sitis erat oppressus. Ex una igitur parte intolerabilem fœtorem cœni in quo erat immersus patiens; ex parte altera, qui eius misericordia, & dolori compateretur nullum inueniens, tam ex fœtentia cœno in quo iacebat,

bat, quām ex desperatione consolationis, quām à nullo sperabat, intolerabili dolore affiebatur. Et si diutius differretur, quod ab aliquo misericorde aliquando misericordia ei non impenderetur, iam ab ipsis miseriis æternæ perditionis irreparabiliter moreretur.

6 Venit ergo misericors creator, ineffabilem pietatem habens ad hunc peccatorem in luto peccatorum iacentem; non expolians se indumento gloriæ suæ, induit pannos miseriæ nostræ. Venitque velut mundissimus sol per ipsos fœtores, nullam tamen contaminationem fœtoris patiens, usque ad ipsum misserum peccatorem; cūmque ab ipsis fœtorebus extergens, tenuit per brachium, extraxit in planum. Extractum verò de lacu miseriæ, & de luto fœcis cibauit pane iapientiæ salutaris; & post hæc ipsa sua carne, quam pro eius redemptione susceperebat, & suo sanguine, qui pro remissione peccatorum fusus est, cibauit, & potauit, & sic refocillatum ab ipsis doloribus, quibus tam grauiter vexabatur, mitigauit. Hæc autem caro, quam ei ad manducandum dedit, de natura eiusdem limituit, vnde primum hominem plasmatuit, quem ad imaginem, & similitudinem suam creauit; quam similitudinem, quam ipse homo prius per suam culpam disfigurauit, per carnis suæ comessationem, rectamque fidem ad integrum reformauit: hanc verò carnem, vel huius limi naturam, postquam Christus passus est in Cruce, postquam resurrexit

tertia die , ad cœlos portans , ad dexteram Patris collocauit , eique dominacionem super Angelos , & Archangelos donauit.

7 Ecce limus qui per naturam suam in terra semper adhæret , à Redemptore nostro in cœlo portatus , ipsum cœlum , & omnia , quæ in eo sunt , sub domino suo habet . Ad quem limum nemo fidelis potest , vel poterit ascendere , nisi eum priùs curet in terra salubriter comedere , eiùsque sanguinem bibere . Huius carnis , & sanguinis ego qualiscunque minister , & Sacerdos , dum tantam pietatem , tantæque pietatis dulcedinem Redemptoris nostri erga creaturam iuam conspicio , de eius immensa bonitate non diffido . Succurre ergo Domine Iesu Christe , succurre tuo Sacerdoti , indulge eius peccatis , atque delictis , ut dignè valeam tui corporis , & sanguinis mysterium celebrare , & dignè celebrans , corporis tui , & sanguinis veritatem dignè comedere , & bibere , & sic usque in finem iugiter perseverans , ad te post mortem carnis valeam peruenire ; ubi non per interualla , sicut modò , sed sine intermissione cum Sanctis omnibus te ipsum , qui veritas , & vita es , possum comedere , & bibere .

XL VIII. *Præparatiua, cùm Sacerdos est celebraturus, & qualiter cùm corpus Christi, & sanguinem in manibus tenet, tenensque dulciter recordetur, quos dolores in corde in Cruce pro nobis passus est.*

1 **D**ulcissime, & super omnia desideranda desiderande, & suauissime Iesu Christe, adesto supplicationi meæ, & intende voci orationis meæ, & per tuam magnam misericordiam, emunda ab omni inquinamento peccati animam meam, ut dignus possim accedere ad seruitium tui altaris, dignèque tractare mysterium corporis, & sanguinis tui. Fateor dulcissime Domine coram omnipotentia tua, me nimirū esse culpabilem, & multa mala ferè per singulas horas facientem, & tamen de ineffabili bonitate tua non desperantem. Bonus es tu Domine, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas; ut eas intelligendo, easque sicut decet ingiter operando, mundo corde, mundaque anima possim recipere mysteria tua.

2 Ecce anima mea, præpara hospitium cordis tui ad suscipiendum corpus, & sanguinem creatoris tui mundis cogitationibus, mundisque operibus; expurga ab omnibus interioribus tuis quidquid potest offendere hospitem tam immensæ maiestatis, non enim potest in illa anima, vel in illo corde manere, quam possidet aliqua contaminatio malitiæ;

& nisi ibi summa pax, summāque charitas fuerit, indignum iudicans illud hospitium conuersatione suę mansionis, nec diu ferens tantam inquietudinem perturbationis, ab illo hospitio cito discedit. Væ autem menti illi quam Christus propter suas iniquitates derit, deserēnsque, & damnans, temptationibus, & dolis inimici seduci permittit.

3 Diligenter ergo ô anima mea inspice, diligenter omnes sensus corporis tui ad te ipsam interius recollige; & quidquid in eis sordidum, vel immundum inueneris, foras proiice, expulsāq; omni malitia vel iniquitate diligenter post illas aditū peccatis interclude, ne ad te valeant quandoque redire, vel amplius interiora tua inquinare. Peractis verò omnibus, quæ ad ipsius venerabilis mysterij consecrationem pertinent; expulsisque omnibus, quæ ipsius mentis arcanum maculare solent; ô tu misera anima mea, cum magna diligentia intuere omnes negligentias tuas, omnia mala, & peccata, quæ facere solebas, Et cum ipsius redemptoris tui corpus, & sanguinem in manibus tenes, illius ineffabilem misericordiam, quam dulcius potes exora, ut per suam magnam pietatem omnia peccata tua dimitteat, & ut hæc, vel alia amplius admittere non valeas; hoc ante omnia, & sicut interitum tuum moneo caueas, ne in huiusmodi recordationibus aliquos diaboli laqueos incurras, quos multi incauti sibi incurruunt: qui dum mala sua quasi pro eis

plorantes ante mentis oculos reducunt, per easdem recordationes in ipsorum malorum delectationes insipienter reincidunt.

4 Recordare quam dulcius potes ipsius corporis Christi ineffabilem pietatem, & plusquam æstimari possit admirandam dulcedinem, quod pro redemptione tua multas iniurias sustinuit, & ad ultimum crucifixum sit. Sed & ipsam passionem, quam in cruce pertulit per singulos dolores cogita, & recognoscita; scilicet cum quanto dolore ipsius crucis patibulo, & pedes eius, & manus infixæ sunt; latus eius per militis lanceam transforatum; ab ipsis pro quibus patiebatur, ibi ante crucem quasi malefactor sit illusus, irrisus, & tam horrida opprobria sustinens quasi agnus mansuetissimus inæstimabilem patientiam ostendit. Qui cum facile posset, non se de suis interfectoribus vindicauit, sed patrem, ut hoc peccatum illis dimitteret, orauit. Cum ergo huiusmodi recordationibus quasi satiata requiescere cœperis, nec tamen requiescens hæc dulciter, & cum magno affectu ruminare cessaueris, ad ipsum dulcissimum dulcissimi Domini corpus, quod in manibus tenes, loquere, & quasi cum præsenti loquens, tuas illi necessitates expone. De quo hoc fideliter crede, quod corpus hoc veraciter illud corpus sit, quod de virginen natum est, quod crucifixum est, quod in sepulchro positum est, quod tertia die à mortuis resurrexit, quod ad cœlos ascendit,

5 Nec dubites in illa hora sacrificij corporis, & sanguinis tui Redemptoris, Angelos adesse suo creatori, siueque creatoris carni, & sanguini cum magna reverentia ineffabile obsequium deferre. Quid vero de omnibus Sanctis estimari debet? Quid cogitari potest, cum ipius redemptionis suae pretium in terra celebrari conspiciunt, de cuius aeterna visione latentes, iam magnum gaudium possident in celo? Tu vero anima mea, haec omnia fideliter credens, carnemque tui creatoris dulciter amplectens, in eius amplexibus eius pietati significa tuam necessitatem, & quam dulcissimis potes eius exora pietatem, ut per suam ineffabilem misericordiam, omnem tuam emundet fœditatem. Ingere totam te ipsam in Christum, quem tenes, & ipsum prius adorans, iterum tuas, & iterum representans ingere necessitates.

X L I X. *Sacerdotis ante consecrationem corporis Christi.*

1 **O** Dulcissime Domine Iesu Christe, qui pro mea redemptione crucifixus es, & mortuus, ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. Ecce benignissime Deus coram te est miseria mea, & in manibus meis est misericordia tua; miseria peccatricis animæ meæ, misericordia redemptionis tuæ. Miserere ergo mei

mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, & ab hac hora usque in finem custodi vitam meam. Defende ab omni iniuste animam meam, ut iam amplius agere non valeam unde oculos tuæ maiestatis offendam. Da mihi benignissime Deus, te sicut iubes, & rectum est, super omnia diligere: deinde proximum non minus, quam meipsum, sicut item præcipis, amare. Est enim hoc iustissimum, & omnino rationabile, ut te super omnia, & etiam plusquam nos debeamus diligere; quia tu nos antequam essemus dilexisti, diligens creasti, creatos ad notitiam sanctissimi nominis tui adducere curasti; nos vero neque hoc ipsum, quod te, vel aliquid boni diligimus à nobis ipsis, nisi à te habemus. Proximum vero nostrum & tu nobis sicut nos ipsos recte diligere præcipis, & nos recte diligimus eum sicut præcipis, quia æquali dilectione nos omnes creasti, æquali dilectione pro omnibus passionem suscepisti, æqualiter omnibus vitam æternam præparasti.

3 Da omnibus clementissime Pater, qui fidem rectam habent recte, & sancte vivere, nec inulla omnino re ab his, quæ præcipis deviare: his vero qui nondum in te credunt, antequam de hac vita exeant da fidem, & dilectionem sanctissimi nominis tui suscipere, & susceptam usque in finem rectam, & inuiolatam

Iatam custodire. Sit omnibus viuis, & defunctis sacrificium tui corporis, & sanguinis remissio omnium peccatorum. Viuis quidem, qui recte viuunt, & si nondum recte viuunt, recte quandoque viuere volunt. Defunctis autem, qui per hoc sacrificium se sperant in misericordia tua accipere remissionem suarum iniquitatum, & post hæc peruenire ad gloriam sempiternam, regnumque cœlorum.

4 Credimus Domine Iesu Christe, quod tu idem ipse, qui es filius Dei, es filius Virginis: tu idem ipse, qui in principio eras verbum, & verbum eras apud Deum, & Deus eras verbum, & per quod omnia facta sunt, à Patre ante omnia genitus, in tempore es ex Virgine natus, quamvis altera persona sis quam Pater. Postquam factus es filius virginis & habitasti in nobis; altera natura existens secundum quod filius Dei es, quamvis in duabus naturis una persona Deus, & homo existis: et qualis Patri secundum diuinitatem; minor Patre secundum humanitatem. Quia vero tu idem ipse Deus, qui homo, & qui homo Deus, propterea Sanctissima virgo quæ te portauit, ab omnibus fidelibus *theotocos* prædicatur, & creditur, hoc est mater Dei. Et quia tu non alter filius Dei, alter filius hominis, sed tu idem ipse filius Dei, qui filius hominis, passionem, & mortem pro salute humani generis suscepisti, non in natura deitatis; sed in natura humanitatis, tu idem ipse, non alter pro-

propter distantiam naturæ , sicut nec vna natura existens propter unitatem personæ.

¶ Est adhuc dulcissime Domine Iesu Christe quod de ineffabili charitate , qua nos diligis, cogitare possumus, & debemus, quod nobis misericordia peccatoribus ad indicium tuæ magnæ dilectionis, in hoc mysterio tui corporis, & sanguinis ostendis. Cum aliquis homo alterum hominem sicuti plus potest diligere, præter alia vi dilectionis forsitan potest pro eo mori, ita dilectio exigit, quod tamen raro accidit, ut quis hoc pro suo dilecto velit pati. Quod si vñquam amicus pro amico facit, in magnam admirationem, magnumque stuporem omnis qui hoc audiuit conuertitur. Tu verò dulcissime Domine Iesu non solùm pro amicis; sed & pro inimicis mori voluisti: Et non solùm hoc, sed & istud, quod nullus facere pro amico vult, fecisti, & adhuc facis: videlicet cùm te ipsum, qui pro nobis mortem sustinuisti, das ad manducandum, & bibendum in hoc mysterio tui corporis, & sanguinis: manducamus corpus tuum, & bibimus sanguinem tuum, scilicet nostræ redēptionis pretium. Da mihi ergo Domine Iesu sic castè, & sanctè deinceps tui altaris seruitium facere, ut sic viuendo, sic faciendo, sic carnem tuam manducando, & sanguinem bibendo, post mortem carnis ab omnibus peccatis absoltus, ad te Creatorem meum, & Redemptorem, recto itineri valeam pervenire, ubi te cum omnibus.

San

L.

SACERDOTIS CELEBRATVRI.

Quidam dicunt istam orationem esse Augustini ; quidam verò Ambrosij ; sed apparet melius, quod sit Anselmi, qui eam composuit ex eorum dictis diuersimode collectis, sicut cætera opuscula sua.

I **S**Vmme sacerdos, & vere pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram & immaculatam in ara Crucis pro nobis miseris & peccatoribus, & qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem tuum ad bibendum, & posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens : Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis : Rogo per eundem sanguinem tuum, magnum salutis nostræ pretium : rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, qua nos miseros & indignos sic amare dignatus es, ut lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo : Doce me seruum tuum indignum, quem inter cætera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meriti, sed sola dignatione misericordiæ tuæ : doce me quæso per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium

rium ea reverentia & honore , ea deuotione & timore , quibus oportet & decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere,sentire & firmiter tenere,dicere & cogitare,quod tibi placet,& expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum , qui sonet ibi sine sono , & sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis , & sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia & fida custodia,ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mystérij , & per manum sancti Angeli tui repelle à me , & à cunctis seruis tuis durissimum spiritum superbiæ & cœnodoxiæ, inuidiæ & blasphemiciæ,fornicationis & immundiciæ,dubitatis & diffidentiæ. Confundantur qui nos persequuntur,pereant illi qui nos perdere stitant.

z Rex virginum,& amator castitatis & integratatis, cœlesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis : ut maneat in me tenor castitatis corporis & animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulus, omnésque libidinosas commotiones, & da mihi veram & perpetuā castitatem cum cæteris donis tuis , quæ tibi plæ

placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate & animi puritate istud diuinum & cœleste sacrificium est celebrandum, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi im² summis, terrena diuinis iunguntur, vbi adest sanctorum Angelorum præsentia, vbi tu es sacrificium & sacerdos mirabiliter & ineffabiliter constitutus?

3 Quis dignè hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, & verè scio, & idipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio, & veraciter ex toto corde meo credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, & de peccatoribus iustos & sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali & cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiarum tuarum, & excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

4 Ego enim Domine, memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator,

cator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud quæso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, & pro populo quem acquisisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te & eundem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victimæ salutaris dignatus es esse redemptio. Profero etiam Domine (si digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitus, miseras orphantorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria iuuenium, vota virginum, lamenta viduarum.

5 Tu enim misereris omnium Domine: & nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia: quia tu pater noster es, quia tu Deus noster es; ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis Domine iniquitates nostras, & ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, quod te timeat, diligat & honorificet, te delectetur, te se

sequatur, te perfruatur. Oramus Domine clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem aspicere digneris, & ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius & exaudire digneris.

6 Rogamus etiam te, Domine sancte Mater, & pro spiritibus fidelium defunctorum: ut sis illis salus, sanitas, gaudium & refrigerium, hoc magnum pietatis sacramentum, Domine Deus meus; sit illis hodie magnum & plenum conuiuium de te pane viuo, qui de coelo descendisti, & das vitam mundo, de tua carne sancta & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de sancto & gloriose beatæ virginis Mariæ vetero est assumpta, & de Spiritu sancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanauit: & exinde refecti & satiati, refrigerati & consolati exultent in laude & gloria tua. Peto clementiam tuam Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis, & sanctificatio tuæ diuinitatis. Descendat etiam Domine illa sancti Spiritus tui inuisibilis, incomprehensibilisque maiestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat, & me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mystrium cum cordis puritate, & lacrymarum devotione,

uotione , cum reuerentia & tremore , ita ut
placide ac benignè suspicias sacrificium de
manibus meis ad salutem omnium tam viuo-
rum quam defunctorum.

7 Rogo etiam te Domine , per ipsum sa-
crosanctum mysterium corporis & sanguinis
tui , quo quotidie in Ecclesia tua pascimur &
potamur , abluimur & sanctificamur , atque
vnius summæ diuinitatis participes efficiamur,
da mihi virtutes tuas sanctas , quibus reple-
tus , bona conscientia ad altare tuum acce-
dam , ita ut hæc cœlestia sacramenta effician-
tur mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore
tuo sancto & benedicto : panis quem ego
dabo , caro mea est pro mundi vita. Ego sum
panis viuus , qui de cœlo descendit. Si quis
manducauerit ex hoc pane , viuet in æter-
num. Panis dulcissime , sana palatum cordis
mei , ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana
illud ab omni languore , ut nullam præter te
sentiam dulcedinem. Panis candidissime , ha-
bens omne delectamentum , & omnem sapo-
rem , qui nos semper reficis , & nunquam in te
deficis : comedat te cor meum , & dulcedine
saporis tui repleantur viscera animæ meæ.
Mandueat te Angelus ore pleno , manducet
te peregrinus homo pro modulo suo , ne de-
ficere possit in via , tali recreatus viatico. Pa-
nis sancte , panis viue , panis monde , qui de-
scendisti de cœlo , & das vitam mundo , veni
in cor meum , & munda me ab omni inqui-
bamento carnis & spiritus. Intra in animam
meam ,

Meditatio S. Anselmi,
 meam, sana & munda me interius & exterius.
 Esto tutamen, & continua salus animæ &
 corporis mei. Repelle à me insidiantes mihi
 hostes: recedant procul à præsentia poten-
 tiæ tuz, ut foris & intus per te munitus, recto
 tramite ad tuum regnum perueniam, ubi non
 in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed
 facie ad faciem te videbimus, cùm tradideris
 regnum Deo & Patri, & erit Deus omnia in
 omnibus. Tunc enim me de te satiabis satie-
 tate mirifica, ita ut nec esuriam, nec fitiam in
 æternum. Qui cum eodem Deo Patre, &
 Spiritu sancto viuis & regnas per omnia sa-
 cula sæculorum. Amen.

L I. *Humilis confessio peccatoris, &*
indigni laude.

I **G**nosce Domine, ignosce pie, ignosce &
 miserere, parce ignorantiae meæ, & mul-
 tæ imperfectioni meæ. Noli me tanquam te-
 merarium reprobare, quod audeam seruus,
 utinam vel bonus, & non etiam inutilis &
 malus, & ideo valde malus, quia te omnipot-
 entem Deum nostrum terribilem, & nimis
 metuendum sine cordis contritione & lacry-
 marum fonte, sine reverentia debita & tre-
 more, laudo, benedico, atque adoro. Si enim
 Angeli te adorantes & laudantes tremunt
 mira exultatione repleti: ego peccator dum
 tibi assisto, laudes dico, sacrificium offero, cur
 non corde paucō, vultu palleo, labiis tremo,

toto corpore inhorresco, sicque obortis lacrymis coram te indefinenter lugeo? Volo, sed non valeo, quia nequeo quod desidero. Hinc enim mecum vehementer admiror, dum te nimis terribilem oculis fidei cerno.

2 Sed quis hoc sine ope gratiæ tuæ? Vniversa enim salus nostra magna misericordia tua. Miserum me, quomodo sic insensata facta est anima mea, vt non terreatur terrore nimio, dum stat ante Deum, & suas illi laudes decantat? Miserum me, quomodo sic induruit cor meum, vt oculi mei indefinenter non producant flumina lacrymarum, dum conservus sermocinatur coram Domino suo, homo cum Deo, creatura cum creatore, qui factus est ex limo, cum eo qui omnia fecit ex nihilo? Ecce Domine pono me ante te, & quid in secretis de me sentio, fraternalis auribus non taceo. Tu diues in misericordia, & largus in præmiis, da mihi de bonis tuis, vt ex eis seruiam tibi. Non enim aliunde possumus tibi seruire, neque placere nisi de tuo munere.

3 Confige quæso timore tuo carnes meas, lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Utinam sic te timeret peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus qui dixit: semper enim quasi tumentes super me fluctus tumui Deum. Dator enim omnium bonorum Deus, da mihi inter laudes tuas fontem lacrymarum simul cum cordis puritate & mentis iubilatione, vt perfectè te diligens, & dignè te laudans,

dans, ipso cordis palato sentiam, gustem, &
sapiam, quam dulcis & suavis es Domine, si-
cūt scriptum est: Gustate & videte, quoniam
sua vis est Dominus. Beatus vir qui sperat in
eo. Beatus populus qui scit iubilationem,
beatus vir cuius est auxilium abs te, ascen-
siones in corde suo disposuit, in valle lacry-
marum, in loco quem posuit. Beati mundo
corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati
qui habitant in domo tua Domine, in sæcula
sæculorum laudabunt te.

L II. *Pro Sacerdote, qui habet
celebrare.*

Impellit me Domine Deus ministrandi offi-
ciūm, hostias salutares offerre pro populi
delicto. Terret conscientia indebiti Sacer-
dotij pro reatu proprio. Si à me omnium Sa-
cerdotum peripsemate sacrificium offeratur,
pollutæ conscientiæ crimen augetur; si tamen
maiestati vniuersæ carnis Iudicis non offertur,
negligentiæ reatus adscribitur. Inter hæc tuæ
omnipotens Deus libramen pietatis implo-
ro; cuius diem ultionis accusante consciencie
pertimesco, ne indignum misericordia tua
iudices, quem à tempore pœnitentiae non ex-
cludis. Suspende Domine securim, donec
cultor vineæ Spiritus sanctus admoueat co-
phinum stercoris ad radicem infructuosa ar-
boris. Parce mihi Domine, parce clementissime,
qui Davidem post lapsum clementer ad
veniam

veniam reuocasti; qui Petri misericors, amarè flentis lacrymas respexisti; qui latronem tanti facinoris reum diuina gratia illustrasti, cui mox obtinuit confessio perspicere Dei filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudium sempiternum: dum confessor in cruce, possessor paradisi extitit post crucem. Sed quia verba venia pietatis tuæ indigent, quæ indigni Sacerdotis opera non commendant, saltem astantium vota suscipe, ut & mihi suis apud te precibus veniam, & eorum meritis sacrificia nostrorum vulnerum salubriter nobis conferant medicinam. Et quia omnipotens Deus pro nobis omnibus factus es hostia pro peccatis, ad sis nobis satisfactio in sacrificio pro delictis, qui viuis, & regnas, &c.

L III. *Pro Sacerdote celebraturo.*

Conscientia quidem trepidus omnipo-tens Deus ad altare tuum accedo, sed ad fiduciam de tuæ pietatis misericordia re-tineor. Et licet ad celebranda tibi sacrificia, semper inueniar indignus, tamen si recedo, vereor de inobedientia condemnari. Pro qua-re dignare me piissime pater paterna pietate, ac placato vultu respicere, & cordis mei in-terim ora purgare. Et si ego pondere pec-catorum meorum, ac reatu constringor, mearum tamen precum obtentu, tibi sint quæso Domine in omnibus placita myste-

Y ria

L I V. *Ad idem faciendum.*

COnscientia culpabilis, vita trepidus, &
Anxius, criminum funibus captiuatus, te
vnicum refugium & singulare remedium mi-
serorum, deprecor Domine, ut mei indigni Sa-
cerdotis tui miserearis, mihiq[ue] indulgeas,
quod illud Sacramentum salutare, Angelis, &
Archangelis, & omnibus sublimitatibus tre-
mendum, & adorandum, sceleratis labiis con-
secrare, ac profanatis manibus præsumo at-
trectare: sed dum accedo per me, fateor Do-
mine, præsumo de te, memor malorum meo-
rum, & tuorum quæ à seculo sunt bonorum.
Adhuc Domine te rogare præsumo, ut non
sit mihi sacrosanctum sacrificium tuum ad
iudicium, neque ad condemnationem; sed
potius ad liberationem peccatorum, & an-
gustiarum mearum, & ad perennem animæ
meæ salvationem. Id ipsum Domine Deus
supplicans repeto, non elata, ut ipse conspi-
cis, præsumptione, sed prona, & pauida præ-
sumptione, quia miser, & immundus carnis
tuæ sanctæ, & pretiosi sanguinis tui Sacra-
mentum immundis manibus consecrare au-
deo. Supplex exoro, & obsecro Domine mi-
nisterium tuum respice, & misero mihi mini-
stro miserere, sacrificatorem purifica, & sacri-
ficium sanctifica. Deus Pater, audi me; quic-
quid

quid est in me contra me clementer aufer à me; apta me tuo sancto seruitio, ac ministrum idoneum tibi me perfice, & annue, ut quæ tibi placita sunt, inter hæc sancta mysteria postulem, & quæcumque postulo tua Domine benignissima, quæso, misericordia percipiam. Tibi honor, tibi gloria in sœcula sœculorum. Amen.

L V. *Ad idem faciendum.*

SI tantum Domine reatum nostræ delinquentiæ cogitamus, deputatum obseruationis ministerium non implemus: graue est enim, quod ad mensam tuam mundo corde, & innocentibus manibus non venimus; sed grauius est, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus. Liceat igitur pro inobedientia assistere, pro indulgentia petere, pro officio ministrare, pro remedio immolare, pro populo obsecrare. Quæso ergo conforta in me quod trepidat; cura quod tardet, reconcilia quod discordat; euacua quod corruptit; humilia quod superbit. Sit pia iustitia clemens correctio, nunquam absolvere peccatorem, imò reconciliet poenitentem. Da in salutem disciplinam, non in mortem sententiam: exaudi peccatoris precem, qui visitas in dolore gementem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

L V I. *Ante perceptionem corporis, & sanguinis Christi.*

Domine Iesu Christe, qui Patre disponente, Spiritu sancto cooperante, per mortem tuam spontanea voluntate misericorditer à peccato, & morte aeterna mundum redemisti, adoro, & veneror, eo quo possum, quamuis tepido affectu, & humili deuotione, gratias agens tanto beneficio, sanctum corpus & sanguinem tuum, quæ ad emundationem, & defensionem à peccatis, accipere desidero. Confiteor Domine, quia nimis sum peccator, & indignus ad eorum tactum accedere. Sed confidens de illa clementia, qua pro peccatoribus, ut iusti fierent, animam tuam ponens, eam dedisti, & pia hostia patri mactari volui-sti; illa presumo, licet peccator, ut per illa iu-
stificer, accipere.

Supplex ergo te pie miserator hominum obsecro, ut quæ ad delendum peccata dedisti, non mihi sint ad peccatorum augmentum, sed ad indulgentiam, & tuitionem. Fac me Domine ita ea ore, & corde percipere, atque fide, & affectu sentire, ut per eorum virtutem sic merear complantari similitudini mortis, & resurrectionis tue per veteris hominis mortificationem & nouitatem iustæ vite, ut dignus sim corpori tuo, quod est Ecclesia, incorporari; & sim membrum tuum, & tu caput nuncum, & maneam in te, & tu in me, quatenus

renus in resurrectione reformes corpus humilitatis meæ configutatum corpori claritatis tuæ secundum promissionem Apostoli tui, & in te in æternum gaudeam de gloria tua, qui cum Patre & Spiritu sancto, &c.

L. VII. *Ante perceptionem corporis Christi.*

Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti, adoro, & veneror hoc sanctum corpus tuum, & hunc sanguinem tuum, quod est traditum, & qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum: deprecörque clementiam tuam, misericordissime Domine, per horum virtutem, fac me unum de illis multis, & fac me hoc sentire sic per fidem, & affectum, ut sentiam ea per salutis effectum. Et absolue, & libera seruos, & ancillas tuas, me, & omnes, qui mihi confessi sunt peccata sua, & pro quibus promisi, vel obnoxius sum exorare, & qui se sperant, vel petunt meis orationibus apud te iuuari, ab omni peccato, & poena peccati; & fac Ecclesiam tua continua protectione & consolatione ixtari.

L V I I I . *Pro virtutibus augendis*
Capitulum.

Domine Deus meus , da cordi meo te desiderare,desiderando quærere,quærendo inuenire , inueniendo amare, amando mala mea redimere , redempta non iterare. Da Domine Deus meus cordi meo pœnitentiam,spiritui contritionem , oculis lacrymarum fontem,manibus eleemosynæ largitione. Rex meus extingue in me desideria carnis , & accende vim tui amoris , Redemptor meus expelle à me spiritum superbiæ , & concede mihi propitius thesaurum humilitatis tuæ. Saluator meus amoue à me furorem iræ , & indulge mihi benignus frænum patientiæ. Creator meus euelle à me animi rancorem,& largire mihi mentis mitis dulcedinem. Da elementissime Pater solidam mihi fidem,spem congruam,charitatem continuâ. Rector meus auerte à me corporis vanitatem , mentis inconstantiam, cordis vagationem,oris scurrilitatem , oculoram elationem , ventris ingluviem, opprobrium proximorum , scelera detractionum , curiositatis pruriginem, diuitiarum cupiditatem, potentatum rapinam,inanis gloriae appetitum, hypocrisy malum,adulationis venenum, contemptum inopum, oppressionem debilium , auaritiae ardorem, inuidiae rubiginem , blasphemiae mortem. Reseca in me factor meus temeritatem, iniquam per

pertinaciam, inquietudinem, ociositatem, somnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis cætitatem, sensus obstinationem, morum truulentiam, boni obedientiam, consilij repugnationem, linguae refrænationem, pauperum prædam, impotentium violentiam, innocentum calumniam, subditorum negligentiam, Prælatorum mordacem reprehensionem, circa infirmos severitatem, aduersus familiares impietatem, erga proximos duritiam. Deus meus, misericordia mea, oro per dulcissimum filium tuum, da mihi misericordiæ operam, pietatis studia, compati afflictis, subuenire egenis, succurrere miseris, consulere erroneis, consolari mæstos, releuare oppresos, pauperes recreare, flebiles refouere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem despicere, sed honorare, bonos imitari, malos cauere, virtutes amplecti, vitia reicere, in aduersis patientiam, in prosperis continentiam, custodiam oris, & ostium circumstantiæ labiis meis, terrena calcare, cœlestia sitire. Ecce plasmator meus multa rogaui, cum nec pauca promerui, fateor heu fateor, non solum quæ postulauero non dentur bona, sed multa mihi dentur, & exquisita supplicia, animant verò publicani, meretrices, & latrones, qui à fauibus hostis momentaneæ cruci finibus suscipiuntur pastoris. Tu enim omnium Deus factor, licet in cunctis tuis sis operibus mirabilis, mirabilior tamen

mibi in visceribus crederis pietatis, vnde per temetipsum per quemdam dixisti seruum tuum: Miserationes eius, sunt omnia opera eius. Et quasi de singulo loquens, de vniuerso populo tuo dixisti: Considerent misericordiam meam, non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, nullum abiicis, neminem perhorrescis, nisi qui forte amens te exhorruit. Ergo non modò iratus non percutis, sed te irritantibus dona si quæsuerint tribuis.

2 Deus meus, Deus meus, cornu salutis meæ, & succèptor meus, ego infelix peccavi, & te irritavi, ego malum coram te feci, furem tuum prouocaui, iram merui, peccavi, & passus es, deliqui & adhuc sustines, si patnito, parcis, si reuestor, suscipis; Insuper dum differo præstolaris, renucas errantem, inuitas repugnantes, excitas torpem, amplecteris redeuntem, ignorantem doces, mœrentem mulces, à ruina suscitas, post lapsum reparas, petenti largiris, quærenti inueniris, pulsanti aperis. Ecce Domine Deus salutis meæ, quid opponam nescio, quidue respondeam ignoro, nullum confugium, nullum à te patet latibulum. Ostendisti bene viueendi viam, dedisti grata scientiam; minatus es mihi gehennam, pollicitus es Paradisi gloriam. Nunc pater misericordiarum & Deus totius consolationis confige timore tuo carnes meas, quantum, quæ minaris, metuendo euadam, & rede mihi propitius lætitia salutaris tui, vt quæ spondes, diligendo participem. Fortitudo

mea Domine, Domine, firmamentum meum
Deus, & refugium meum, & liberator meus:
suggere Domine, quæ de te cogitè, doce qui-
bus omnibus te sermonibus inuocem, da qui-
bus operibus placeam, scio namque vnum,
quo placaris, & adde, quod non spernis. Est
vbique tibi spiritus contribulatus sacrificiū,
& acceptas cor contritum, & humiliatum.
His me Deus meus, adiutor meus, dita mune-
ribus, his contra inimicum munī perfectio-
nibus. Hoc de flammis vitiorum p̄sta re-
frigerium; hoc desidium pande passionibus,
pius refugiū. Fac Domine virtus salutis meæ,
ne sim de eorum cœtu qui credunt prosperi-
tati tempore, & tentationis recedunt tépore:
obumbra caput meum in die belli ergo spes
mea in dñe afflictionis, & salus in tempore
tribulationis. Ah Domine illuminatio mea,
& salus mea rogaui quibus egeo, intimauī
quæ timeo, sed remordet conscientia, repre-
hendunt me cordis secreta. Et quod amor
ministrat, timor dissipat, zelus incitat, metus
increpat, adducit vita mala formidinem, sed
ingerit pietas fiduciam, tua hortatur beni-
gnitas, mea dehortatur malignitas, & vt ve-
rius fatear occurruit memorie phantasma
vitiorum, quæ verberat audaciam p̄sumen-
tium animorum. Cum enim odio quis di-
gnus sit nescit, qua fronte gratiam requiri? Et
cum poena debetur, qua temeritate gloria
poscitur? lacepsit iudicem, qui postposita satis-
factione delicti; querit p̄miis honorari re-

gum; subeat obnoxius suppicio, qui flagitat donari indebet brauium. Et dulcem patris affectum stultus exacerbat filius, qui post illatas contumelias ante pœnitudinem hæreditatis usurpat celsitudinem. Quid mi Pater egisile me recolo, merui mortem, & peto vitam; commoui Regem meum, cuius impudens nunc inuoco præsidium; contempti iudicem, quem temerè postulo adiutorem. Insolens renui audire patrem, quem demum præsumo tutorem. Heu quam ferò venio, heu quam tardè festino! heu me quia curro post vulnera, designatus incolumis præcauere iacula, neglexi prospicere tela, modò sollicitor de morte vicina, vulneribus vulnera infixi, quia sclera addere sceleribus non timui; recenti cicatrices rabe respersi, quia prisca flagitia modernis inquisitionibus reciprocaui, & quæ diuina solidauerat medicina, mea redoluit prurigo frenetica. Cutis, quæ superducta vulneribus morbum reliquerat sanie irrumpente putruit, quia iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit. Noui quippe scriptum, in quacumque die iustus peccauerit, omnes iustitiae eius obliuiscetur. Si iustitia aboletur iusti ruentis, quanto magis peccatoris pœnitentia in id ipsum reuertentis? Quoties velut canis redij ad vomitum, & quasi sus repeti; volutabrum. Fateri mili itaque & recordari impossibile est, quot mortalium peccare ignorantibus docui, nolentibus delinquere persuasi, resistentes coëgi,

volentibus consensi, quot sanè gradientes in
 laqueum induxi; viam quærentibus, foueam
 retexi, mala patrare non horruī, obliuisci non
 metui? Sed tu iuste Iudex, signasti quasi
 in sacculo pecuniam, peccata mea, & obserua-
 sti omnes semitas meas, & cunctos gressus
 meos dinumerasti. Tacuisti, semper siluisti,
 patiens fuisti. Væ mihi, demum loqueris quasi
 parturiens, Deus Deorum Domine præstabilis
 super malitia; noui quia manifestè venies,
 noui quia non supersilebis, cum in conspectu
 tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo in-
 gruerit valida. Cum aduocaris Cœlum de-
 orsum, & terram tuum discernere populum.
 Ecce tot millibus populorum nudabuntur
 omnes iniquitates meæ, tot agminibus pate-
 bunt vniuersa scelera mea, non solam actuam
 sed etiam cogitationum, simûlque locutio-
 num. Tot indicibus inops astabo, quotquot
 me præcesserunt in opere bono; tot arguenti-
 bus confundar, quotquot mihi sancta præ-
 buerunt viuendi exempla; tot conuincar te-
 stibus, quot me monuerunt proficuis sermoni-
 bus, seque imitandos iustis dederunt actioni-
 bus. Domine mi, non suppetit quid dicam,
 non occurrit quid respondeam; ecce iam illi
 intersunt discrimini, torquet me conscientia,
 cruciant cordis arcana, coarctat auaritia, ac-
 culat superbia, consumit inuidia, inflamat
 concupiscentia, incæstat luxuria, dehonestat
 gula, confutat ebrietas, detractio lacerat, am-
 bitio supplantat, rapacitas obiurgat, discordia

dissipat, ira perturbat, leuitas deiicit, corpori opprimit, hypocrisis fallit, adulatio fingit, fauor tollit, calumnia pungit. Ecce liberator meus de gentibus iracundis. Ecce cum quibus vixi à diebus iuuentutis meæ, quibus studui, quibus fidem seruaui, ipsa me, quæ dilexeram studia, damnant, quæ laudaueram, vituperant. Hi sunt quibus acquieci amici, quibus parui Magistri, quibus seruui Domini; consules, quibus credidi, ciues quibus cohereraui.

3 Heu mihi Rex meus, & Deus meus, quia incolatus meus prolongatus est. Væ mihi illuminatio mea, quia hæreditaui cum hæreditantibus Cedar, multum incola fuit anima mea, & cum Sanctus dixerit multum, quanto magis infoelix dicere possum, nimis incola fuit anima mea firmamentum meum, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, spes mea non est in filiis hominum, quem si remota pietate iudicaueris iustum inuenias, & nisi præueneris miserando impium, non erit quod glorifices pium. Credo namque salus mea quod audiui, quoniam benignitas tua me ad pœnitentiam adducet. Tarris fortitudinis, sonuerunt mihi nectarea labia tua, nemo potest venire ad me, nisi pater qui misericordia traxerit illum. Enim uero quia instruxisti, tantaque propitius institutione formasti, totis medullis cordis, toto annisu mentis, te omnipotens pater, cum dilectissimo puero, & que dulcissima proles cum serenissimo Par-

racito.

raclito deprecor, trahe me post te, currere in odorem tuorum delector vnguentorum.

4 Quām magna Domine Deus meus multitudo dulcedinis tux, quam abscondisti timentibus te, abscondisti quia conseruasti, non quia abscondisti abstulisti, cum ea magis multiplicasti. Solet aliquando quod absconditur diligentius inuestigari, & inuenientum ardentijs amari, delata in te non minuuntur, sed magis crescunt desideria; non est ergo tuus amor transitorius, sed æternus; qui te diligunt, non repescunt, sed feruescunt. Non est amor tuus ociosus, memoria tua super mel dulcis, meditatio de te plus quām cibus suavis, de te loqui plena est refectio, te nosse perfecta consolatio, tibi adhærere vita æterna, à te separari mors perpetua. Fons viuus ijs qui te sitiunt, esca indeficiens iis qui te esoriunt, gloria te quærentibus, gaudium inuenientibus, odor tuus suscitat mortuos, respectus curat ægrotos, lux tua omnem fugat caliginem, visitatio cunctam repellit tristitiam. Nullus apud temeror, procul à te omnis dolor, nulla tecum mœstitia, nulla indigentia, nullavbi tu necessitas, nulli boni inest difficultas, nunquam ibi tenebræ nec terror nominatur gehennæ, nullius noctis terra cæcitas, nec tumultus improbitas, nunquam famis, sitisque inopia, frigoris, nec æstus circa te moratur penuria, non inualitudo corporis, prorsus nec corruptio mentis, nec zelus, nec contemptio, omnino nec ambitio. Abest illinc sollicitudo fa-

mis.

mis & cura mortis, labor senectutis, languor
ægritudinis, ibi nescitur passio aëris, & varie-
tas temporis. Hæc est enim magna multitu-
do tua Domine, quam abscondisti timentibus
te, sed perfecisti sperantibus in te: O quam
bona absconsio, quæ officitur perfectio; non
hæc absconsio æstimatur perditio, sed magis
conseruatio quæ fit perfectio. O gloriose
Rex, quam vera iudicia tua; iustificata in se-
metipsa. Verè desiderabilia super aurum, &
lapidem pretiosum multum, viisque & dul-
ciora super mel & fauum. O vita mea Deus
meus, rogo te per nomen Redemptoris mei
dilecti filij tui, largire propitius, ut custodiam
ea, cognoui namque, quia in custodiendis il-
lis est retributio multa. O vita mea Deus
meus, rogo te per nomen Redéptoris mei di-
lecti filij tui, gloria mea, Deus meus, abscondis
thesaurum tuum, vt incites cupidum; recon-
dis margaritam, vt augeas quærentis amorem;
differs dare, vt doceas petere; dissimulas audi-
re petentem, vt facias perseverantem: Po-
stremò incipientibus quærere permittis, &
non nisi verè perseverantibus salutem tribuis.
Quod planè indicat illa flebilis, quæ tuum in
sepulchro Christum inter mortuos quærebat
viuum, durantibus adhuc tenebris, quasi ac-
cenderas vt quæreret, sed quærenti dispare-
bas vt perseveraret, perseverauit sperans, &
sperauit perseverans, & quia in spe perseverauit,
videre te meruit. O beata visio, & plena
exultatio! o sumnum gaudium, & consumma-
tum.

tum desiderium, ô desiderabilis vultus, & iocundus aspectus, ô beata spes, & fœlix perseverantia! Nisi enim sperarem, non perseverarem, & nisi perseverarem spei fructum non perciperem. Sic enim Deus meus, & misericordia mea absconderis timentibus te, ut inueniaris sperantibus in te; sic elongas te à querentibus, ut appropinques perseverantibus. Qui elongant se à te prohibentur, qui autem expectant te, non confundentur, qui timent te, sperant in te, quoniam adiutor, & protector eorum es, per timorem peruenitur ad amorem. Timendus es, ut Dominus amandus ut Pater, timor tuus sanctus permabet, quia sanctos permanere facit, quos possidet. Nihil deest timentibus te, quia oculi tui super eos, & aures tuæ ad preces eorum. Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus, sic timorem mihi adhibe, ut amorem subinferas, sic ingeras metum, ut tui augeas desiderium. Sicque me partipem timentium te constituas, ut & custodientium mandata tua facias, quod per timoris seruitutem, ad amoris merear pertingere gratiam.

5 Inuoco te Deus meus, inuoco te, quia prope es omnibus inuocantibus te, sed inuocantis in veritate. Tu enim veritas es. Docce me quæso clementiam tuam sancta veritas te inuocare: quia hoc timore quomodo oporteat nescio, sed à te doceri beata veritas humiliter imploro, absque te sapere dissipere est,

320 *Meditatio S. Anselmi;*
est, teque noscere perfectum est scire. Erudi-
me ô diuina sapientia, & doce me in legem-
tuam. Credo sicut, quod quem tu erudiueris
beatus, & de lege tua docueris eum. Desidero
inuocare te, quod quero, ut in veritate fiat.
Quid est in virtute inuocare virtutem, nisi in
filio patrem? Ergo sancte Pater sermo tuus
veritas est, principium verborum tuorum ve-
ritas. Hoc quippe est verborum tuorum prin-
cipium, quod in principio erat verbum; In
ipso principio te sumimum adoro principium,
in ipso veritatis verbo perfecta, quod ipsa
tandem dirigas me in veritate & doceas.
Quid enim dulcius quam genitorem in no-
mine unigeniti exorare, patrem recordatione
filij ad pietatem flectere, Regem carissimæ so-
bolis denominatione mitigare. Sic rei solent
carceribus eripi, sic mancipati vinculis libe-
rari, sic tristem capit is excipiens senten-
tiā, non solum vitam, sed miser nancisci fo-
litam gratiam, dummodo iratus precibus di-
lecta prolis intimauerit caritatem; sic delin-
quentes seruuli euadunt supplicium Domi-
norū, dum pro eis interuenit dulcedo filio-
rum. Sic te omnipotens pater per filij omni-
potentis postulo caritatem, educ de carcere
animam meam ad confitendum nomini tuo,
libera me à vinculis peccatorum, per eoꝝter-
num flagito unicum tibi natum, meque cui
propria merita lethalem minantur senten-
tiā, preciosissimè ad dexteram tuam confe-
dentis prolis interpellatione restaura ad vi-
tam.

tam. Quem enim alium dirigam intercessorem tibi nescio, nisi hunc, qui est pro peccatis nostris propitiatio, qui sedet ad dexteram tuam, qui communis sibi gloria pietatem tuam interpellat pro nobis. Ecce Adiutorius meus apud te Dominum, & Patrem. Ecce Pontifex summus, qui non alieno indiget expiari sanguine, quia proprio fulget profusus cruento. Ecce hostia sancta, & beneplacens, & perfecta in odore suavitatis & oblationis, & accepta. Ecce Agnus sine macula, qui se coram condentibus obmutuit, qui alapis cælus, spulis illitus, opprobriis affectus os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata mea pertulit, & languores meos suo liuore lanauit. Aspice pie pater piissimum filium pro me tam impia passum, respice clementissime Rex eum qui patitur. Nonne hic est Domine mi innocentis ille, quem ut seruum redimeres filium tradidisti. Nunquid non auctor vitae hic est? qui ut quis ad occidendum ductus, ibique obediens usque ad mortem factus, atrocis non timuit mortis subire genus. Recole totius salutis dispositor, quia hic ipse est, quem tua virtute genuisti, & meum tamen infirmitatis fieri participem voluisti. Vere hic est tua deitas, quæ meam induita naturam crucis ascendit patibulum quæ in assumpta carne triste tulit supplicium.

6 Reduc Deus meus oculos maiestatis, super opus ineffabilis pietatis intuere dulcem natum toto corpore extensem, cerne manus

nus innocuas, pio manantes sanguine. Remitte placatus scelerā, quæ patrauerunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli fossum cuspide, & renoua me sacrosancto fonte illo, in quem multum fluxisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed superambulauerunt in lege tua, diris confixa clavis, & perfice gressus meos in semitis tuis, fac me odio habere omnem viam iniquitatis, viam iniquitatis misericors amoue à me, facque me viam virtutis eligere. Oro te Rex sæculorum per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu vniuersi, qui mea non horruit carne vestiri. Nunquid non attendis pie pater adolescentis filij sanctissimum caput niuea ceruice deflexa preciosa resolutum in morte. Aspice mitissime dilecta sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, protensa rigent brachia, pendent crura marmorea, rigat tenebratos pedes unigeniti sanguinis vnda; specta gloriose genitor gratissimæ prolis lacerata membra, & mœrore benignius quæ mea est substantia. Conspicare Dei hominis poenitentiam, releua conditi hominis miseriam, vide redemptoris supplicium, & remitteredempti delictum. Hic est Dominus mihi, quem propter peccata populi percussisti, licet ipse sit dilectus, in quo bene

ubi

tibi complacuisti. Hic est ille innocens, in quo dolus invenitus non est, & tamen cum iniquis deputatus est.

6 Quid commisisti dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti amantissime iuuenis, ut adeo male tractareris. Quod scelus tuum, quæ noxia tua, quæ carisa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpe occisio, ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ passionis liuor, tui cruciatuſ labor.

7 O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispositio! peccat iniquus, & punitur iustus; delinquit reus, & vapulatur innocens; offendit impius, damnatur pius; quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetravit seruus, exsoluit Dominus; quod committit homo, sustinet Deus.

8 Quò nate Dei, quò tua descendit humilitas, quò tua fragravit caritas, quò præcessit pietas, quò excreuit benignitas, quò tuus attigit amor? quò peruenit compassio? ego enim iniquè egī, tu pœna multataris, ego facinus admissi, tu vltione plecteris, ego crimen edidi, tu torturæ subiiceris, ego superbiui, tu humiliaris, ego tumui, tu attenuaris, ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis, ego gulæ parui, tu inedia afficeris; me ad illicitum rapuit concupiscentia ardorem, te perfecta caritas duxit ad Crucem, ego præsumpsi vetitum, tu subisti equuleum, ego delector

514 *Meditatio S. Anselmi,*
lector cibo, tu laboras patibulo, ego fruor de-
licijs, tu laniaris clavis, ego pomi dulcedi-
nem, tu fellis gustas amaritudinem, mihi rea-
ridens congaudet Eva, tibi pie plorans com-
patitur Maria. Ecce Rex gloriose; ecce mea
impietas, & tua claret pietas. En mea in-
iustitia? & tua liquet iustitia.

Divisio:

Quid Rex natus, & Deus meus, quid ren-
buam tibi pro omnibus quæ retribuisti
mihi, non enim inueniri in corde potest ho-
minis, quod indignè talibus referatur præ-
miss? Numquid sagacitas machinari valet hu-
mana, cui comparetur miseratio diuina? Nec
est creaturæ moliri officium, quo iuste Crea-
toris recompenset præsidium.

Alia divisio.

Est autem, Nare Dei, in hac tua materiali
dispositione, est cui mea fragilitas in ali-
quo suppeditet, si tua visione compuncta
mens carnem suam crucifigat cum vitiis, &
concupiscentiis, tot si à te conceditur, quasi
jam tibi incipit iuuare, quia & tu pro peccatis
eius dignatus es mori. Sicque per interiorem
victoram te duce arbitror ad exteriorem pal-
mam, quam deuicta persecutione spirituali;
non vereatur pro amore tuo subiici gladio
materiali. Ita exiguitas conditionis, si tuæ
pla-

placeat pietati , magnitudini valebit respon-
dere conditoris , & hoc cœlestis medicinæ
bone Iesu , hoc tui antidotum amoris. Oro
te per antiquas misericordias tuas infundere
vulneribus meis, ut reiecta vipere & contagio-
nis labo, reintegret me in columitati pristinæ,
quo gustato tuę nectar suavitatis , faciat ille
cebrofa mundi prospera toto affectu despice-
re, & nostra eius pro te aduersa formidare, me-
mōrque perpetuæ nobilitatis , semper fasti-
diam venena huius transitorij tumoris. Ni-
hil quæso sine te mihi dulcescat , nihil com-
placeat, nil preciosum, nil præter te mihi arri-
deat speciosum. Vilescant obsecro abs te mi-
hi omnia, sordeant vniuersa. Quod tibi ad-
uersum est, mihi molestum sit , & beneplaci-
tum indeficiens desiderium. Tedeat me gau-
dere sine te, & delecter tristari pro te. Sit
nomen tuum mihi refocillatio , & memoria
eua mea consolatio : fiant mihi lacrymæ meæ
panes die ac nocte, tuas inuestigando iustifi-
cationes. Sit bonum mihi lex oris tui super
mille auri, & argenti, sit obedire tibi amabile,
sit resistere execrable. Rogo te spes mea
per omnes pietates tuas, ut propitieris omni-
bus iniquitatibus meis. Adaperi aures meas
mandatis tuis , & ne declines flagito per no-
taen tuum sanctum in vitium malitiæ cor
meum, ad excusandas excusationes in pecca-
tis. Peto etiam per admirabilem humilitatem
tuam ne veniat in me pes superbiz, & manus
peccatoris non moueat me.

Divisio.

Dinisio.

Ecce omnipotens pater Domini nostri Iesu Christi, dispone benignus quomodo mihi miserearis, quoniam quidquid carius reperi dupliciter praesentavi. Nihil mihi reliqui, quin tuæ exposuerim maiestati. Nil iam superest quod adiiciam, quia totam tibi delegavi spei meam; direxi tibi aduocatum meum tuum dilectum filium, misi gloriosam progeniem inter te, & me mediatorem, misi inquam intercessorem per quem confido veniam, misi verbis, quia pro meis dixi missum factis.

Dinista.

ENumeraui sanctissime tibi sobolis mortem, quam pro me credo fuisse perpeccam, credo à te missam deitatem meam suscepisse humanitatem, in qua dignum duxit vincula, alapas, sputa, irrisione &cque perferre, nec non crucem, clauos cœlumque suscipere. Hanc olim infantiae vagitibus demolitam, pueritiae pannis astrictam, iuuentutis sudoribus vexatam, ieunijs maceratam, vigilijs afflictam, itineribus fessam. Post afflictam flagellis, laceratam supplicijs, damnatam cum mortuis, ditatam verò gloriæ resurrectionis ad cœlorum gaudia induxit, & in dextera tuæ celitudinis collocauit. Tu mea placatio & propitiatio mea; hic intende pius quem genueris filium, &

& quem redemeris seruum , hic aspice factorem, ne despicias facturam , amplectere serenus pastorem , & recipe misericors allatam propriis humeris ouem. Hic ipse est fidelissimus pastor, ille qui dudum errabundam per abrupta montium , per præcipitia vallium , multis variisque languoribus quæsierat ; qui que iam morienti , iam per longa exilia deficiunt , tandem inuento congaudens se suppedituit , & miro sibi adnisu caritatis innixam , de confessionis abyssso leuauit , piisque coastrata complexibus ad nonaginta nouem , unaq[ue] perierat deportauit ouem.

Dinistio.

Ecce Domine mi-Rex , Deus omnipotens ; ecce Pastor bonus refert tibi quod commisisti ei. Suscepit te disponente ad saluandum hominem , quem tibi restituuit omni labi immunem. Ecce tuum tibi carissimus natus plasma conciliat , quod à te procul deuiauerat. En gregi tuo mitis Pastor reformat , quod prædo violentus abegerat ; reddit tuis conspectibus seruum , quem propria conscientia fecerat fagitiuum , ut qui per se meruit poenam per factorem mundi mereat veniam , qui que pro culpis suis sperabat gehennam , tanto duce iam confidat reuocari ad patriam. Potui per me te sancte pater offendere , sed non valui per me placare ; factus est adiutor meus Deus meus , tuus dilectus filius meam

meam participatus humanitatem, ut curaret infirmitatem, quatenus vnde culpa emiserat offensionis multum, tibi immolare sacrificium laudis, meque per hoc tuæ redderet pietati placabilem, quomodo sedens ad dexteram tuam semper meæ substantiæ ostenderet se esse confortem. Ecce spes, ecce tota fiducia mea, si me pro mea ut dignum est despicias iniquitate, respice saltem miseratus pro dilectæ sobolis caritate, intende in filio, quo propitiieris seruo, vide carnis sacramentum, & remitte carnis reatum. Recole quod bonus perpeccus est filius, & obliuiscere quod malus est operatus seruus. Quoties tibi beatæ prolis patent vulnera sacra, dilatescant obsecro vulnera mea. Quoties rubet pretiosus pio de latere sanguis diluatur supplico tabes meæ pollutionis. Et quia te caro lacepsuit ad iram, caro te flectat imploro ad misericordiam, ut sicut caro me seduxit ad culpam, ita caro reducat ad veniam. Multum quippe est, quod mea meretur impietas, longè autem maius quod Redemptoris mundi iure depositit pie-tas. Magna enim est mea iniustitia, satis vero maior Redemptoris mei iustitia, quanto namque superior Deus homine, tanto mea malitia eius inferior est bonitate, ut & qualitate, etiam & quantitate. Quid enim delinquare posset homo, quod non Dei redimeret filius factus homo. Quæ tantum superbia tumeret, quæ non humilitas tanta sternet? Quodnam esset mortis Imperium, quod nati Dei non destrueret

destrueret crucis supplicium. Nimirum Deus, si
æqua lance iniquitas peccantis hominis, & redi-
mentis gratia librentur auctoris, non tantū, quan-
tum occidens distat ab oriente, seu inferior supe-
ratur à summo Cœli cardine, quantum pietas
Redemptoris superat malitiam peccatoris.

Iam lucis optime creator, iam culpis igno-
fse meis pro dilecti filij tui laboribus immensis.
Iam eius quoq; pietati mea impietas, eius mode-
stia, mea peruersitas, & mansuetudini donetur
ferocitas. Iam meam superbiam sua humilitas,
patientia eius meam impatientiam, benignitas
duritiam, obedientia inobedientiam, tranquilli-
tas nigretudinem, dulcedo amaritudinem, sua-
uitas iram, caritas lucrifaciat crudelitatem. Iam ô
diuini amor numinis patris omnipotentis, prolif-
que beatissimæ sancta communicatio paraclite
sancte Spiritus, mœrentium clementissime con-
solator, iam iam cordis mei penetralibus potenti
illabere virtute, & tenebrosa quoq; laris neglecti
latibula corusci luminis fulgore pius habitator
lætifica, tuique roris abundantia longo ariditatis
marcentia squalore visitando fœcunda; saucia in-
terioris hominis arcana tui amoris iaculo, & te-
pentis medullas iecoris flammis salutaribus pe-
netrando succurre, sanctique feruoris igne illu-
strando mentis, ac corporis vniuersas depasce.
Pota me de tuo voluptatis torréte, ut nil iam de-
gustare mundanorum liceat venenat dulcedinis.
Iudica me, & discerne causam meam de gente nō
sancta, doce me facere voluntatem tuam, adiuua
me, quia Deus meus es tu. Credo ergo in quo-

cumque habitaueris, in eo Patris, ac pariter Filij
domicilium condis. Beatus qui te merebitur ho-
spitem habere, quoniam Pater, & Filius per te
apud eum facient mansionem.

3 Veni, veni iam benignissime dolentis animæ
consolator, prompte in oportunitatibus, & in tri-
bulatione adiutor; Veni mundator scelerum, cu-
rator vulnerum; Veni fortitudo fragilium, relena-
tor labentium; veni humiliū doctoř, superborum
destructor; Veni orphanorum pius Pater, con-
solator miserorum, viduarum dulcis iudex, veni
spes pauperum, refocillator deficientium; Veni
nauigantium sydus, naufragantium portus, veni
omnium viuentium singulare decus, morientium
vnica salus; Veni sanctissime Spiritus, veni & mi-
serere mei, apta me tibi, condescende propitius
mihi, vt tuꝝ magnitudini mea exiguitas, robori-
que tuo mea imbecillitas, secundūm multitudi-
nem tuarum complaceat miserationum, per Ie-
sum Christum Saluatorem meum: Qui cum Pa-
tre, tecumque viuit, & regnat Deus per omnia
secula seculorum. Amen.

LIX. *De veritate salvationis Capitulum.*

ANIMA Christiana, anima de graui morte
fuscata, anima de misera seruitute san-
guine Dei redempta & liberata, excita mentem
tuam, memento resurrectionis tuꝝ, recognita re-
demptionem tuam, & liberationem tuam. Retra-
cta vbi, & quæ sit virtus salvationis tuꝝ; versare
in meditatione eius, delectare in contemplatione
eius; excutio fastidium tuum, fac vim cordi tuo,
in

intende in hoc mentem tuam , gusta bonitatem Redemptoris tui, accende in amorem Saluatoris tui. Mande fauum verborum, suge plusquam mellitum saporem, gluti salubreim dulcorem. Mande cogitando, suge intelligendo, gluti amando , & gaudendo. Latare mandendo , congratulare suggendo, iocundare glutiendo. Vbi ergo, & quo est virtus, & fortitudo tuæ salvationis. Certè Christus te resuscitauit , ille bonus Samaritanus te sanauit, ille bonus amicus anima sua te redemit, & liberauit Christus inquam. Ergo virtus salvationis tuæ , virtus est Christi. Vbi est hæc virtus Christi? Utique cornua in manibus eius , ibi abscondita est fortitudo eius. Cornua quidem in manibus eius , quia brachijs Crucis affixa sunt manus eius , quæ autem fortitudo in tanta infirmitate? Quæ altitudo in tanta humilitate? Quid venerabile in tanto contemptu? Sed certè adeo absconditum quia in infirmitate, ideo celatum quia in humilitate , ideo occultum quia in contemptu. O fortitudo abscondita hominem in Cruce pendentem suspendere mortem æternam, genus humanum prementem hominem ligno confixum , diffigere mundum perpetuæ morti affixum. O celata potestas! hominem damnatum cum latronibus salvare homines damnatos cum demonibus,hominem in patibulo extensum, omnia trahere ad se ipsum ! O virtus oculata vnam animam emissam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno ! Hominem mortem corporis suscipere, & animarum mortem perimere.

2. Cur bone Domine, pie Redemptor, potens

Saluator, cur tantam virtutem operuisti tantæ humilitatis, an ut falleres diabolum, qui fallendo hominem eiecit de Paradiso? sed vtique veritas nullum fallit. Qui vedit veritatem, & odit, & contemnit ipse se fallit. Qui ignorat, qui non credit veritatem, ipse se fallit. Veritas itaque nullum fallit; an ideo, ut ipse diabolus se falleret. Sed vtique sicut veritas nullum fallit, ita non intendit, ut aliquis se fallat; quamuis hoc dicatur non permittit. Non enim assumpisti hominem, ut notum te opus, sed ut ignotum aperires. Verum Deum, & verum hominem te dixisti, & operibus ostendisti. Res per se fuit occultata, non studio occultata. Non sic est facta, ut absconderetur, sed ut ordine suo perficeretur, nec ut aliquem deciperet, sed ut quemadmodum oportebat, fieret. Et si dicitur occultata non est aliud, quam non est omnibus reuelata. Nam eti veritas non omnibus se manifestat, nulli tamen se negat. Ergo Domine, nec ut falleres, nec ut aliquis se falleret, sic fecisti; sed ut faceres quid, & quomodo faciendi erat per omnia in veritate perfecisti. Qui ergo se fecellit in tua veritate non de te, sed propria queratur falsitate. An diabolus habeat aliquid iuste aduersus Deum, vel aduersus hominem, propter quod Deus prius deberet aduersus eum pro homine modo agere, quoniam aperta fortitudine, ut dicit ille, iustum hominem iniuste occideret, iuste potestatem, quam supra iustos habebat perderet. Sed certe diabolo nec Deus debebat aliquid nisi pœnam, nec homo nisi vicem, ut quemadmodum ab illo se facile permisit peccando occidere, ita il-

lum vinceret usque ad difficultatem mortis iustitiam integrum seruando. Sed ut hoc non nisi Deo debebat homo. Nam non peccauit aduersus diabolum, sed aduersus Deum. Sed homo nec diaboli erat; sed & homo, & diabolus Dei erant. Sed, & hoc quod diabolus vexabat hominem, non hoc faciebat zelo iustitiae, sed nequitiae, nec iubente Deo, sed permittente, non diaboli potestate, sed iustitia exigente.

3 Nihil ergo erat in diabolo, cur Deus aduersus eum ad saluandum hominem fortitudinem suam celare, aut distrahere deberet. An aliqua necessitas coegerit, ut altissimus sic se humiliaret, & omnipotens ad faciendum aliquid tantum laboraret? sed omnis necessitas, & possilitas, eius subiacet voluntati. Quippe quod vult, necesse est esse, & quod non vult, impossibile est esse. Sola igitur voluntate. Et quoniam voluntas eius semper bona est, sola haec fecit bonitate.

4 Non enim Deus egebat, ut hoc modo hominem saluum faceret, sed humana natura indigebat, ut hoc modo Deo satisfaceret. Non egebat Deus, ut tam laboriosa pateretur, sed indigebat homo, ut ita conciliaretur. Non indigebat Deus, ut sic humiliaretur, sed indigebat homo, ut sic de profundo inferni erueretur. Diuina natura humiliari, aut laborare, nec eguit, nec potuit.

5 Haec omnia ut ad hoc restituueretur, quod facta erat humanam naturam necesse erat facere. Sed nec illa, nec quidquid Deus non est ad hoc poterat sufficere. Nam homo ad quod institutus est, restituatur, si non ad similitudinem Angelorum

rum in quibus nullum est peccatum, prouehitur. Quod est impossibile fieri nisi omnium percepta peccatorum remissione, quæ non sit, nisi procedente integra satisfactione, quam satisfactionem celerem oportet esse, ut peccator, aut aliquis det aliquid de suo, quod debitum non sit, quod superet omne, quod Deus non est. Si enim peccare est Deum exhortare, & hoc facere non debet homo, etiam si necesse esset, quidquid est quod Deus non est. Vtique veritas immutabilis, & ratio aperta exigit, ut qui peccat reddat Deo aliquid pro honore ablato, maius quam sit hoc pro quo illum exhortare non debuit.

6 Et quoniam humana natura sola non habebat, nec sine debita satisfactione reconciliari poterat, ne iustitia Dei peccatum inordinatum in Regno suo relinqueret, subuenit bonitas Dei, & eam in suam personam assumpsit filius Dei, ut in ea persona esset homo Deus, qui haberet, quod superaret, non solum omnem essentiā, quæ Deus non est, sed etiam omne debitum, quod peccatores soluere debent, & hoc cum nullus pro se debet, solueret pro aliis, qui quod debebant reddere non habebant.

7 Pretiosior namque est vita hominis illius, quā omne, quod Deo nō est, & superat omne debitum quod debent peccatores pro satisfactione.

8 Si enim imperfectio illius superat omnem multitudinem peccatorum, quæ cogitari possunt extra personam Dei, palam est, quia vita eius magis est bona, quam sīnt omnia peccata mala, quæ sunt extra personam Dei.

9 Hanc

9 Hanc vitam homo ille, cum ex debito mori non deberet, quoniam peccator non erat, sponte dedit de suo ad honorem Patris, cum eam sibi auferri permiserit propter iustitiam, ut exemplū omnibus aliis daret, iustitiam Dei ab illis non esse deferendam per mortem, quoniam pro necessitate aliquando soluere deberet, cum ille qui eam nō debebat, & seruata iustitia vitare posset, eam sibi illatam propter iustitiam sponte sustineret.

10 Dedit itaque humana natura Deo in illo homine sponte, & non ex debito quod suū erat, ut redimeret se in aliis; in quibus, quod exigebatur ex debito reddere non habebat.

11 In omnibus his est diuina natura humiliata, sed humana est exaltata. Nec illa est immutata, sed ista misericorditer adiuta. Nec humana natura in homine illo passa est aliquid ex necessitate vlla, sed sola libera voluntate. Nec alicui violentiæ succubuit, sed spontanea bonitate ad honorem Dei, & utilitatem aliorum hominum, quæ illi mala voluntate sunt illata, laudabiliter & misericorditer sustinuit, nec vlla cōgente obedientia, sed potenti disponente sapientia.

12 Non enim illi homini pater, ut moreretur cogendo præcepit, sed ille, quod patri placitum, & hominibus profuturum esse intellexit, hoc fecit sponte. Non enim ad hoc eum potuit pater cogere, quod ab eo exigere non debuit, nec patri tantus honor potuit non placere, quem tam bona voluntate filius sponte obtulit. Sic itaque patri obedientiam liberam exhibuit, cum

13 Denique quoniam pater illi hanc voluntatem, quamuis liberam dedit, non immerito dicitur ; quia eam ille velut præceptum patris accepit, hoc itaque modo obediens fuit patri usque ad mortem , & sicut mandatum dedit illi pater, sic fecit, & calicem, quem dedit illi pater, babit.

14 Hæc est enim perfecta & libera humanæ naturæ obedientia , cum voluntatem suam liberam sponte Dei voluntati subiecit , & cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione spontanea liberalitati opere perfecit. Sic homo ille redemit omnes alios, cum hoc quod sponte dedit, Deo computat pro debito quod illi debebant. Quoniam quali pretio non solum à culpis tantum homo redimitur , sed etiam quoties cum digna pœnitentia redierit, recipitur , quæ tamen pœnitentia non promittitur. Quod quantum in cruce factum est per crucem noster Christus nos redemit.

15 Qui ergo ad hanc gratiam volunt cum digno affectu accedere saluantur , qui verò illam contemnunt, quia debitum , quod debent non reddunt iuste damnantur.

Item de eodem Capitulum.

Ecce anima Christiana, hæc est virtus saluationis tuæ, hæc est causa liberationis tuæ , hæc est pretium redemptionis tuæ. Captiua eras, sed hoc modo es redempta , ancilla eras, & sic es liberata

berata, sic es exul reducta, perdita, restituta, & mortua resuscitata. Hoc mandat homo, hoc ruminet, hoc sugar, hoc glutiat cor tuum, cum eiusdem Redemptoris tui carnem, & sanguinem accipit os tuum. Hoc fac in hac vita quotidianum panem, viatum, & viaticum tuum, & quia per hoc, & non nisi per hoc, & tu manebis in Christo, & Christus in te, & in futura vita erit plenum gaudium tuum. Sed ô Domine, tu qui ut ego viuerem, mortem suscepisti, quomodo lætabor de libertate mea, quæ non est nisi de vinculis tuis? qualiter gratulabor de salute mea, cum non sit nisi de doloribus tuis? quomodo gaudebo de vita mea, quæ non est nisi de morte tua? An gaudebo de iis, quæ passus es, & de crudelitate illorum, quæ ea tibi fecerunt; quoniam nisi illi fecissent, tu passus non esses, & si tu passus non esses, hæc mea bona non essent; aut si de illis dolebo, quomodo de istis propter quæ illa fuerint, & quæ non essent, nisi illa fuissent, gaudebo? sed certè illorum tibi nihil accedere potuit, nisi quia tu sponte permisisti, nec tu passus, nisi quia pie voluisti. Illorum itaque crudelitatem execrari, mortem, & labores tuos compatiendo imitari, piam voluntatem tuam gratias agendo amare, ac sic securè de bonis mihi collatis exultare. Ergo illorum crudelitatem dimitte diuino iudicio, & træta de iis, quæ debes salutari tuo. Considera quid tibi erat, & quid tibi factum sit, & pensa qui hæc tibi fecit, quo amore dignus sit, intuere necessitatem tuam, & bonitatem eius, & vide quas gratias reddas, & quantum debeas amori eius in tene

tenebris, in lubrico, in descensu super irre-
meabile chaos inferni eras. Immensum, & quasi
plombeum pondus pendebat in collo tuo, &
deorsum te trahebat, onus insupportabile desu-
per te premebat, hostes inuisibiles ex toto cona-
tu te impellebant. Sic eras, sine auxilio Dei, &
nesciebas, quia sic conceptus, & natus eras. O
quid tunc tibi erat, & quo te ista rapiebat! Ex-
pauesce memorando, contremisce cogitando. O
Domine, ô bone Iesu Christe sic posito, nec pe-
tentia, nec opinanti, ut sol mihi illuxisti, & mihi
quomodo eram ostendisti. Abiecisti plumbum,
quod deorsum me trahebat, remouisti onus quod
desuper me premebat. Impellentes me repulisti,
ac illis te pro me opposuisti. Vocasti me nomine
nomo, quod mihi de nomine tuo dedisti, & me
ad aspectum tuum erexisti dicens: Confide, ego
redemi te, animam meam pro te dedi, si mihi ad-
hæres, & mala in quibus eras, euades, & in pro-
fundum, quo properabas, non cades. Sed per-
ducam te ad Regnum meum, & faciam te hære-
dem Dei, & cohæredem meum. Exinde accepisti
me in tuitionem tuam, ut nihil noceret animæ
inæ contra voluntatem tuam; Et ecce cum
nondum adhæserim tibi, sicut consulisti, non-
dum tamen in infernum me cadere permissisti;
sed adhuc expectas, ut adhæream, & faciam
quod promisisti. Certè Domine sic eram, & hæc
fecisti mihi. In tenebris eram, quia nihil nec
me ipsum sciebam. In lubrico, quia imbecillus,
& fragilis ad lapsum peccati eram; in descensu
super Chaos Inferni, quia in primis parenti-
bus

bus descenderam de iustitia Dei ad iniustitiam, per quam descenderam in infernum, & de beatitudine, ad temporalem miseriam, de qua traditur in æternum. Pondus originalis peccati me deorsum trahebat, & onus importabile iudicij Dei me premebat; & inimici mei dæmones, ut aliis peccatis me damnabiliorem facerent, quantum in ipsis erat, vehementer insisteant. Sic desstituto omni auxilio illuxisti mihi, & quomodo eram ostendisti, quia & cum ego nondum hoc nosse poteram, alios qui pro me essent, ut postea meipsum, antequam postularem, hæc omnia docuisti, plumbum trahens, & onus grauans, etiam hostes impellentes reiecisti, quia peccatum, in quo natus, & conceptus eram, & dominationem eius amouisti, & malignos spiritus, ne vim animæ meæ facerent, prohibuisti; Christianum me fecisti; Vocari de nomine tuo, per quod & ego confiteor, & tu cognoscis me inter Redemptos tuos, & erexisti, & leuasti me ad notitiam, & amorem tuum. Fecisti me confidere de salute animæ meæ, pro qua dedisti animam tuam, & mihi si te sequerer, promisisti gloriam tuam. Et ecce, cum nondum sequar, sicut consuluisti, sed insuper multa peccata feci, quæ prohibuisti, adhuc expectas, ut te sequar, & dones, quod promisisti. Considera anima mea, intende omnia intima mea, quantū illi debeat tota substantia meæ. Certè Domine, quia me fecisti, debeo amori tuo me ipsum totum, quia me redemisti, debeo me ipsum totum, quia casta promittis. Debeo me ipsum totum in uno tantum, debeo amori tuo plus

plusquam, quantum tu es maior me, pro quo dedisti teipsum, & cui promittis teipsum. Fac precor Domine me gustare per amorem, quod gusto per cogitationem; sentiam per affectum, quod sentio per intellectum, plus debeo, quam meipsum totum, sed nec plus habeo, nec hoc ipsum possum reddere per me totum. Trahe me tu Domine in amorem tuum, vel hoc ipsum totum. Totum quod sum, tuum est conditione, fac totum tuum dilectione. Ecce Domine coram te est cor meum, conatur, sed per se non potest, fac tu, quod ipsum non potest, admitte me intra cubiculum amoris tui. Te peto, quæro, pulso. Qui me facis petere, fac accipere, da querere, da inuenire. Doces pulsare, aperi pulsanti, cui das, si negas petenti. Quis inuenit, si querens frustratur? Cui aperis, si pulsanti claudis? Quid das non oranti, si amorem tuum negas oranti? A te desiderare, a te habeam impetrare. Adhaere illi, adhaere importunè anima mea. Bone, bone Domine, ne reiicias eam. Fame amoris tui langueat, refoue eam. Satiet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus. Occupet me totum, & possideat me totum, quia tu es cum Patre, & Spiritu sancto Deus solus benedictus in secula seculorum. Amen.

